




XV
SEVER.
DAVIS
1660
1
7
321











# COMMENTARIORUM

In sublimis Philosophi & incomparabilis Viri

# PETRI SEVERINI DANI

IDEAM MEDICINÆ PHILOSOPHICÆ,

Propediem prodituririm

# PRODROMUS.

In quo *Platonicæ* doctrinæ explicantur fundamenta, super quæ *Hippocrates*, *Paracelsus* & *Severinus*: nec non ex antithesi, *Aristoteles* & *Galenus* sua stabilivere Dogmata.

Sub finem Authoris doctrina, febrium exemplo, in praxim reducitur.

*Hisce selectiorum Chemicorum remediorum, omnibus à Capite ad Calcem affectibus appropriatorum, 40 annorum usu probatorum, sine fuco & jactantia descriptorum, manipulus adjicitur.*

Opera & studio

WILLIELMI DAVISSONI, Nobilis Scoti;

Christianissimi Galliarum & Navarræ Regis Consiliarii & Medici, domus hortique plantarum Medicinalium, qui Parisiis in suburbio S. Victoris est, olim Præfecti: nunc autem S Regiæ Majestatis Poloniæ & Sueciæ Senioris Archiatri & Chemici: S. Reginalis itidem Majestatis in vulgari Medicina Personæ Medici.



HAGÆ-COMITIS,

Ex Typographia ADRIANI VLACQ.

CIↃ IↃC LX.



# IOANNES CASIMIRUS

*Dei gratia Rex Poloniæ: Magnus Dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Masoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Smolensciæ, Czerniechoviæque: nec non Sueccorum, Gottorum, Vandalorumque, Heredetarius REX.*

VNiversis & singulis quorum interest, præsentibus literis Nostris significamus: Quod cum Nos illos benigno repsectu afficere soleamus, qui in tuenda jam pridem curandaq; Nostra, & Serenissimæ Sacræ Majestatis Reginalis Consortis Nostræ Clarissimæ valetudine non parum se se applicuerint: sic hisce significari volumus, expositum fuisse Nobis ab excellenti, fideli, dilectoque Wilhelmo Davissono, Nobili Scoto, Consiliario Nostro, Archiatroque Seniori & Chemico, tum Reginalis Majestatis Consortis Nostræ dilectissimæ Personæ Medico, Hortorumque Nostrorum summo Præfecto, se jam à multis annis sedulam operam in revolvendis veterum Philosophorum Platonicorum & Peripatheticorum scriptis insumsisse; ut facilius consensum & dissensum Medicorum cum Hippocrate, Galeno, & Chemicis expanderet: proinde cum jam à multis sæculis penitus ferè extincta veterum Philosophorum Platonicorum, tam Metaphysicorum quàm Pyhsicorũ dogmata cerneret, metuendo ne in Hippocratis divini senis doctrinam minus sincerè animadverteretur, omnes quos potuit veteres authores in unum conciliavit, & à vepribus, ænigmatibus, parabolicis obscuritatibus liberavit, & in tam facillimam brevemque Me-

thodum in Scholarum usum reduxit, & cum Peripathetica Chemicaque Philosophia ita paralelavit, ut quilibet spacio unius Mensis plus addiscere in Platonicis possit, quam qui studio trium vel quatuor annorum in ipsis rudimentis addiscendis, tum in ulteriori studio promovendo consenuerit. Occasione igitur hac tam faustâ pro re literaria offerente, authorem sibi elegit interpretandum *Petrum Severini Danum*, Medicum & Philosophum sublimem, stylo cabalistico, hoc est obscuro, suam Medicinæ Philosophicæ Hippocraticæ, Galenicæ, Paracelsicæ Ideam scribentem, qui quamvis jam à centum annis admirationi potius & literatorum Musæis ornatui, quàm intellectui patebat, tamen nunquam in usum propter Platonicæ doctrinæ defectum redigi potuerat: Sed cum dignissimũ hoc opus existimetur, ut in lucem prodeat, permittimus & libertam damus, ut typis quibus velit, committat, & Typographo aut Bibliopolæ, cui velit, in Nostris ditionibus ad vendendum concedat Librum, cujus titulus est, *Commentariorum in sublimis Philosophi & incomparabilis Viri Petri Severini Dani Ideam Medicinæ Philisophicæ propediem prodituorum Prodromus*, ad spatium decem annorum, quo temporis intervallo, omnibus Bibliopolis & Typographis inhibemus, ne distribuant, vendant, aut Typis admoveant prædictum librum absque Authoris consensu, sub pæna confiscationis exemplarium, tum mille Talerorum decernenda. In cujus rei fidem præsentes manu Nostra subscriptas Sigillo Nostro communi jussimus. Datum in Castris ad Thoranium die xxix. Mensis Novembris Anno Domini M. DC. LIII. regnorum Nostrorum Poloniæ x. Succiæ XI. Anno.

Excellentissimo, Nobilissimoque Domino

# Domino ANTONIO VALLOT,

Regis Christianissimi secretioris consistorij Consiliario & Proto-Medico.

*Excellentissime Domine.*

TAndem prodit opus, cujus ante aliquot annos Ideam vidisti, ad Sequanam, in amœnissimo Plantarum Medicinalium horto Regio Parisiensi (cujus tunc temporis Administrator & Præfectus eram) inchoatum, in mediis Oceani Germanici undis; in Maris Baltici procellis, ad Albin, Oderam, Buggum, Niesterum, Borysthenem, & Pontum Euxinum; inter peregrinationum incommoda, Exercituum tumultus, Tympanorum sonitus, Timballorum strepitus, tubarum clangores, tormentorum tonitrua, omnes denique Armorum generis collisiones, inter pestem & famem, cœli & Elementorum injurias irrequietas, incrementa sumpsit. Pace tandem ab invictissimo Rege Joanne Casimiro, Domino meo Clementissimo, subditis suis data, in mediis Aulæ otiis ad Vistulam, in suavissima illa Regia mansione Varsaviensi, numeris suis absoluta, perfectum. Illud autem tuo per totum orbem clarissimo nomini, Archiater meritissime, in amicitiæ, observantiæ, & grati animi testimonium nuncupo. Te siquidem & mutuis quos miscuimus non raro sermonibus, non in Aristotelis Philosophia tantum, sed in Galeni opinionibus, Platonis dogmatibus, Hippocratis placitis, Paracelsi doctrina, & Severini Idæa semper deprehendi versatissimum. In consultationibus vero, licet cum vulgo loqui videaris, tam solidis tamen rationum monumentis, tuam fulcis sententiam, ita dexterè consultantium versas ingenia, ut præ conceptis desertis opinionibus, velint nolint in partes tuas transire cogantur. Ad Praxin quod spectat, tam acre in dignoscendis curandisque morbis ostendis judicium, tanta cum prudentia, modò Galenica, modò Chemica in usum vocas remedia, ut ea fælici

ſemper cum ſucceſſu adminiſtrata, innumeræ hominum, quos ab orci faucibus eripuiſti, palam profitentur myriades. Nunquam ſatis celebrandum raræ tuæ induſtriæ exemplum, nuper vidit Gallia in Ludovico decimo quarto à Deo dato, à te ſervato. Læthalis enim quo detinebatur morbus triumphantis Monarchæ, vitæ victoriiſque finem impoſuiſſet, tuæ niſi ſalutiferæ manus per divinum illud, quod tempeſtivè propinaſti, vinum, è mortuorum libro nomen ejus expunxiſſent. Me privatim quod attinet, gratias tibi habeo quam maximas, Amice Nobiliſſime, καὶ φίλων ἐμοὶ φίλατε, ut Periclem nominare ſolebat acutiſſimus Proclus, quod filium meum, Cataphractorum Scotorum Regis in præſidio Chriſtianiſſimi Regis primo ordine militantium Vexilliferum, gravi & periculoſo (ut ad me ſcripſit) affectu laborantem, oportunis tuis conſiliis priſtinæ reſtitueris ſanitati. Hunc igitur librum, Excellentiſſime Domine, in venerationis meæ, & gratitudinis teſſeram accipe; & me tibi, propter ſublime illud honoris & gloriæ, ad quod merito evectus es, culmen, ſerio gratulari crede; Meque ama, qui ſum ſine Aulicismo,

Datum in Caſtris Polonicis die 15. Novembris 1659. coram Marienburgo.

*Excellentiſſime Domine,*

Tui obſervantiſſimus & amantiſſimus ſervus
DAVISSONUS.

A D

Nihil mihi felicius accidere potuit, Lector humanissime, quàm ut Authores de literis bene meritos, in quocunque mundi angulo delitescentes, in tuum usum detegere valeam: Vix enim possum non compassione summa, erga rem literariam præsertim, affici, dum priscorum Philosophorum sapientiam (quæ sola ad naturæ contemplationem, ac rerum fontes, ac principia inquirenda valere videtur) studiosæ juventuti jamdudum surreptam videam ab illis, qui relictis rebus ipsis, ac observationum, tum experientiarum fide, infidas hypotheses Geometricis demonstrationibus, & fucatis linguæ muneribus injustè accommodatas in scholas introduxerunt, nullâ verarum causarum ratione habitâ, quæ ordinatæ esse debent, hoc est aliæ ex aliis dependentes; posteriora nempe à prioribus, debiliora ex potentioribus, conservari, foveri, gubernari, credere par est, adeóque mutationes omnes ultimarum rerum, sive sint morbi, sive sanitates, ex virtutibus activis seu silentiis primorum derivari censentur: sed hujus tam approbatæ doctrinæ propugnatores tempore ipsius Hippocratis non defuerunt, nec adhuc desunt, illi tamen ejus & discipulorum suorum diligentiâ repudiati confestim succubuerunt; sed post aliquot annos, ad socordiam denuo inclinante sæculo deflexerant: brevitatem enim artis, (quam Hippocrates longam fuisse asserit) ex hypothesibus aliis profiscentem amplexi potius sunt, quam experientiæ longas exercitationes, cujus occasioni ignavia opem, & linguæ honores facem præbuerunt: nihilominus experientia, unica Physices & Medicinæ parens & nutrix, locum suum mereri aliter quam inter caliditatum & siccitatum, frigiditatum & caliditatum mirabiles subtilitates debuit, quibus deficientibus occultæ proprietates clanculum irrepserunt, & viam potestatibus Hippocratis denuo præbuerunt. Interea qui misericordia & querelis ægrorum compulsi, viam illam, quæ per Analysin Chemicam detecta fuit, & per potestatum istarum investigationem amplexa, parum instituerunt, Desertores, Empyrici, Circumforanei appellati sunt. Sed cum ab ineunte ætate Philosophicis & Medicis studiis me addixerim, in iisque cum querelas Professorum graviuscule tulerim, quod neq; Physica Peripathetica experientiæ limæ responderet, nec Theoremata Galenica, multò minus remedia, in difficillimorum morborum curationibus, satisfacere potuerunt: cumque passim per totum Orbem audirem, Philosophiam Platonicorum, tum Chemicorum experientias jactitari, Chemicorum cœtui (qui tunc occultè, absque ulla Regia autho-

authoritate Parisiis quasi grassabundus, imo pœna supplicii prohibitus
vagabatur) adhærere cœpi, in quo nominum obscura novitate, appa-
rentium contradictionum multitudine, præparationum ænigmate, & no-
va Philosophandi ratione pene perterritus constiti, & eò magis, quia nullibi
quam inter ipsos Chemicos tot denodandarum difficultatum & causarum
reddendarum, & multarum resolutionum circos inveniebam, cum illorum
pars maxima, vel plane Empyrica fuit, nec ullam rationem causarum red-
dendarum tenebat, præterquam inspectionem & sensibilem demonstratio-
tionem. Altera vero cum nullam aliam præterquam Aristotelicam Philo-
sophiam callebant, omnes resolutionum affectus per crines ad Aristotelis
Physicam (quæ è Diametro contra resolutiones Chemicas pugnabat) in-
justa Metamorphosi sensibus oblatrantibus attrahebant: sed quanto obscu-
ritas major apparuit, tanto plus crevit desiderium addiscendi; itaque assi-
duitate summa, & indefesso studio inter maximè literatos Chemicos, qui
scriptis aliquid lectione dignum tradiderunt, perscrutatus sum, num ali-
quid quod animum meum sciendi avidum repleret invenirem, sed inter il-
los dum Sectas infinitas & malè compilatas contemplarer, absq; ulla satis-
factione discessi, dum nescio quo fato de hoc Authore SEVERINO DANO
multa apud selectiores Authores legerem, partim in laudes quamvis obscu-
ras, & simulata quadam sciendi dexteritate, pro Chemicis experientiis do-
ctum aliquem habendi Patronum optantium: & apud tales nihil præter-
quam vanas de qualitatibus rellolaceis, spiritibus Mechanicis, de Archeo,
de triplici Regno, de Manna, Balsamo, Mumia, Astro Archeo, Elixerio,
Materia perlata, Materia Crystallina, Quinto Elemento & Mineralisato
blatterationes, quasi horribibiles Magicarum incantationum (ut mihi vi-
debantur) voces audiebam: alios solis gestibus, visu, vultu ridiculoso ad-
stantes in contagiosum consensum allicientes, & dedignatione obstrepen-
tes; alios ad Peripateticæ doctrinæ limam omnia referentes, hoc est ex Pi-
gmei pede de cothurnis Herculis judicantes; alios vero quamplurimos
tenebriones, qui spinosum proclamabant Authorem; sed spinas istas ipsi
habebant, non Author: Caligabant enim in Sole, & lux ipsa in oculis illo-
rum nocturnis pro caligine fuit, quibus justius erat ipsisq; utilius, declina-
re vitium quam eruditam Authoris scientiam, illorum defectibus & igno-
rantiæ accommodare; & tales sunt qui Solem in crinem vocare malunt,
quam lippientes oculos tonsori committere: præstaret ad minus tot menses
in Philosophia Veterum insumere, quot annos in meteororum & acroaseon

Aristo-

Ariſtotelis contriverant, atque ſiniſtrè nimis de ſpinoſa Severini Dani doctrina judicent, aut ex titulo ſicut faciunt pravi judices condemnarent. Sed elatiores ſunt quā ut ab aliis doceri patiantur, interea ſe à rudibus aſſueſcunt annis, quæ grandes dediſcere aut nolunt, aut pudet, & inter tales illiterata literatorum turba viget, & in ſua tyrannide Phalariſmum exercent, quo næniis ſuis & vanis diſtinctionibus incautam juventutem ad Medicas artes deſtinatam decipiunt, nec enim tam quid verum, aut falſum ſit curant (imo qui falſum pro vero tuetur is palmam præ aliis præripuiſſe videtur) & modo fucatum aliquod Argumentum in modo & figura, quo ſe ad ſilentii metam non fuiſſe redactos objiciant, omnia in tuto eſſe credunt: ſed hos in ſanam mentem deducere difficile eſt. Nam dum credunt ſe omnia ſcire, vix unquam ad ſcientiæ veræ veſtibulum perveniunt, ſed obſtinata protervitate reluctantibus ipſis ſenſibus, etiam genibus contra veritatem pugnant: hos tamen credo poſt hujus Prodromi ſedulam lectionem, ad meliorem frugem brevi perventuros. Optandum eſſet hunc Authorem, qui ut Democritum vocavit Hippocrates, verè dici poteſt *ἀνδρῶν σοφώτατος* hominum ſapientiſſimus, tum qualem in epiſtola nominavit, *ἄριστος τῆς φύσιος καὶ κόσμου ἑρμηνευτής.* Præſtantiſſimum naturæ & mundi interpretem. Optandum, inquam, eſſet hunc Authorem plura ſapientiæ ſuæ monumenta poſteritati reliquiſſe, ſed forſan quæ reliquerat, malevolorum invidiâ nobis ſurrepta fuere: ipſe enim teſtatur paſſim in hoc Opere, multos alios tractatus edidiſſe, nempe tractatum *de contemplatione vitæ longæ, item Aſtrologica Commentaria de motuum & maturitutum proportionibus. Præterea librum de ratione Prædicamentorum realium, libellum de nominibus & rebus, libellum etiam de morborum generatione: Commentaria etiam de febribus, item de mixtione & rerum congruentia.* Sed relinquamus Authoris laudes, quæ ſpeciores ſunt, quam ut tenui mea buccinatione egeant: hoc tamen dicam, me ingenue poſteris, quæ de ejus doctrina à majoribus accepi traditurum, nec me quaſi nudum tranſcriptorem hoc in loco ſiſtam, longa enim lucubratione, abſque vivo aliquo Duce, abditiſſimos doctrinæ Platonicæ & Veterum Philoſophorum ſyrtes, unde ſuam doctrinam hauſerat Author, penetravi, & plurimis obſervationibus tyronum genio adoptavi (principiis Peripatheticis, quibus à juventute imbutus eram, ſemper inaniter obſtrepentibus) ut Authoris hujus Platonici & Chemici genuinum ſenſum & conſenſum cum Chemica reſolutione acciperem & ut obtuſioribus, tum impatientioribus ingeniis, qui abſque ſudore & labore omnia volunt

amplecti fideliter & faciliter traderem. Proinde Methodum Platonicam quæ Syntethica est, & super uno & stabili fundamento innixa, & in multitudinem uni consortem dispersa, elegi; ut compositione Metaphysica discat unusquisque quid exspectare debeat in compositione Physica, quæ nunquam nisi per resolutionem Chemicam scrutari potest. Proinde nisi sedulo à principio ad finem absque interpellatione legatur doctrina quæ in hoc Prodromo exponitur, tum Authores qui in utraque Methodo floruerunt, & sæpius in hoc opere memorantur, frustra redditionis sperata messis subsequetur: priorum enim hic & deinceps sequentium talis est connexio, ut in Elementis Geometricis Euclidis, ubi tertia propositio à secunda, & secunda à prima, tali filo adhærent, ut nisi præcedentia accuratè calleat aliquis, frustra in ulteriori progressu fructũ labori aliquem consentaneum demereri censebitur. Utramque igitur Methodum qui velit accuratius prosequi, meo exemplo institutiones Theologicas acutissimi Procli revolvat, tum Physicas è Græco in Latinum ab Eruditissimo Patricio Veneto translatas, similiter Commentaria Procli in Philæbum, Phædronem, tum Alcibiadem Platonis, sermone vernaculo edita, & nondum adhuc translata, & mihi alias ab Illustrissimo, Illustrissimo Domino, Domino Kenelmo Digbeo, Equiti Anglo semper studiorum meorum, tum fortunæ meæ fautori eximio longè petita & denodata. Plotinum & Jamblicum operibus utilissimis Marsilii Fiscinii annexos. His adjungant Pæmandrum etiam, tum omnia opera Hermetis Trismegisti cum Commentariis Candalæ Comitis. Omnia fragmenta Poëtica oraculorum Zoroastri in Philosophia luminis Patricii Veneti inserta, cujus opera mihi magno semper fuere usui: tum tractatus etiam ejus discussionum Peripatheticorum. Commentaria etiam Doctissimi Viri Carpentarii Medici Parisiensis. Compendium Operum Platonicorum: Alcionii Stobæi Opera: tum Lucretii præclara de rerum natura lectu & relectu digna Carmina: Fortunatum etiam Licætum Medicum Patavinum de animarum extentione. Joannem Fernelium, Leonem Hebræum, Bassentium Bassum ex Joanne Wanhelmone plurima non contemnenda à Chemicis legi. Sed quod ad Medicinam attinet, historia ipsius mortis à filio edita quam parum fuerat in praxi Medica versatus, abunde testatur, cum pleuretico affectu ex quo mortuus est à venæ sectione abstinuerit, & multos alios proletarios quorum mentionem hoc in loco facere nimis tædiosum esset: qui autem Analyticam Methodum nobis tradiderunt, ii fuerant Chemici, aut Peripathetici, & horum caput fuit Aristoteles, qui speculativã duntaxat nobis

Ana-

Analysim rerum naturalium tradidit: qualis est illa Meteororum, quæ tota falsa est, & è Diametro resolutioni sensibili opposita: tum alii multi qui errores suos sub ejus præsidio simili fastu ampliarunt, è quorum numero maxima Medicorum pars continetur, de quibus nomina reticere statuo, ne Juventuti Medicis artibus destinatæ remoram indelibilem præbeant. Chemici vero alii sunt sola praxi contenti, & tales sunt destillatores multi, qui faciunt juxta præscripta, fornaces struunt, materiam vasculis, & vascula lutata & non lutata igni resolutorio admovent, salem Elementarem à sale essentiali distinguunt, sulphur fixum & non inflammabile ab inflammabili, spiritus fixos aut coagulatos à resolutis discernunt, sed ultra nihil. Hos sequitur infinitus numerus Empyricorum, qui illorum præparationes sub forma secretorum eventilant. Croco metallorum, Antimonii vitro, pulvere hemetico, floribus Antimonii febres intermittentes eradicant, colicos biliosos curant, imo & plura præstant, quam multi alii è Dogmaticorum cætu Medici, nulla tametsi indicatione curativa præmissa: inde accidit, ut sæpius errent: sed sicut hoc quod sciunt scire decet Medicum, sic quod illi nesciunt curare non potest ægrum: hos supereminent multi præclari viri, qui in utroque campo versati, tam Galenicam quam Chemicam Medicinam cum summa laude exercuerunt, & ut nunc exercent. Talis fuit hic Author, talis Quercetanus, talis Phædro, talis Theodorus Majernius, talis Nolius, Senertus, Hertmanus, & quamplurimi alii, qui omnes quamvis hucusque sub diversis principiis inter se velitent, & dissensus & consensus varios inter se habeant, tamen Chemicam Phisiologiam & Chemicorum indicationes ad Hippocratem potius quam ad Galenum deducere certum est, & qui sagaciores, & qui veri Medici audiri velint, ad Platonicam & Veterum Philosophorum scripta confugiant: sed quia ista multarum fabularum involucris & Dialogorum varietate & prolixitate hucusque contecta fuere, Author hic noster suam Phisiologiam tradit, quam non enucleatam, nec Tyronibus aptam, sed jam in arte provectis destinatam proposuit: & proinde quid mirum, si hucusque admirationi potius quam institutioni dederit locum? Huic igitur incommodo cum mederi studuerim, totam ejus doctrinam, in usum Scholarum reducere conatus sum, qua possit unusquisq; in Analysi Chemica versatus causas omnium effectuum naturalium tam Metaphysicè quam Chemicè, scientificè denodare, si velint. Nec ego istam laudem mihi ascivi, neque ego hujus Operis mercedem, nec præmium ullum quæro, sed omnia ista Reipublicæ literariæ hominibus litor,

 Autho-

AD LECTOREM.

Authori huic præſertim, tum Veterum Philoſophorum cultoribus, Chemiæque Philoſophiæ, quæ prius incerta cui ſe devoveret, huc atque illuc ſicut navis abſque Navarcho, aut gubernaculo fluctuabatur, inter quos non me ducem; ſed ut ſimplicem nautam interponi expeto. Si tamen hoc invitante labore ſyderibus iſtis interſeri non recuſarem, hoc ſaltem inde conſequerer, ut illorum ſplendorem meæ caliginis tenuitate exornem. Maculæ quæ in Cœlo apparent nigricantes, ſtellis proximis non parum nitoris adferunt: in picturis languerent colores, ni eas artifex variegaret umbrarum nebulis, neque aures mulcerent Cantilenæ, niſi pauſarum ſilentiis intercederentur. Nominis mei jacturam qualemcunque plus ſatis reſarciet publica utilitas, quam unam ſpectare animus eſt. His igitur fruere, Lector humaniſſime, & Authori huic, qui unus Chemiæ Philoſophiæ immortalitatem dedit, virtute tuâ protege, & cum ipſo æternùm vive.

DE

# DE
# PETRI SEVERINI DANI
## *Doctrina & Methodo.*



SUblimem & multifariam (quanquam à paucissimis hodie excultam, ne dicam intellectam) in hoc Authore splendescere eruditionem, quilibet animadvertere potest; Sed iis qui in scholis vulgaribus consenuerunt vix intelligibilem; non propter methodi aut styli verendam obscuritatem, nec tam propter scholarum vulgarium, minus in hoc studii genere versatarum dissonantiam, sed propter rudiorum ingeniorum pravum habitum, quem è cunabulis, à corruptis & maleficis Scholæ Aristotelicæ principiis (cum insigni omnium studiorum detrimento) contraxerunt indelibilem; & proinde qui hujus Authoris fidelis velit esse discipulus, ante omnia ut φιλαυτίαν deponat, & nudus absque præoccupatione accedat, & latentis hujus generis studii judicium, usque ad finem operis suspendat suaderem, & ubique modestiam cum profunda eruditione, rerum varietatem cum styli elegantia, methodi dexteritatem cum indicibili necessitate, commodo & utilitate legentium, certantes videbit: est enim hujus Authoris doctrina, veterum Parentum, Sanctorum Patrum, & Divini Hippocratis Philosophia, & è Diametro Physicæ vulgari opposita, dissonans in principiis, varians in progressu, & discordans in fine: hujus enim doctrinæ fundamenta immobilia collocat, ex quibus effectuum causas, agendorum mechanicos seu artificiosos progressus, & ordinatas causarum rationes deducit: causarum enim esse connexiones, mirandoque ordine, posteriora à prioribus dependere, inferiora à superioribus, debiliora à potentioribus conservari, gubernari & foveri asserit, dissolutione ænigmatum, & renovata Philosophandi ratione, antiquorum Platonicorum decreta, qui naturæ Historiam, Elementorum, Seminum, non vulgarium sed radicalium, Plantarum, Animalium, & Mineralium generationes descripserunt, confirmat, & utilitate maximâ, veterum Philosophorum authoritate stipatus, utriusque, hoc est tam veterum quam neothericorum Philosophorum censuram, ubique instituit.

## *De libri inscriptione.*

Liber hic inscribitur *Idea Medecinæ Philosophicæ*, *fundamenta continens totius doctrinæ Hippocraticæ, Galenicæ & Paracelsicæ.* Notum est Ideam esse terminum Platonicum, & esse Ideam aut exemplar aliquod à quo varia imitamina deduci possunt, exemplari stabili manente, aut per quam aliquid ideatum est: & aliàs dicitur exemplar, unde aliquid dici potest exemplatum, & in hoc sensu omnia quæ alii tradiderunt authores qui de re Medica aut Philosophica scripserunt, possunt dici Ideata, aut exemplata: unde sequitur exemplatum aut Ideatum, nusquam posse intelligi nisi prius Idea cognoscatur, seu exemplar. Dicit *Medicinæ Philosophicæ*, quia alia est medicina Philosophica, quæ Philosophiæ nobis Principia suppeditat, cujus veritas tota ex Metaphysica dependet: alia est Medicina Empyrica, quæ tota ex sola fallaci, nec satis elaborata experientia dependet, continens fundamenta, hoc est fixas, solidas, & ineluctabiles bases totius doctrinæ Hippocraticæ, Galenicæ, & Paracelsicæ. Dicitur continere *fundamenta*, metaphorâ sumptâ ab ædificiis, quorum tota stabilitas innititur fundamento: pari enim ratione doctrina aliqua, quæ radici stabili & firmæ non innititur, sicut ædificium malè fundatum, præceps corruit, & destruitur; aut sicut domus insipientis in Sacris, quæ super arena fundabatur, unde monemur ne fidem Physicis Principiis adhibeamus, quæ non prius stabili aliquo & Metaphysico fundamento innitatur, non magis quam Praxi Empiricæ, quæ de fallaci experientia procedit: nam sicut de veris nihil nisi verum, sic de falsis nihil nisi falsum sequetur. Additur *doctrinæ Hippocraticæ*, ut sciatur totam Hippocratis doctrinam, quæ fuerat eadem quæ veterum Philosophorum, ut Democriti, Platonis, Empedoclis, Anaxagoræ, non aliam fuisse quam illorum suffultam principiis: & quamvis Galenus & Paracelsus in multis dissentire videbantur, pacificus tamen judex consensum & reconciliationem in multis facilè admittere potest.

## *Argumentum libri & scopus.*

Scopus Severini Dani in hoc libro est reformare & renovare Physicam vulgarem, quæ jam dudum in turpes errores desciverat, propter veræ Methaphysices defectum; proinde generalia, prima, vera Principia, quæ causare debent conclusionem, præcedere debere asserit, antequam ad particularia descendatur. In toto hoc opere imitatur Platonem, Plotinum, Iamblicum, sed præcipuè subtilem Proclum, cujus nomen quamvis in toto isto opere

subti-

ſubticuerit, eloquioque & pulcherrimo ſtylo ſuo occultaverit, & diſſimulaverit, tamen facile eſt utrumque Philoſophicè ratiocinantem, & iiſdem principiis innitentem percipere, & niſi Proclum & imitatorem ejus Patricium ſæpius revolviſſem, alteri oculatiori opus Authoris intactum reliquiſſem, & plurimorum annorum ſtudiis acerrimis libenter peperciſſem, & authorem hunc pluſquam Cymeriis tenebris involutum, magno Philoſophorum & Medicorum, ſed præcipuè Chemicorum damno, qui ſalutem non aliunde quam in ſaluberrimo hujus Authoris ſinu exſpectare poſſunt, reliquiſſem.

## CLAVIS LIBRI

### *Per quam hujus Authoris Philoſophandi modus exercetur.*

HÆc Philoſophia non eſt nova, ſed renovata, ut pote à ſubtili Proclo aliiſque Platonicis exculta; paucis tamen, propter neglectum ſcholarum vulgarium obvia: in hac enim à cauſarum primarum natura, ad effectuum multifarias demonſtrationes & explicationes proceditur, eadem certitudine, qua ſolent Euclidis Elementa, omnibus Geometricis demonſtrationibus præire: nec ex dubia verborum ſerie, aut frivolarum diſtinctionum & ſuperficiariarum eluſionum circo, & ſimilibus evaſionibus (quæ remoras cum Plebe venantur) conſtat, per quas tam longè, ut plurimum à vero ſcopo oberratur, ut poſt longas divagationes, de qua re fuerat prima diſſertatio, vix conveniat: ita nunquàm ſit aliquis veritate munitus, ſed quam fallaci aliqua diſtinctione, aut ſophiſmate ſit promptus animadvertitur: fateor, aciem ingenii talibus exercitationibus expoliri, & in juvenibus iſtum modum ſuos habere uſus & abuſus, ſitum enim rubiginemque juvenilium ingeniorum detergit, ſed quò in eo quis exercitatior fuerit, tantò in fallaciis vendicandis ſecurius veteraſcit; & ita ſemper falſum pro vero venditat, ut vix unquam portum (qui animum veritatis avidum ſatiat,) attingere meditetur: Vidi ego multos quorum capita (ut author noſter refert) nive tecta conſpiciuntur, qui in iſtis nugis conſenuerunt, neque tamen tam anxii fuerant ut medullam rerum enucleant, quàm ut effugium aliquod inveniant, quo auſcultantium animos hinc atque inde faſcinent: unde patet maximam partem ſcholarum vulgarium, quæ veritatem doctrinæ Phyſices in ſola librorum lectione collocant, non tantùm ſapere, quàm ut vel viſum vulgaris alicujus deſtillatoris Chemici (qui plus inter carbones, & immundum cinerem, veri-

veritatis Phyſicæ eruit) continere valeat: Sed hic per inductiones Platonicas agitur, ubi ex conceſſis, probatis & allegatis, concluſio cauſæ infertur: itaque ſic quæſtione propoſitâ, traduntur definitiones, diviſiones: tunc ad axiomata perpetuæ veritatis tranſitur, quæ ab adverſario ipſo conceſſa fuere; tandem ad propoſitiones quæ demonſtratione præcedent, & propoſitione data adferuntur omnes rationes, inſtantiæ, & inductiones, quæ veritatem propoſitionis impugnare poſſint: V. G. ſit ſequens propoſitio pro exemplo. *Omne productivum alterius præſtantius eſt naturâ producti*, ſed quia hæc propoſitio problematica eſt, ad incudem hujus doctrinæ ſubjicienda erit: propterea dicitur, vel eſſe præſtantius, vel deterius, vel æquale: non enim datur quartum; itaque per axiomata præcedentia, indubitatæ veritatis, & conceſſa ab adverſario (quæ in progreſſu in praxim producentur) demonſtrabitur productivum non eſſe deterius, nec eſſe æquale; reſtabit ergo veritas concluſionis. *Omne productivum alterius præſtantius eſſe naturâ producti*, quod probandum erit: Itaque propoſitio hæc poſt demonſtrationem futuram, in progreſſu operis, manebit certa & accepta, deinceps ab adverſario, vím Axiomatis retinens, quando quis pro legitima demonſtratione alicujus rei probandæ, adferre voluerit: & ſic ſi bene juxta methodum hujus artis, omnia in unum coëgeris, videbis concluſionem neceſſariò ſequi abſque divagationibus à primo ſcopo. Tunc à diviſionibus tranſitur ad poſitivam doctrinam, quæ tota in explicatione occultorum terminorum, qui ab iſto authore paſſim intextantur, conſiſtit: Doctrina autem poſitiva conſtat in cognitione trium primorum ordinum ſpheræ entium radicalium, quæ hic infra præ oculis ſubjicientur, & in ea conſideratur ſeptenarius numerus ſingulorum ordinum, à vertice tabulæ ad ultimum deſcendentes: & primi tres ordines ſunt radicales, alii quatuor magis, alii minus ſunt adſcititii ſeu adventitii, & inter tres iſtos ordines, primus fundamentalis eſt, radicalis maximè, & ſe ſtantis, continens ordinem entium radicalium, originalium & incorpororum, & qui concipiuntur in inſtanti creati, & ſuper quæ, ſicut ſuper Ideas & exemplaria, aut nexus angulares, ſecunda aut poſteriora Entia partim ſe ſtantia aliſtantia fuerant in tempore producta, ad quadraturam & cubum naturæ implendum; ſeptenarium autem ordinem volui in hoc ordine eligere, quia maximam habet ſeptenaria multitudo cum unitatis natura affinitatem; & ſpecies hujus ordinis, quamvis ab infinita proveniant potentia, & in infinitum diffundantur, illa tamen à fine infinitum numerum colligente, in ſeptenarium terminatur, quorum primus quaſi centrum erit, ens creatum, aut primum mixtum Metaphyſicum, implicans

aut

aut continens in se, potentiam, quæ reliquos sex ordines inde in effectum explicare possunt; & illa erunt essentia, quæ se explicat in Vitam, Vita in Intellectum, Intellectus in Animam, Anima in Spiritum, Spiritus in Naturam seu Formam, & Forma terminans se in materiam: & hi septem ordines dicuntur Elementa radicalia, & fundamentalia, continentia rationes incorporeas rerum corporearum, principia incorpora corporearum, & corporum, rationes indistantes corporum distantium, regulas & mensuras mobilium, immobiliter continentia; & dicuntur Elementa, metaphorâ à mechanicis rebus deductâ; nam sicut typographis literæ sunt Elementa syllabarum, syllabæ vocum, voces orationum: aut sicut cæmentum & lapides sunt Elementa subministrata pro ædificiis construendis, sic fundamenta prima & Elementaria Metaphysica, sunt per se stantia αὐτουπόστατα dicta, & sustinentia Ἐπιρέστατα quæ non nisi adminiculo verarum substantiarum stare, nec concipi possunt: & hæc septem entia primi ordinis, in fonte, hoc est spacio infinito in prima emanatione, idem & vnum fuerant, sed post emanationem aut separationem, plura; quæ demonstrabuntur in commentariis super textum. Secundus vero ordo erit primorum Ideatorum, seu secundo exemplatorum, in tempore productorum, & distinguuntur per gradus corporeitatis, & à fronte incipiunt, & finiunt descendendo in atomos; & sicut primus ordo fuerat Elementorum radicalium, sic secundus hic dicitur seminarium rationum: similiter & astri nomine insigniuntur, spiritus item vocantur, & dicuntur fructus producere, hoc est corpora ex incorporis; & in istis ordinibus quò aliquid magis ad primum seminalem ordinem & gradum approximaverit, eò magis dicitur incorporeum corpus: quò vero magis declinaverit ad atomos, eò magis corpus incorporeum dicitur. Vocantur etiam series rationum seminalium, vincula incorpororum aut invisibilium, nempe Elementorum radicalium aut causarum & corporum, hoc est sensibilium, & incorporo oppositorum, & hujus ordines sunt etiam septem, ut videre est in tabula Entium Radicalium. Tertius ordo est Principiorum Hypostaticorum aut principiorum corporis, quæ sunt Mercurius seu fluor, ignis & aer, tum verorum corporum, & sunt sal, sulphur, terra, aqua, quæ quatuor Elementorum concretorum aut secundo exemplatorum numerum implent, & quia promiscuè utitur Author hic nomine Elementi in toto opere, consulat sibi lector ne æquivocatio errorem pariat, & in eum errorem, ex quo nunquam potuerant Libavius & Quercetanus ante hac se se extricare, nec eum vitabunt alii, quamvis millies authores relegant, nisi in doctrina Platonicorum prius ver-

versati fuerint, aut ista quæ à me deinceps, ex Platonicorum scriptis, & ex commentariis in textum traduntur, legant, & tunc quare ego ista Hypostatica principia appellem Mercurium, ignem, & aerem, contra mentem Quercetani, Libavii, Senerti, imo ipsius Authoris, & aliorum Chemicorum, qui salem & sulphur inter Hypostatica principia statuunt, rescient; de quibus videantur commentaria in textu Capitis de principiis corporum. Jam ut ultimam manum huic scediasmo imponam, reducam methodum horum Commentariorum in praxim super tres istos primarios ordines sphæræ radicalis, exemplo Propositionis 18. Articuli de vita, quæ una est ex multis aliis, quæ in commentariis super textum reperitur, & quæ ad hujus doctrinæ elucidationem maximè conferre potest, & exemplo esse pro aliis.

## ILLUSTRATIO XVIII. PROPOSIT.

### *Articuli de Vita.*

*Omne causatum manet in sua causa, & progreditur ab illa, & convertitur ad ipsam.*

ANtequam ad demonstrationem veniamus, aliquid de observatione terminorum ad Propositionis futuram demonstrationem, necessarium monendum esse dixi, in hac enim Propositione tres terminos esse observandos moneo, *mansionis nempe, progressionis, & conversionis.* Manere proprium est Septem Elementorum radicalium, stabili centro alicujus sphæræ similium, quorum ordinationes quamvis per Septenarium numerum, humano more videantur à nobis divisæ, tamen non tam divisæ quam distinctæ aut repræsentatæ concipi debent, quatenus intentiores aut remissiores vires, quasi distinctionum terminos in orbem constituant, & ita ut quamvis sub septem circulorum concentricorum facie, sensibus objiciantur, tamen non sunt nisi radiorum emanationes infinitæ, quæ sphæram primam activitatis, primi gradus Entis, viribus & virtutibus suis implere undique concipiuntur, usque ad remissiorem gradum quem essentiam vocamus, & ab essentia in vitam, usque ad naturæ seu formæ terminum, qui omnem infinitæ potentiæ & harmonicarum rationum impetum, & omnes ejus vires per finem in materia supplere debet: itaque septem entia radicalia sunt septem gradus mansionis, & stabilitatis verorum Entium, centro sphæræ comparabilium, & quando absque

diffu-

diffusione virium ad extra in se manent, tunc repræsentant multitudinem unitam, centro similem; quando vero diffunduntur per vires, unitatem discretam, & secunda Entia, & imagines Entium repræsentant, & areæ alicujus circuli assimilanda se se præferunt. Et quamvis singulæ intercapedines septem circulorum cocentricorum videantur quasi per hanc divisionem, tot interstitia vacua: tamen ab infinitarum virium, & virtutum seminarium gradibus, tot radii & circuli propemodum infiniti sibi invicem ad angulos sphærales, rectos, se se tangentes, & intersecantes, concipi debent quantum interstitia illa (fluida soliditate intertexta) reddere possit plena, & hæc Entia radicalia, ab Authore nostro, & sparsim in commentario super textum vocantur uno nomine (septenarium includente) Ideæ & exemplaria; Entia vera, incorpora & æterna, materia radicalis, tota substantia, causa conservatrix potentiarum & effectuum; dicuntur etiam tota, quia alimentum partibus suppeditant, nempe incorporeis & corporibus: ab Hippocrate horum progressiones & reditus ad causas vocantur Orcus & Tenebræ, sicut videre est in Hippocrate libro primo de Diæta, *Secundus* terminus est progressionis: progredi autem est proprium septem seminalium rationum, quæ vincula vocantur incorporum aut manentium, & corporum inde continuo fluentium; vocantur etiam Astra, quæ sunt incorporea corpora, & corpora incorporea,& Astrum dicitur virtus & potentia rei: tinctura etiam & fructus istorum astrorum seu concreta elementa, vocantur etiam secunda Entia, quia declinant à stabilitate verorum Entium: Vocantur etiam Astra, quia ut Astra concipiuntur sua habere plenilunia, & interlunia, & à sole vitam viresque ducentia, sic incorporea corpora, spiritus, qui ab authore sæpius vocantur Mechanici, in progredientibus istis contenti, continuationem virium seu potentiarum, ab istis Elementis radicalibus indesinenter hauriunt; quò plus aut minus ad ista Elementa radicalia accedunt, aut removentur; à sole enim progredientia Astra, vires per calorem & lumen accumulant: convertentia verò vires à lumine diminuto amittunt, & in conjunctione novas pro dispensatione œconomiæ mundanæ acquirunt: hanc autem mundanæ œconomiæ administrationem Hippocrates, doctâ profundâque prosecutus est Philosophiâ, divino illo libro de Diæta: hic enim postquam ostendisset seminum progressionem ex Orco in lucem, quasi à mansione ad progressum tendentem, ad hominis descendit naturam, inquiens, *& alia omnia & anima hominis*, *corpus vero animæ consentaneum fabricatur*, ita sæpe Hippocrates animam vocat radicem, vitale Elementum, principium, tincturam radicalem, mix-

mixtioni non subjectam, nec ulla necessitate corporeis prædestinationibus implicatam, sed spirituum beneficio & vinculo, corporibus alligari; & hos Spiritus Mechanicos, in quibus corporum principia, & signaturæ fundantur, animæ opponit, quia dicit istos Spiritus Mixtionis, Separationis & Generationis sortem & necessitatem obtinuisse, ideoque ab Hippocrate Anima dicitur, principium corporis, ab hac enim fluit corpus: item in libello de locis in homine, *De hoc circulo mansionis, progreßionis, & conversionis intelligens dicit*, se nihil in corpore reperire, cui principium aut postremum adscribere possit: nam ut circulum describens, nec principium nec finem inveniet, ita circulo seminariam naturam comparat: sed qui plura de his intelligere velit, legat librum primum Hippocratis de Diæta, librum de locis in homine, librum de natura pueri, item de genitura: Tertius terminus est conversio: est autem conversio, reditus ad suam causam, propter Sympathiam quam habet effectus cum causa, & conversio illa intelligitur de rebus incorporeis: corpora enim inepta sunt ad conversionem, & quia singulis momentis pereunt corpora, derelicta à Spiritibus Mechanicis, summâ naturæ sagacitate à Spiritibus per additionem novarum potestatum, resarciuntur corpora, ita ut ex incorporis, fiant incorporea, & incorporea ad suos abyssus, divinos recessus, & ad incommensurabiles mansiones, causæ redeunt, & denuo quasi per sistolem & diastolem eunt, & redeunt, & hac ratione per propagationem individuorum, & corporum renovationem, corpora æternitatem æmulantur.

## *Demonstratio Propositionis Præcedentis.*

HÆc propositio demonstratur pro exemplo aliarum propositionum, per sex inductiones ab absurdo, quarum *Prima* est; si enim aliter contingeret, hoc est: quia vel solum maneret causatum in causa, & tunc non differret à causa, & indistinctum à causa maneret: Simul enim cum distinctione progressio est; similiter & tunc, ex uno quod est primo, non fieret id, quod non primo, ut demonstrabitur: non ergo manet solum causatum in causa, sed etiam facit aliquid ultra.

*Secunda inductio*; Si enim aliter contingeret, fieret; quia progreditur solum, & tunc inconjunctibile esset, ad causam, & asympates, nullatenus cum causa communicans: nam à quo progressus, ad hoc conversio, per Propos. 15. Articuli de vita; igitur non solum progreditur, sed etiam convertitur.

*Tertia deductio*; Si aliter contingeret, hoc accideret, quia ſolum convertitur: tunc quæretur quomodo quod eſſentiam non habet ab aliquo, faciet converſionem ad alienum? non ſolum ergo convertitur, ſed progreditur & movet.

*Quarta inductio*; Si aliter contingeret, hoc accideret; quia ſolum progreditur & manet, ſed non convertitur: & ſi ita, quomodo naturalis cuique appetitus ad bene eſſe, & ad bonum, & ad gignens intentio? ergo non ſolum manet & progreditur, ſed etiam convertitur.

*Quinta inductio*; Si aliter contingeret, hoc accideret, quia progrederetur cauſatum à cauſa, converteretur, ſed abſque manſione: & tunc quomodo cum diſtat à cauſa, conjungi properat ad ipſam in conjunctibile, cum fuerat ante diſceſſum?

*Sexta inductio*; Si aliter contingeret, hoc accideret, quia manet & convertitur, & non progreditur: tunc quomodo non ſeparatum connecti poſſit; connectens enim omne, rediens in illud, aſſimilatur à quo diviſum eſt, ſecundùm ſubſtantiam: neceſſe eſt igitur, vel manere ſolum, vel connecti ſolum, vel colligere extrema invicem, vel inter medium, inter utraque extrema, vel ſimul omnia: relinquitur ergo cauſatum, & manere in cauſa, & progredi à cauſa, & converti ad cauſam, quod probandum fuit:

## ILLUSTRATIO DEMONSTRATIONIS

### *Ab exemplo Tabulæ vel Sphæræ Entium Radicalium in proceſſu occurrentis.*

SInt ſeptem Elementa concreta & principia corporum ſeptem interſtitiatorum radiorum portiones, ab interſtitiis ſeptem circulorum Radicalium eſſentiæ & vitæ conſtructæ, & ad angulos rectos ſectæ, & interceptæ; aut cauſata ſint Elementa radicalia manentia, quaſi centrum & cauſa: dico cauſatum, nempe Elementa concreta, aut radios manſiſſe in cauſa, aut centro, ut cauſam in ſuo eſſe conſervarent: ut in cauſa rationes incorporeas, Principiorum corporis, & concretorum Elementorum in inſtanti retineret, & progrediendo in tempore exponeret: ut menſuras indiſtantes concretorum & diſtantium Elementorum, intus intuitu quaſi addiſceret, & foràs in tempore exponeret, ut typos immobiles concretorum & mobilium, in momento intus contemplaretur, & foràs in tempore exponeret, ut regulas Ideatas,

extra tempus, intus conciperet, & ad extra in tempore perficeret, ut ordines insensibiles Elementorum sensibilium, ad circumferentiam dirigeret, ut causas implicitas causatarum explicandarum conciperet, ut mansionis rationem aperiret: dico etiam causatum, nempe concreta Elementa, fluere & extendere se, aut progredi à causa aut centro, nempe à radicalibus Elementis, ut secum scientiam, astra, virtutem seminariam, vires & potentiam, causæ extra & in actum ad circumferentiam proderet, & cum circumferentia per gradus artificiosè colligeret, ita ut primo progrederentur incorporea corpora, propter similitudinem causæ, & tandem corpora incorporea propter similitudinem causati, qui Spiritus Mechanici appellantur: similiter dico, causatum ut fructus causæ, post progressionem converti ad causam, & conversio ista fit beneficio vinculorum & Spirituum incorporeorum, & corporeorum Spirituum, in iis enim (tanquam astris & radicibus) partium & scientiarum distinctiones, & signaturæ asservantur, & quasi ad centrum singulorum spirituum thesauri, propter Sympathiam, (quam causatum cum causa habet) revocantur; postquam principia corporum & Elementorum concretorum fundamenta, ad œconomiæ mundanæ fabricam, necessaria produxerint, ut inde mixta corpora, quasi imagines secundorum Entium, ex se prodant, & terminos mundanæ Anatomiæ constituant.

### *Applicatio Demonstrationis ad speciales quorumque primorum ordinum Sphera Entium Radicalium determinationes.*

Sint Atomi causatum ut incorporeum corpus: dico igitur ante productionem mansisse in prima sua causa, nempe in materia radicali, aut in harmonicis rationibus materiæ, quasi in centro, & progressos fuisse ab Ente, primò per essentiam & alia intermedia Entia usque ad materiam, & inde in effectum, nempe in virtutem seminariam seu spiritum corporeum, aut incorporeum corpus prorupuisse, quasi in circumferentiam sibi propriam, & reliquas intermedias, usque ad Atomos: & pariter sit aqua causatum, dico mansisse aquam prius in Atomis, ut in causa, progressas fuisse in effectus, nempe in aquam, per seminarias rationes, & ab aqua denuo per Atomos sese ad materiam convertisse, & simul fuisse prius in materia radicali ut in causa: ita ex hoc exemplo de reliquis sentiendum, nec lectorem deterreat difficultas quæ ulteriori lectione facilè delebitur.

DIS-

# Discussio Æquivocationum Capitis

## *De Elementis radicalibus sive in sensu sive in verbo repertarum.*

ITa dispares esse vulgarium Philosophorum de Elementis concretis sententias invenio, ut nec in numero, situ, qualitate & essentia, conciliari possint: conqueritur Author in numero; nam cum sensibus solum fisi sunt veteres mediæ ætatis Philosophi, usque crassa Minerva trutinantes, ut tria duntaxat statuerent Elementa, aerem, aquam & terram. Post quos venit Ocellus, qui ignem adjecit, ex quo mutuatus est Aristoteles ignem suum, quem in Lunæ concavo induxit. Ita ut quid dicat de situ Author, satis absque longiori discursu patet, & dicit concreta Elementa, cætexodem, seu potius per usum vulgarem loquendi, ita vocata fuisse, quia in illis generationes & mixtiones aliæ, aliorum Elementorum, mirabili fructuum varietate & vicissitudine gaudentium, deprehensæ fuere: his quintum & quartum, aliis superemineus Elementum adjecit, tamen *non ignem nec igneum quid*, sed *spiritum in spumoso semine contentum*, *qui in se naturam habebat firmamento aut Elemento stellarum Analogam*, ex quibus verbis, quam vacillanter de illa natura senserit, & in rerum praxi quæ per destillationes chemicas exercetur, quam fuerit non forsan tam rudis, quam malitiosus Aristoteles; satis quilibet percipere potest. Tiro enim aliquis chemicus naturam vocasset Mercurium, fluorem, vel spiritum, qui in omnibus inferioribus ut participato sui ordinis inesse debet, de qua re videantur commentaria de fluore: quid autem hic Author de elementis totius naturæ receptaculis, incorporeis, inanibus, vacuis, in quibus lux & seminales rationes postea insertæ fuerant, intelligebat; satis de instituto super commentaria in ipsum textum explicatur, eaque fuisse primas rerum conservatrices causas, tum seminum & concretorum Elementorum inde producendorum authores, & inde quæ producuntur, fructus esse & effectus earum causarum, perpetuâ vicissitudine mixta corpora foventium, administrantium & producentium, & quidquid tales fructus producere potest, jure merito Authore nostro Elementum vocari potest, quæ quidem cum sint prima illa & summa naturæ fundamenta, mixtionem omnem respuent, sed aliorum Elementorum, quippe concretorum, infra se adminiculo seminum producendorum ministerio utuntur, non secus ac Pharmaca, quæ à Pharmacopæo miscentur, nec manus, nec pistilum Pharmacopæi mixtionem ingrediuntur, sed artifex Pharmaco & instrumento utitur, ut mixtionem corpo-

ream perficiat; sic mixtio fit beneficio causæ, at mixtum fit beneficio concretorum corporum, mixtionem ingredientium; Tria igitur erunt Elementa mixti: primum erit absolutum radicale, incorporum, fundamentum & totius naturæ Elementum; prima causa, & nunquam miscetur: sed est author mixtionis. Secundum erit Elementum seminale, & erit incorporeum corpus, aut spiritus corporeus; & sic qua corpus, miscebitur; sed qua spiritus, partim miscebitur, partim non miscebitur. In tertio verò ordine, erunt principia Hypostatica, fluor aut incorporeum corpus, quæ qua spiritus aut incorporeum corpus, non miscebuntur, & qua corpus aut corpora Hypostatica, miscebuntur, sive sint Mercurius, ignis, & aer, sive duo Elementa activa, sal & sulphur; & passiva, terra & aqua: quæ fructus & effectus sunt duorum primorum, & dicuntur concreta, quia simul ad mixtionem corpora concreta adducunt, ut mixtionis materiam suppeditent, quanquam quatuor Elementis vulgaribus, Mercurium, Salem, & Sulphur pro principiis Hypostaticis corporum juncta esse affirmat author: tamen, quam longè ista à veritate diffideant, inquirantur ex iis quæ à me super principia Hypostatica dicta fuere, & videbitur quam malè interpretentur, Sal & Sulphur esse principia Hypostatica, quæ dum ipsa sint corpora, eodem tempore corpora & principia corporum esse non possint, & cum ignem & aerem in numero concretorum Elementorum reponunt, vix hoc cum bona ratione admitti debet: Sunt enim ignis & aer, non pura & concreta corpora, sed spiritalia & concretorum corporum principia: erunt igitur fluor seu Mercurius, ignis & aer, principia Hypostatica, erunt & Sal & Sulphur, non principia Hypostatica, sed prima corpora Hypostatica, ex Hypostaticis principiis producta, & cæteris corporibus, viribus, essentia, & actionibus anteponenda. His igitur quasi præambulis provecti, ad primum caput properandum. Sed antequam præambula hæc finiantur, operæ pretium erit paucis monere totam veterum Theologiam, Politicam, Moralem, Physicam, Chemiam, totam Philosophiam, sub fabularum involucris fuisse primis nostris parentibus revelatam, exemplo Divinæ Majestatis, quæ per Moysen, Prophetas, Euangelistas & Apostolos, multa apertè, sed plurima parabolicè & mysticè nobis tradidit: & ita testatur Esdras ex ipsius Dei verbis ipsum alloquentis, ut est Esdræ Cap. 14. & ultra in progressu citatur: unde patet sub similium occultationum velaminibus totam Religionem Gentilitiam fuisse ab illorum Presbiteris Plebeis diffusam, cujus tamen sensus occultus inter ipsos reservabatur: neque enim verisimile est, ingeniosum Nasonem voluisse fabulas suas Metamorphoseos, ut veras nobis traducere, sed

solum

ſolum ut occultam Theologiam & Phyſicam veterum nobis exprimeret: inde evenit quod tota Præſbiterorum Ægyptiacorum Philoſophia Miſtagoga fuerit, & Theologiæ ſoboles, ſive illam ab Adamo revelatam, ſive ab ipſis Aſtrologiæ cæleſtis & terreſtris obſervationibus vetuſtiſſimis & elaboratis, Divini ſpiritus inſtinctu hauſtam acceperint, & talem doctrinam Zoroaſter inter Chaldæos, Orpheus, Pytagoras, Plato & Platonici inter Græcos profeſſi ſunt, & ad Latinos profuderunt, unde tot fabularum Myſteria inter vulgus ſparſa ſunt, ut eſt fabula de Poro, de Penia in virgulto Jovis, in convivio; Pſyches & Cupidinis amores & connubia; in Apuleo, Deorum Mithologia, & tales fuerant Metamorphoſeos Ovidii fabulæ, inter quas apprimè illa Caſtoris & Pollucis fabula, manſioni cauſatarum in cauſa progreſſioni ad effectum, & converſio denuo ad cauſam denotatur: Caſtor enim & Pollux, ut doctè & diſertè ſicut ſolet Illuſtriſſimus Dominus, Dominus Michael Marolius Abbas de Villelomi proſopia Illuſtri, & multiplici eruditione nobilis, in annotationibus ſuis ſuper fabulam templi Muſarum à Nobili Faveret editam ſatis ſuperq; enarratur. Fuerant enim Caſtor & Pollux fratres ex Matre gemini. Pollux primò genitus ex Jove Parente, Caſtor verò ex Pindaro Patre natus, nonne cunabula mundi in hoc exemplo exprimere voluerunt Poëtæ? Deus enim ex ſui ſcientia & voluntate mundum condere volens, nonne ex voluntate ſua, ut per finem, & ex ſui ſcientia quaſi infinitam potentiam produxiſſe videtur? Ex quibus Ens primum mixtum Metaphyſicum creatum fuit, ut ſæpius in pluribus locis Platonis à Soctate infertur. Ens autem una res eſt in ſe manens, quæ particeps eſt infinitæ potentiæ, quod autem in ſe manebat, dualitatem præſupponit, dato enim uno oppoſitorum, datur etiam & alterum: ſi igitur detur in ſe manens, dari etiam debet aliquid extra ſe progrediens; at extra progredi eſt à ſtabilitate & æternitate producentis diſcedere, & ab uno in multitudinem ſe ſe ſpargere. Ens igitur creatum, verum chaos veterum Poëtarum, unum nempe in ſe & omnia extra ſe, ab increato manens, ſtatuetur, ex cujus potentia, ut Matre una, fætum gemellum, actionem nempe & paſſionem parere, intelligitur: actio Jovis prolem, nempe ſibi ſimilem Pollucem producit, qui æternæ Parentis Proles eſt Æternus; Caſtor quia paſſio eſt, & ut fonti ſuo remotior, non ex Jove, ſed ex paſſione Pindaro, mortali Parente naſci fingitur; ambo ſimiles, quia ex eadem Matre nempe potentia nati, ambo ſtellam ſupra caput gerentes, nempe duo oppoſita Entium Radica-

lium, nempe Elementorum Radicalium signa: essentiam dico seu formam per Pollucem, sed materiam per Castorem, denotans; Castor ad Inferos descendit, nempe ad ultimum gradum ordinis Entium Radicalium, ut infinitam potestatem protendat in spatio finito. Quia à Polluce immortali, fine nempe, limitari debet, & in spatio finito exerceri, equo devehuntur albo, propter actionem vividam, albo; quia albedo est principium lucidum, unde colores sensibiles & mortales discernuntur. Sicut intelligibile principium insensibile, quod ab intellectu solo discernitur, sicut etiam progressus & conversio sunt principia omnium affectuum, unde ex insensibilibus fiunt sensibilia, & ex sensibilibus denuo insensibilia, dum unus ascendit, alter descendit: Castor enim mortalis impulsus progreditur, deferendo ab Ente essentiam, vitam, intellectum, animam, formam, & materiam: Pollux immortalis reducit conversibile ab inferis, materiam & essentiæ per eosdem gradus redit: sic redimitur Castoris vita mortalis à Pollucis immortalitate. Per mortem Castoris sæpius repetitam, intelligitur peritura natura seminarium rationum, tum Elementorum & mixtorum, sicut omnium rerum naturalium: per immortalitatem Pollucis intelligitur ortus perennis rerum, sicut sæculorum, annorum, dierum renovatio, & talem conversionem non solum fluxus & refluxus maris sensibiliter testatur, sed etiam ejusdem perpetua littoris percussio, & à littore retractio, à totius mundi sistole & diastole, è spacio infinito permanentes, ubi totius mundi respiratio contemplatur; & quæ quidem in hoc mundo operatio manifesta est, occultè quamvis certè in solido terræ globo, in Mineralibus ibi contentis, in aere & in firmamento esse ostenditur, & proinde omnia vivere demonstrantur: ita ut simul semper reperiri jure merito sentiantur isti duo fratres Pollux & Castor, unus semper vivens, alter vivens & moriens, quam vicissitudinem pulchrè exprimit Virgilius sexto Ænæadon.

*Si fratrem Pollux & vagus Hercules,*
*Itque reditque viam toties.*

Item Horatius Ode lib. 3. Pollucem intrepidum sicut Herculem nominat; ambo enim ut ait ad Palatium flammeum stellarum ascenderunt, ubi Augustus in medio nectar, hoc est potum, mentales nempe Deorum facultates bibere fingebatur.

*Hac arte Pollux & vagus Hercules,*
*Innixus arces attigit igneas,*
*Quos inter Augustus recumbens*
*Purpureo bibit ore nectar,*

Unus

Unus ad pugilitiam artem, alter ad exercitium equorum educatus: ita Ovid. Eleg. 2. libro 3. Amorum.

*Pollucem pugiles, Castora placet equis.*

Per pugilem Castorem intelligitur actio indefessa, quam exercet in productione rationum seminalium, tum Elementorum concretorum, tum mixtorum: beneficia Castoris fratris, cujus ope in instrumento naturæ utitur, indefesso suo opere producendo, pellit & repellit, ducit & reducit: Sic ex hac fabula plurimæ aliæ explicari possunt ad cognitionem rerum naturalium multum utiles.

## *Divisio libri.*

DIviditur hic liber in 15. capita, & in calce singulorum capitum addit Anacephaleosim succinctam præcipuarum rerum, quæ in capite continentur, quarum explicationem & enodationem prius videre, & sæpius considerare debet in hoc prodromo cum brevibus istis commentariis, studiosus lector, antequam ad totius textus lectionem pervenire tendet, & ex iis initiis majora forsan proferet, quam prima facie polliceri videntur: hoc in loco magis ardua, ut pote quæ remoram lectori manifestam adferre possunt, attingere studebo: faciliora, ut quæ obtusioribus ingeniis obvia erunt, intacta relinquam, ne opus hoc in molem nimis magnam exsurgat, & mihi laborem & lectori fastidium utique præparet.

## *De stylo Authoris methodoque ejus scribendi tum docendi.*

SCribendi stylus hujus Authoris est concisus, in multis tamen copiosus, nam cum miro suo dicendi & explicandi genere veterum Philosophorum, ut Procli, Platonis, Platonicorum, Hippocratis, Galeni, Paracelsi, sententias exponit. Methodus docendi hujus libri est primo Synthetica, hoc est compositiva: incipit enim ab uno & Ente, ut componat multitudinem unitati conformem. Est etiam in fine, quando ad corpora mixta accedit, Analytica, resolvendo multitudinem ex uno in unitatem, & unitates, quæ omnia ex Praxi chemica satis abunde ostenduntur. Methodus autem docendi consistit in quatuor: arte, artifice, subjecto, & fine: artem includit author capite primo & secundo de progressu & ortu artis medicinæ, Medicorumque diversis Sectis, tum quid sit Medicina, & quæ fundamenta habeat in natura: Super hæc videantur commentaria super textum.

# CAPUT PRIMUM

## *De ortu & Progressu Philosophiæ, tum Medicæ artis Medicorumque, tum Philosophorum diversis sectis.*

### TEXTUS PRIMUS

### *Celebris est memoria Æsculapii &c.*

OPinionum diversitas & dissentiendi studium in Philosophia & Medicina sicut in aliis omnibus artibus, ita semper viguerunt, ut quò infæcundiora ingenia protuberabant, eò omnibus seculis sectas magis vel minus celebres pepererunt, cum tamen vera ratio, quæ nunquam errare debet, & quæ experientiam indissolubilem comitem reclamat, nihil æquè nobis allatrare videtur quam ut præ oculis illud dicterium semper habeamus, nervum sapientiæ esse nihil temerè credere; Propterea qui à credulitatis compedibus liberari desiderat, ante omnia detersis oculorum nebulis, quid, & non à quo diceretur perpendere convenit. Et non secus ac inter bonos judices fieri consuevit, qui post velum causas cognoscentes, quid diceretur audirent, qui diceret non viderent, atque sic veterum Philosophorum turba, quorum ingens fuerat numerus, & ingenia acutissima, & Divino Spiritu à cunabulis naturæ instructa, audienda erat, ex quorum numero fuerit Moyses, & Patriarchæ, Prophetæ, Euangelistæ, Sancti Apostoli, Patres multi, & hodie Divinarum literarum interpretes, Christiani non pauci, qui omnes uno ore & consensu fatentur, Divina Oracula à Spiritu Sancto, Parenti nostro Protoplasto infusa fuisse, & per traducem successoribus ejus comissa, qui quidem omnes usque ad Abrahamum in eodem veritatis ambitu consenuerunt. Sed quantùm per vastitatem homines dispersi & ab origine disgregati fuerant, tantùm Divinorum institutorum immemores, leges & mores condere, & tenebris omnia involvere, hoc est lumine suo lucere (ad imitationem primi naturæ humanæ hostis) cœperunt, posterisque crescentibus, quantùm ab origine progrediebantur, tantùm in prævaricationem, & desertionem Divinorum Præceptorum irruerunt, ut postea Deum ipsum, unum omnium Creatorem, pro Creaturis, & solem & lunam imo vilia animalia, tum etiam inanimata quædam, turpi deliquio com-

commutarint: hinc tanta opinionum etiam dimicatio incerta in Philosophia, exorta est, ut confusione mentium æquè ac linguarum, universum genus humanum turpissima clade obruerint, & Philosophiæ verum nomen mortalibus eripuerint. Nec enim dubium est primum parentem perfectissimam Philosophiam calluisse, cum mille (demptis septuaginta) vixerat annis, eoque tempore, dum præsentia & colloquio Dei fruebatur jn Paradiso à creatione usque ad expulsionem, ubi verisimillimum est, historiam omnium rerum didicisse, casus & res priores, & omnia ejus facta, quæ acciderant posteris usque ad mortem commemorasse; & quamvis non ab omnibus propter mortales curas, sed à paucis retenta fuerant, ac inter alios fortasse fuit, ab eo qui dictus est Mathusalem, filius Enochi, qui cum Deo ambulavit, & à Deo sublatus erat, & à quo verisimile est multa didicisse, & in Mathusalem filium transtulisse, quia is, inter Adamum & Noachum positus utrumque vidit, & cum utroque ut apparet familiariter vixerit, primo obsequia reddens, & ab altero nempe Noacho obsequia accipiens, & hinc traditiones antiquæ Hæbreorum prodierunt, illumque verissima temporum supputatio probat, anno ante diluvium decessisse, agente Adamo sexcentesimum octuagesimum septimum, & ita Mathusalem vivere versarique cum Adamo, & Noachus cum Mathusalemo, commercium plus quingentis annis ante diluvium habuisse potuerat. Noë igitur ante Diluvium omnia vel vidit vel audivit, & antequam mortuus fuerat Noë, natus est Abraham, plus quinquaginta annis, qui familiarem habuit Zoroastrum Gentilem in Zur Chaldæorum, in cujus domo veterem Theologiam Patrumque traditiones par est remansisse. Et quia tunc literarum forsan non fuerat repertus usus, multa oblivioni tradita fuere, quod ita contigit quia à majoribus nostris non à scriptis, sed ab ore duntaxat Posteris traditiones Patrum dimanarunt. Veritas tamen apud aliquos remansit, præcipuè apud illos, in quorum terris res tunc temporis gestæ fuerant, ut qui origini propius adhærebant, nempe Chaldæos, Armenios, Babilonios, Assyrios, Ægyptios, Phœnices, & inde perpetuis successionibus, ad cæteros Barbaros descendit, & ab his ad Græcos & Latinos, & ita non solum genus humanum, sed & sapientia propagata fuit. Generis enim humani exordium in Armænia fuit, ubi Princeps humani generis creari se vidit à Deo, suis cum oculis adspexit pulchritudinem mundi nascentis, ac nati vidit, nomina bestiis imposuit; Noë nepotes ejus qui diu cum annoso Patre vixerunt, vidit; formosumque Patris corpus arte divina celatum vidit; vidit, & Theologiam Divini Parentis recensentis audivit,

ut in Paradiso creatus, ut moratus, ut pulsus, verisimile enim est omnem Genitoris & Genitricis sermonem, Theologiam fuisse; nempe de ortu & habitu Angelorum, Dæmonum, de arbore vitæ, tum cognitionis boni & mali. Et hæc omnia à Noacho, Schemoque, quem inservisse per quindecim annos (si Hebræorum traditionibus fides adhibenda est) confessus est; unde pietas & Sapientia Jobi? nonne verisimile est à Noacho provenisse? quem etiam quamvis vetutissimum, videre & audire poterat, cum non multum distarent, ille in Armænia in terra Hus, quæ pars est Arabiæ desertæ, adjacens Mesopotaniæ, sive Armæniæ minori, & hæc sapientia sicut in Armenia ubi primo fuit Paradisus collocatus, infusa fuit, ante diluvium, sic post diluvium à Noacho, & ejus Filiis diffusa, in eadem regione exculta, & inde per universum orbem diffusa, & Philosophiæ nomine insignita fuit. Quid enim ex Philosophiæ Etimo deducere possumus quam sapientiæ studium, (φίλος enim quid nisi amans, & σοφία sapientia?) & amorem Philosophiæ, quem vix in solo Aristotelis Organo, & in suis libris exotericis, latere credimus, sedula Dei ut Creatoris nostri instinctu; partim ex sacris literis, partim ex Pyrothechnices seu Chemiæ eruta, quæ tota in recta vegetabilium, animalium & mineralium Anatomia consistit; & quorum praxis, & applicatio juxta artis regulas veram Medicinam comprehendit, & Philosophos rectè nominat. Itaque qui à Græcis Philosophus nominabatur, per Persas Magus appellabatur, per Latinos sapiens, per Indos Simnosophista, per Agiptios Præsbiteri, & Mecuballæ, per Hebræos Prophetæ, & Cabalistæ per Babilonios, Ægyptios, Chaldæos, per Gallos & Septemtironales Druidas & Pardos. Et hæc sapientia, quando à Deo inspiratur, cognitionem præbet omnium Misteriorum & Parabolarum Divinarum, sicut sunt interpretationes somniorum & visionum, respondere ad interrogata talia, qualia Regina Sabæ Salomonem interrogabat. In illaque Sapientia fuit Josephus Patriarcha instructus, Daniel cum tribus suis sociis, sanctus Ioannes, & in ea Ægyptii Hierogliphici fuerant valde celebres, & à tali sapientia orta est fabula Smaragdina & Misteria lapidis Philosophici, & illud Ciceronis pro Archia debet unicuique ansam præbere cogitandi, & rectè ad hanc sapientiam appropriari potest, illa quam dicit *nutriri juvenes, & lætari adultos, decorum & gratiam addere posteritati, solatium esse miseriarum, domi esse delectabilem, quæ nec in itinere homines onerat, nobiscum diversatur, & itineratur, & labores nostros concomitatur, & si evenerit quod ægrè acquirere possumus, nihilominus summa admiratione capimur & desideramus videndo in aliis.* Et hæc sapientia quanta proximior

mior eſt origini tanto magis admirabilis, nam tunc omnes comprehendit formas, pulchritudine inter ſe certantes: nam in Angelis eſt ſplendor, in Aſtris corruſcatio, in cælo candor, in aere lumen, in terra viriditas, in aqua claritas, in floribus color, in animalibus proportio, in hominibus decor & gratia, in anima ratio & fides credentibus: dicimus autem hanc ſapientiam, cognitionem Artis Pyrothechnicæ continere, & ob id quod ars Pyrotechnica per ignem doceat modum diſſolutionis mixti, quia ignis præcipuum eſt agens, qui nobis mixtum deligat, & diſſolvit, quo ſenſibus percipere poſſumus ſuæ naturæ diverſitatem, abſque qua impoſſibilè eſt doctiſſimo cuique per librorum lectionem, & authoritatem, per infinitam authorum incertorum & decipientium lectionem, per vanitatem axiomatum Scholarum vulgarium, aut per auram vulgarem, ut poſſit poſſidere juſtum titulum Philoſophi & Medici. Sileat ergo Scholarum vulgarium turba, neque injuſtum ſapientiæ titulum ſibi attribuant, ſed ſerò tandem hujus ſapientiæ veſtigia adorent. Dicitur etiam Pyrothechnia, Chemia, ut monſtretur hujuſce artis eſſentia, & antiquitas. Nam ars Ægyptia tam celebris, Ægyptiis originem nominis dedit, eo tempore quo mater & nutrix erat verarum ſcientiarum, & Primæ Philoſophiæ Hebraicæ fundatrix: & tunc lingua Coptica, quæ vera Hebraica & originalis fuerat primorum Parentum lingua, & per Preſbiteros, hoc eſt Philoſophiæ hujus Profeſſores, Chemia appellabatur, originem nominis à Chamo Noachi filio, qui primus Ægyptum incoluit, urbemque Chemis ædificavit: inde toti Regno Chemiæ nomen datum eſt, & Filium Ozirim, teſtante Herodoto Regem loci conſtituerat. Unde tota Ægyptia nomen Chemiæ retinuit, & hoc Etymon quadrare videtur temino Hermetico, ab Hermete Triſmegiſto dato, quem multi credunt Regem Ægypti fuiſſe, Preſbiterum nempe & Philoſophum, cui titulus dabatur Termaximi, quia cognitionem profundam Vegetabilium, Animalium & Mineralium habebat, & Chemia in ejus memoriam ſygillo Hermetis pro vocabulo artis utitur, hic tamen primus inventor non erat. Nam dicimus diu ante Tubalcainum filium Lamechi, (de quo Græci Vulcanum deducunt) fuiſſe magiſtrum & artificem operarium ferri, & æris. Sicut legitur Capite 4. Geneſis verſu 25. qui traditione reliquerat ſucceſſoribus cognitionem ſuæ artis uſque ad Chamum, qui urbem Chemis condiderat quæ ut dictum eſt teſte Herodoto, nomen toti Ægyptiorum Regno dederat, & hæc ſcientia totum Ægyptum Chemiam nominavit, & ad Hermem pervenit, in cujus ſepulchro in valle poſt diluvium reperto Smaragdina tabula, aureis

literis depicta, inventa fuerat, inde ad Zoroaſtrum, qui tempore Abrahami vivebat, in Zur Chaldæorum, & qui Princeps fuerat ex ſtirpe Sem, Filii Noë majoris natu. Hic ut author eſt Plinius, Regnum Bachtrianorum ſibi ſtabilivit. Et Nino Regi de finibus bellum moverat: dicitur fuiſſe Principem ætatis ſuæ primum, antiquiorem Moyſe quadringentis annis, & primum fuiſſe ſcientiarum Mathematicarum & Phyſicarum inventorem, aut potius traductorem, & inde ad Orphæum per Ægyptios fuit diſperſa, qui Moyſin in ea arte ita inſtruxerant, ut vitulum aureum à fratre ſuo Aarone fabricatum combuſſerat, & in pulverem reduxerat, quem ſupra aquas projecerat, & poſtea populo Iſraelitico bibendum præbuit, quæ perficere neſciviſſet abſque integerrima Chemiæ cognitione. Tandem hæc ſcientia inter Ægyptios manſit poſt Salvatoris adventum, & per ipſos culta fuit qui fama æſtimabantur infinitos theſauros recollegiſſe, per quos ſuſtinebant bella atrociſſima, & per quos ſæpiùs rebellabant contra Imperatorem Romanum, unde Diocletianus (ex Suidæ teſtimonio) omnes libros Chemiæ tranſmutatorios igni conſumere juſſit, ut in poſterum ſecretis illis tranſmutatoriis orbati, in obedientia Romanorum ſe continerent; Et ita ſicuti in Cenchride Pharaone (ut refert Beroſus Chaldæus) finierant Reges Magni Ægyptii qui de Magica cum Hebræis (quam à Chami ſucceſſoribus didicerant) pugnavit, & ab iis ſubmerſus fuerat: ſic ars tranſmutatoria, quæ præcipua artis Chemiæ & Magiæ Caballiſticæ pars eſt, ſub Diocletiano periit. Hæc ſcientia tandem in Græciam per Æſculapium fuit delata, qui poſtquam miracula ſuper Hippolitum filium Theſei ediderat, adoratus fuerat ſicut Deus: poſt quem ſecuti ſunt Podalyrius & Machaon, filii ejus, & tandem divinus Hippocrates, qui in omnibus ſuis operibus teſtatur, in hoc genere Philoſophiæ & Chemiæ fuiſſe verſatiſſimum: nam in tractatu de antiqua Medicina multiſque aliis locis, de nulla re tantum quam de diverſa mixtione ſalſi, amari, & inſipidi loquitur: ubi directè opinionem illorum deſtruit, qui cauſas morborum & magnarum mutationum Elementis vulgaribus, mundum integrantibus conſtituunt, aſſerens neque eſſe frigidum, nec calidum, nec ſiccum, nec humidum, qui faciunt magnas alterationes, ſed amarum, ſalſum, inſipidum, acidum, quas δύναμεις appellat. Et quanquam nullam nominis Chemiæ mentionem faciat, tamen filiis artis quam amplam cognitionem habuerit demonſtrat. Denique ſcientia hæc tempore Galenì declinare cæpit. Ipſe enim Galenus, ſexcentis poſt Hippocratem annis,

nis, testatur, nihil cognovisse; fatetur enim apertè, quod si aliquem reperire potuisset, qui tum diversas aceti partes dignoscere doceret, se usque ad circuitum mundi, ut tale donum attingeret iturum. Sed bone Deus! si jam viveret, quot similes & multo difficiliores difficultates ex Chemiæ cognitione enodaret; Imo Philosophiam Physicam, ( quam ab Aristotelis Peripatethica hauserat, & in Medicorum Scholas intruserat) omnino reformaret, & in genuinam veterum Philosophorum & divini Hippocratis mentem reduceret. Et absque dubio si Galenus, ingens ille aliâ naturâ Genius, hodie viveret; toti orbi testaretur, quam parum huic præclaræ arti fuerat adversus, quæ tot præclaras experientias tum Philosophiæ tum Medicinæ tam necessarias largitur, ut merito sine hac, nemo nec Philosophi nec Medici nomen usurpare possit. Et si Galenus hujus divinæ artis miracula admiratus fuerat, quid non debent alii eo multo inferiores, in hujus artis admirabilibus secretis insudare, & artem Medicam à tam turpibus & rudibus erroribus liberare. Et quanquam non percipimus artem hanc à Græcis multum fuisse excultam, ad minus artem practicam, verùm quidem ex Orphæo pheoricam acceperunt, qui sacram Philosophiam ab Ægyptiis sive Chemicis Caini successoribus traduxerat. Orphæi autem & Lini auspiciis Cadmus Rex ex Phœnicia & Asia in Græciam traduxit. Linus vero Herculis Præceptor fuerat eo tempore quo Samson floruit: tamen inter Arabes etiam latè quidem extensa fuit, cui Alchemiæ nomen imposuerunt, originem inde deducendo ab etymo nominis, nam per Al. denotabant vocabulum Græcum ἁλς quo significabant salem, & chemia hoc est Ægyptus, quasi dicerent scientiam salis Ægyptiorum: & quia post Ægyptos in Græcorum cognitionem transfusa fuerat, nomen Alchæmiæ ex Græco & Ægyptiaco vocabulo ipsi inditum fuit. Ægyptii vero incredibili potentia & industria, interiora hujus artis penetrarunt, quam illorum Reges & Principes multum coluerunt, ut erat Geber, Arabum Rex: Avicenna, Rhases, Porus, Almansor, Avenzoar, Mesue, qui medicinæ studiosis suadebat, ut sæpius cum Alchemistis versarenrentur, ut facultates mixtorum adminiculo ignis addiscerent. Ultimo omnium ad Latinos & Europæos pervenit hæc scientia, & à multis Imperatoribus & Electoribus culta fuerat. Arnoldus de villa nova Medicus percelebris, Regem Neapolitanum, & plures alios lepra laborantes curavit. Raimundus Lullius, Albertus Magnus, Basilius, Valentinus, multum se se exercuerunt. Theophrastus Paracelsus Helvetius, à summis Magistris

giſtris inſtructus fuerat, qui ſumptus multos ſuſtinere potuerant, ut ipſum expertiſſimum redderent, unde factum eſt, ut ſe pro capite Sectæ Alchemiſticæ proclamaverit, & ex ſuo nomine Sectam Paracelſicam vocaverit, & certè multum ejus ſagacitati Medicina debet, ſive à ſeipſo ſive à peritioribus ſuæ ſectæ hominibus deprompſerat: nam materiam Medicam vegetabilium, animalium, & mineralium, (tunc prorſus obſoletam) renovavit, & per Philoſophiam ſuam, talem neceſſitatem hujus cognitionis demonſtravit, & per praxim ſupremam poteſtatem, non ſolum extirpandorum morborum omnium propriæ ſpeciei, ſed etiam vegetabilium, animalium, & nominatim humanæ naturæ, de qua adminiculo Panacæ aut remedii univerſalis, non ſolum languores præſentes curabat, ſed etiam terminum vitæ prolongabat, fortificando & reſtaurando balſamum & humidum radicale, hoc eſt virtutem ſeminalem hominum, uſque ad ſupremum terminum perfectionis: & maxima ejus doctrina, cum maximo applauſu in ſcholis recepta fuiſſet, ſi cum moderamine fuiſſet diſpenſata: tractat enim de rebus pulcherrimis, tam mineralibus quam medicinæ neceſſariis, ſed turbulentus authoris animus, contemptu & odio repletus, contra vulgares Medicos contemporaneos, propter ignorantiam & averſionem, quam pro Divina hac ſcientia profitebantur, tantam rabiem non ſolum contra authorem, ſed maximo Philoſophiæ & Medicinæ detrimento, contra ſcientiam ipſam ſuſcitarunt, quæ ſucceſſione quadam contagioſa tacitè communicata eſt omnium poſteritatum animis, unde orta ſunt tot ſcommata, & ridicula nomina, Ciniflonum, Empiricorum, Deſtillatorum, Medicorum Chemicorum, Spagyricorum, qui doctos viros ab aperta profeſſione abſtrahebant, relinquendo diu exercitium tam præclaræ ſuæ artis Idiotis & Mechanicis, qui incapaces pro exaltatione, aut promulgatione reputationis ſcientiæ tam magnificæ omnino fuerant. Sed ſæculum hoc jam per Dei gratiam incipit clarius proſpicere, & ſatis novit diſtinguere Medicum doctum, & in Philoſophia & in Chemicis inſtructum, æquè bene ac in Galenicis, decernitque utentem Chemia, ut melius Galenum intelligat, utentem deſtillatione, ut melius cognoſcat naturam mixti, utentem Empyricorum remediis, exemplo Galeni, ut felicius medicinæ praxim exerceat; & in hoc ab omnibus gratior eſſe debet, quam præteritorum ſæculorum medicus, cujus capacitas maxima ſtabilita fuerat ſuper edicta prætoria obſervanda, & ſupra Acromatica & Meteora Ariſtotelis diſputando, aut ſuper aggregationem aut ſocietatem ſuſtinendam bonæ alicujus civitatis ad fanaticos aut fucos aliquot alendos ad plebem

plebem decipiendam natos. Sed ad Paracelsum redeam, & dicam ingenuè quod valde dubito, si jam viveret, an omnia volumina quæ sibi adscribuntur, essent à se authorisata: nam stylus, doctrina, doses, praxis, ita differunt; ut facile videre sit, non omnia esse ab eodem genio elaborata. Et verè credo multa volumina, quæ sub ejus nomine exponuntur, non esse nisi diversa scripta, quæ sibi ex diversis locis fuerunt communicata, & post mortem in ejus musæo reperta: nam cum vivebat multa Scripta ab ipso prodierunt, sed post mortem typis commissa ab aliquo, tam medicinæ quam Chemiæ ignoro. Nam ille qui traductionem fecit ex Germana lingua in latinam, Doctor erat Juris, tam capax colligere & transferre scripta docti alicujus Medici, quam Medicus qui velit Commentaria edere supra corpus Juris. Quidquid sit, huc atque illuc in iisdem qualibuscunque operibus, inveniuntur excellentissimæ observationes, quæ absque dedecore in Medico desiderari nequeunt, eo quod non sint non solum supra mineralia, sed etiam supra vegetabilia & animalia tradita, & verè dicere possumus, quod absque illis Chemia non esset in tam sublimi prædicamento collocata. Nam si ille est, qui tractatum de tartaro nobis dedit, magnam & parvam Chirurgiam, Philosophiæ sagacis, tincturam Philosophorum, necesse est ut fateamur, Genium ejus in natura rerum indaganda omnino extraordinarium fuisse, & quod in Mineralibus multa callebat, quæ nunquam neque perventa sunt neque forte pervenient ad humanam notitiam: sed relinquamus Paracelsum, & ad sæcula subsequentia veniamus, quæ famosissimos Medicos & Philosophos nobis tradiderunt, imo Hippocraticos & Galenicos, quales sunt Dorneus Torniserus, Schennenianus, Nollius Hartmanus, Gesnerus, Professor & Medicus Scholæ Parisiensis, Quercetanus, qui omnes Paracelsicæ doctrinæ magna volumina scripserunt, & fatentur sine Chemia Medicinam omnino esse debilem, sterilem ac imperfectam, omnes in quorum manus pervenerunt doctissima opera Petri Severini Dani, operis hujus Authoris, quorum multa magno Reipub: literariæ damno desiderantur, mirantur ingenii acuitatem, hominis capacitatem, & mirabilem in veterum Philosophorum lectione sagacitatem, & supra omnia Excellentiam hujus tractatus, quem Ideam Philosophiæ Medicæ, Paracelsicæ, Hippocraticæ & Galenicæ nominavit; qui testatur, non semper fuisse Idiotas destillatores & operarios, qui se Chemicis miscuerunt. Sed ut plurimum Illustrissimi illius seculi Genii, nam in parvo isto volumine inclusit Platonem, Proclum, Plotinum, omnes Platonicos, Cabalistas, & Chemicos, quos ad suam Philosophiam reconciliavit, & quam magno-

pere

pere illuſtravit, accomodando quantum veritas ad Galeni & Hippocratis mentem permiſerat: quàm tamen difficile ſit Galenum ipſum ad Hippocratis mentem reconciliare, tota chorus medicorum conqueritur, cum totus ille fuerat Peripatethicus, & qualitatibus Elementariis plus juſto addictus, & minus quam par fuit, in ſapientia veterum Philoſophorum, ex quibus Ariſtoteles ſua dogmata hauſit, verſatus, in Empyricos ſuos Præceptores minus quam par fuit æquus, quanquam ex eorum principiis & doctrina, omnia Phænomena omnium operationum corporis naturalis deſumantur, quæ alias ex Theoria & Principiis Peripatethicis deducere fuiſſet impoſſibile. Ratio enim reddendarum omnium rerum cauſam dependere debet, ex αὐτοψία quæ docet ipſam mixti reſolutionem. Reſolutio enim quam nobis tradit Ariſtoteles, fingitur, & ſi ulla ſit, talis eſt quæ abſque ulla ratione, aut rerum experientia nobis prodita eſt, ſed ope phantaſiæ in imaginationem introducta, aut ex falſis aliarum rationum dicteriis introducta; & tamen impudentiam hominis miror, qui cum nuſquam didicerat, neque calluerat artem Chemicam aut Empyricam reſolutoriam; tamen methodum nobis totam Analyticam tradidit, ſed invalidiſſimis & fictiſſimis principiis pro fulcris ſuffultam, & ſicut ex veris non niſi vera, ſic ex falſis principiis non niſi falſa dogmata in Medicina introducta fuerunt, unde in arte Medica tanta incertitudo & novarum ſpeculationum extrema garrulitas in ſcholas irrepit, ut verè aliquis dicere poſſet, nullibi minus medicinæ certitudinem, quam inter hujus Sectæ Medicòs reperiri, & quod magis dolendum eſt, falſa iſta mercimonia incautis eſcam fatuitate æterna vix conſumendam præbebit: vetus enim illud Phariſaicum fermentum ſemper coaxabit, contra veros & peritos Medicos, quos & Empyricos, Spagyricos, & Chemicos deſtillatores vocant; utiſtiuſmodi ſannis vituperati à credula plebe, omnem laudem & gratiam amittant. Sed proh dolor! quantum ipſi lætarentur, ſi abſque labore, ſumptu, tædio, aut longa rerum experientia, tam præclara illis oriretur agnominandi occaſio? Sed tandem credo vires probos, & doctos Cataractas iſtos obcæcatæ mentis brevi diſcuſſuros, & manum fornacibus admoturos; præſtat enim ſerò quam nunquam ſapere. *Ite igitur Filii, ut ait author noſter, vendite agros, ædes, annulos, comburite libros, emite calceos, montes accedite, valles, ſolitudines, littora maris, terræ profundos ſinus inquirite, animalium diſcrimina, plantarum differentias, Mineralium origines, omnium proprietates, naſcendi modos notate, Ruſticorum Aſtronomiam & terreſtrem Philoſophiam diligenter diſcite, nec nos pudeat tandem carbones emere, fornaces conſtruite, vigilate & coquite, ſine tædio, ita*

*enim*

*enim ad corporum proprietatem & cognitionem pervenietis.* Avis nostris legitima excusandi ratio advenit successoribus non admittenda, nunc enim ubique Principum & Magnatum stipendiis colitur Chemia, & in celeberrimis Europæ Scholis, Physicæ & Medicinæ Studiosis necessitas authoritate publica imponitur addiscendi Chemiam, & exercendi artem, quam rectè Empyricam resolutoriam vocamus, ut ex partibus resolutis naturam mixti addiscamus, & ut inde vera & ineluctabilia, & inconcussa Physices fundamenta à veteribus & Schola Hippocratica nobis incussa, stabiliamus & confirmemus: Nam ex Empyrica resolutoria, quæ tota ex artificiosa per ignem resolutione constat, vera rerum naturalium Theoria derivatur; Nam quis negabit necessitatem perscrutandi mineralia in terris? nam inde tota dependet cognitio mineralium in humoribus, neque enim satis erit adferre nos in nobis bilem, utramque pituitam & sanguinem habere, sed inquirere debemus de quo minerali majus & minus participat, & inter Mineralia, de cujus Metalli propretate: nam cum Plantæ hoc nutrimentum à mineralibus terræ adminiculo accipiunt, fieri minime potest, quin tincturas & vires omnium Mineralium & Metallorum in nobis habeamus, sicut videmus in illis, qui ex argento vivo præparato purgantur, quorum excrementa sunt vitriolata, quod manifestè conspicitur ex ægrorum excrementis: vituperium ergo debet esse maximum, & inexcusabile, de corporis humoribus tam audacter differentes approbare antequam prius omnium Metallorum, & Mineralium partes scitè quis adminiculo ignis dissecuerit, & adhuc sibi magis ingloriosum esse debet, facilem juventutum indolem corrumpere, & à tam pulchro Medicinæ & Physicæ tam necessario adminiculo abstrahere.

Oportet ergo ex necessitate Chemiam probè callere, non solum ut Pharmacopæis suggerantur præclara præscripta, sed & ut humores corporis salsos & amaros, insipidos, acerbos, acidos, cognoscamus; ex quibus solis, & non simplicibus qualitatibus insignes mutationes oriri solent, neque hac resolutione corporum contenti esse debemus, sed ad omnium causas reddendas scientificè nos conferre, ut habeamus semper divinum Hippocratem, & veteres Philosophos nobis consentientes, deducemus Galenum in Hippocratis mentem; nec autem Hippocratem iniqua Metamorphosi ad ejus opiniones prostituemus: Galenus perutilem nobis operam tradidit, & ejus observationes, quæ omnes Empyricæ sunt, incredibilem nobis pepercerunt laborem: nunquam satis laudari potest ejus industria, labor, & ingenii sublimitas, nec omnes ejus curationum indicationes, vel locorum affectorum dignotio-

nes, vel locorum affectorum dignotiones, sunt contemnendæ. Neque mihi mens est ita Chemiam & veteres Philosophos laudare, ut universas medendi leges longa consuetudine receptas, demoliri arbitrer, sed hoc solum inculco ut per Chemiam naturæ proprietates inquirantur, à quibus sanationes & omnes actiones vitales procedunt: Et ut fatales illas Galeni Hypotheses caliditatis, frigiditatis, siccitatis, & humiditatis ab Aristotele traditas, & in perniciem totius medicinæ, & in odium Platonis, & veterum Philosophorum inventas, relinquant, ne à tam violenta metamorphosi, veniens maturior ætas, longa admiratione simplicitatem irrideat, cum nulla antiquitatis & veritatis authoritate stabiliantur, neque enim judicii libertas, quam ille contra Archigenem, Asclepiadum, Herophilum, Protagoram, Erasistratum, Quintum, Præceptorem suum, etiam contra Moysin, Sacræ Philosophiæ interpretem, sæpè satis furiose disputando debachatur; denegari debet; eo usque, ut ejus scripta tanquam Euangelica oracula veneremur, turpe est ex aliorum vigiliis, laboribus & observationibus, nostræ socordiæ & ignaviæ patrocinia quærere: neque Hippocratem inscitiæ istius ducem, aut Præfectum jactemus, neque ipsius experientiis injustè gloriemur, quibus maxima pars Medicorum communium violentis interpretationibus obtemperare solitorum, jactitare solet, cum tamen divinus senex experientiis omnia submiserat, quamvis non mollibus & otiosis, sed profundè quæsitis, & ex abditis naturæ thesauris artificiosa dissectione, ignis adminiculo erutis. Itaque caliditatum, frigiditatum, humiditatum, siccitatum patrocinia, quæ sæpè rejicit, & potestatum proprietates, (quas neque obscuro nomine, neque gubernationi qualitatum simplicium, nec occultis qualitatibus subjecit, sed manifeste attribuit, nempe salso, amaro, insalso, insipido, acri, omnigeno, & aliis innumerabilibus, quæ vires & actum ab essentia immediate fluentium deducunt) ubi que eligit, caliditates, humiditates, siccitates, & ejusmodi qualitates steriles, & ad morborum & sanitatis signa, non ad causas pertinentes repellit, sed ex illis ut à primis & essentialibus originem deducentes, indicationes nostras dirigit. Si enim calor & siccitas juxta fatales istas Hypotheses, causa essent magnarum mutationum, quæ in febribus continuis, peste, lue venerea, deprehenduntur, proculdubio compendiosissimam haberemus medicinæ Methodum, neque rationi neque multis remediis obnoxiam. Nam cum contrariæ qualitates à contrariis curarentur, intus & extra aquæ frigidæ perfusione omnes febres in instanti curarentur; sed proh dolor, quam parum Hypothesibus istis frigidis & infidis respondeant febres, ægrorum querelæ, & fa-

& fatales eventus, ſatis indies & ubique proclamitant, & probos Medicos libertatis, pietatis, & officii memores, laborum aſſiduitate, meditationum frequentia, obſcuritates proprietatum, ſeu poteſtatum aperire & inquirere ſuadent, & ut Empyricos & circumforaneos, Chemicos, potius vocari patiantur, quam officii immemores, & deſertores appareant; Ægrorum miniſtri ſumus, pro quibus medicinam creavit altiſſimus, & creatam noſtræ induſtriæ commiſit. Fateor multos morbos Callidos aut Ephemeras, à ſolis ardore, à nimio labore contractos, frigido potu poſſe curari, neque nego calorem inſignem poſſe à ſolis æſtu aut motu concitari, qui contrario curari poteſt, modo poteſtates illæ Hippocraticæ non fuerint nimis exaltatæ, ut vel putredine, vel inflammatione excitati fuerint, tum enim non niſi cum radicalibus cedant remediis: verum quidem eſt qualitates ſummas & radicales à calido ſupercalefaciente, frigido ſuperfrigefaciente, à labore ſuſcitari, ſed à calore & frigiditate nullam habent eſſentiam, ut magnas mutationes faciant: qualitates enim illæ ſimplices, ſunt accidentia; & ſalſum, amarum, ſunt ipſæ ſubſtantiæ veræ radicales. Neque nobis objiciat aliquis poteſtates iſtas Hippocraticas, ut ſalſum, amarum, æquè ab igne fieri atque à ſalſo: ſed iſta miſerrima deceptio non aliunde quam ex Chemiæ ignoratione illis propria eſt; Credunt enim illi ſalem non eſſe in rebus, ſed duntaxat generativi ignis: hoc enim ſi eſſet, poſt rerum conſummationem, & ſalis eductionem è cineribus per lixivium, vis ignea de novo produceret ſalem: ſed quam rerum naturalium imperitus ſit ille, qui ſimilia cogitat, ediſcat ab aliquo deſtillatore Chemico, ut ſibi nares emungat, & in rectam ſe ſe viam deducat. Pudeat Philoſophum & Medicum hæc tam trivialia ignorare, *& ſi Chemicos nolit adire, conſulat Patronum ſuum Ariſtotelem, ſecundo de Generatione: itaque dura, mollia, tenta, rigida, aſpera, lenia, caloris & frigoris vi effici poſſunt, at propria cujuſque ratio & eſſentia nequaquam ab Elementis emergit*. Sed à poteſtatibus quæ à ſale, ſulphure & Mercurio proximè emergunt, & quæ ſine exacta Chemiæ cognitione intelligi non poſſunt: nam alias credent ſalem eſſe de quo utuntur Culinarii, ad condiendos cibos: Sulphur de quo homines utuntur, ad conficiendum pulverem pyrium: Mercurium de quo fiunt ſuffimigia ad luem veneream curandam: ſed quantum ipſos pudere debet, ſero tandem confitebuntur, & ſcient, hanc novam non eſſe doctrinam, ſed illam quam Hippocrates à ſuis præceptoribus accepit, quam ut Moſaicæ doctrinæ ſobolem nobis tradidit. Et hanc debet tota Chriſtiana Religio ſuſtinere, & Scholarum moderatoribus recommendare, ut ſuis diſcipulis tradant, & in Medicinam introducant,

est enim origine prima etiam à primorum parentum ore difflata, sed quia nihil scripserunt, usque ad tempus Abrahami, non possumus nisi authoritate sacrarum literarum hanc sententiam confirmare: sed deinceps primus post Hebræos, qui Scriptorum celebritate nobis innotuit Zoroaster Chaldæus fuit Abrahamo coætaneus & concivis: referunt enim Sacræ literæ Deum Abrahamum ut in Zur Chaldæorum se reciperet, monuisse: ibique cum mansisset per plures annos, cum Zoroastro in sacris naturalibus plurima contulit, qui postea scripta sua sub nomine oraculorum, successoribus suis tradidit: nec dubium est Zoroastrum multa ab Abrahamo didicisse, & etiam Gentilitiam Philosophiam ipsi Abraham tradidisse: nam Sacræ literæ & Philo Judæus asserunt, Deum Abrahamo à facie ad faciem locutum fuisse, unde certum est Chaldæorum Philosophiam ab antiquitate & certitudine omnes aliorum Sectas antevertisse, & à sequentibus sæculis, quasi à Deo traditam colaudari, & talis fuit Hermetis Trismegisti doctrina, quam Sanctus Augustinus ita miratur ut affirmet, fuisse à Spiritu Divino inspiratam, & hanc Plato prædicat præstantiorem nostrâ, quia origini Divinitatis proximior fuerat: Nam certum est artes & experientias humanas in mundi progressione amplificari & illustrari, at contra Divinas magis obscurari & opinionum varietate quasi obrui; sed si quis plura paucis verbis contenta de hoc legere velit, adeat Caput primum Elementorum Philosophiæ Pirothechnicæ Gallico Idiomate Parisiis impressorum apud Franciscum Piot è regione Collegii Cameracensis, & ibi quantum sæculum hoc à vera & genuina veterum Philosophia defecerit, addiscet, invenietque hanc transiisse ab Hebræis ad Ægyptios, ab Ægyptiis denuo ad Hebræos, & ab illis ad Persas & Chaldæos per primos successores Noachi; ab Ægyptiis ad Græcos per Orphæum, qui testatur in Argonauticis, se ad Ægyptios descendisse, & ad Memphim usque penetrasse, & omnes Nili urbes visitasse, & ibi multa didicisse à Sonchedo Archipropheta Ægyptio, & Nasareo Assirio, sicut refert Alexander in libris sententiarum Pithagoræ; & Hermolaus Pithagorius scribit Pythagoram multa didicisse in lege Mosaica, & Plato in Ægypto fuit discipulus Sacerdotis cujusdam Heliopolitani, qui omnes in Schola Mercurii Trismegisti edocti fuerunt, & Plato in multis locis fatetur, scientias à Barbaris, hoc est à Gentilibus ad Græcos perductos fuisse. Unde manifestum est originem doctrinæ veterum Philosophorum à Deo ipso in primum nostrum Parentem fuisse infusam, ab illo ad Noachum, à quo & filiis ad Abraam, ad Chaldæos & Ægyptios,

gyptios, ab Ægyptiis Moyses, Orphœus, Plato, Pythagoras didicerunt; qui Hippocrati, Melisso, Anaxagoræ, Democrito, Empedocli, Parmenidi, Plotino, Proclo, & aliis Sapientiæ filiis tradiderunt. Tandem horum Philosophorum Dogmate senescente, ut sunt humana ingenia ruinæ, novitatis, erroris & suæ gloriæ avida; surrexit Stagirita, Mosaicæ Philosophiæ insignis hostis, qui Præceptorem Divinum Platonem è schola ejecit, libros omnes Philosophorum authoritate Alexandri Magni in unum collectos, igni commisit, nosque plus quam Chimeriis tenebris obscuravit, & Medicinam mille sectariis fœdavit & inquinavit, & omnium veterum Philosophorum Dogmata ita risit, ut insanum Democritum, delirum Empedoclem, fatuum Anaxagoram, & alios omnes qui suis statutis reconciliari non poterant, ubique proclamaverit, imo ita in Præceptorem suum malitiosus, ut quasi mulus in matrem suam calcitrans, lac, quo viginti quinque annis in ejus schola nutritus fuerat, in ipsam matris faciem insolenter obvomuit. Hujus autem malitiæ causa, ira fuit, & odium in Præceptorem suum conceptum. Nam à Platone fuit reprehensus in moribus, & ob id spretus ut ait Patricius, & è schola ejectus, & quos ipse odio habebat, nempe Spencippus & Xenocrates, sibi ab illo præferri ægreferebat, & ob id ipsum vexare & adversus ejus jam palam facta & dogmata scribendo totis ingenii viribus incubuit. Ita ut Præceptorem de se maximopere meritum, plus quam vetustiorum quenquam sæpius odio accirimo insectatus sit, idque verissimum ex eo fuisse apparet, nam dum Amicus erat Platonis omnia sibi ab ipso tradita verissima visa sunt, nam si falsa videbantur, cur continuis viginti quinque annis ejus Scholam frequentavit? quia nimirum ab eo veram Philosophiam discere æstimabat. At amore in odium converso, omnia secus visa, & ut multi existimāt quo coloratius contra Platonem scriberet, contra omnes vetustiores scribere negotium & laborem suscepit, & tam subtilibus contra veteres redarguitionibus, quibus ut Epicurus ait, si ex ejus operibus aliorum demerentur dogmata, ne tertia quidem pars quæ sua essent relinqueretur. Et hæc est causa, quare in sua Mystica & exoterica Philosophia, sibi ipsi non constet: & hæc eadem causa est, cur é Patribus neminem habuit laudatorem, multos vero Exotericæ Contradictores. Dicebantur autem Exoterici illi, qui in vulgus edebantur, tam à Platone quam Aristotele: Mistica autem, quæ in arcanis habebantur, & talia, qualia non scriptis, sed voce tradebat, quæ nulli nisi discipuli literis mandarint, sicut fecerat Aristoteles; nam dum Platoni esset bene amicus, & ab eo in arcana admis-

admissus, certum est omnia hausisse, & in ipsius succum redegisse, quamvis tunc omnia ridicula sibillaret, præcipuè eo tempore, dum suos conscriberet libros & operam navaret in Platonicis Dogmatibus confutandis, & Platone & Speusippo vita defunctis, ipse jam senex cum esset, incepit cognoscere, ut quæ ipsi ridicula prius visa fuerant, jam verè fuisse admiranda; neque humanitus fuisse inventa, sed Divinitus revelata, & talis fuit Ægyptia & Chaldaica Mystica Philosophia, ut erat Ægyphorum Hieroglyphica, Zoroastri imagines Dei, cum accipitrino capite, ex quo Dii prodierant, animi alati, Hebræorum Prophetarum Mistici Dei, & Christi typi, Servatoris Parabolæ, & Poëtarum Mysticæ fabulæ. Propterea universa Pitagoreorum Schola, omnia abscondebat partim diuturno silentio, partim per Mathematica ænigmata, partim per symbola. Plato nonne tot annis in Ægypto est commoratus, ubi vix tandem obsequiis fortè pecuniis obtinuit, ut quæ de veteri Hermetis sapientia occultabant, sibi aperirent, neque ut ea quæ multo pretio acquisiverat, ignavis patefacere licitum esset, putaret; quod & ipse in multis Epistolis testatus est: ita cum de rebus divinis in Phœdone tractat, cum non sufficienter de prima natura demonstratum esset. *Dicendum igitur inquit tibi erit per ænigmata, ut si quid tabella vel mari vel terra patiatur, qui leget non intelligat, sic enim se res habet, circa omnium Regem omnia sunt, & illius causa omnia, & ille causa omnium pulchrorum. Secundum vero circa secunda, & tertium circa secunda, moxque admonet Dionisum ne hæc ei excidant in vulgo.* Quem textum citat Fernelius libro de abditis rerum causis. Platonis ergo Philosophia non solum Ægyptia, verum etiam Hebraica & Mosaica. Moyses enim à filia Pharaonis nutritus, in Schola Ægyptiorum educatus, & omnia illorum secreta callebat, quæ coram Pharaone præstabat, neque verisimile est istas artes præstigiosas, fuisse diabolicas; sed verè cabalisticas, & ex secreta Dei insinuatione piis & modestis hominibus commissas, ea lege, ne impiis revelarent, & talibus ansam peccandi præstarent, & talis fuit primo nostro Parenti infusa, & filiis suis, ad Noachum usque traducta est, & à filiis Noachi ad Ægyptios: neque verisimile est Deum Optimum Maximum permisisse virum pro libertate gentis Hebraicæ sibi electum, & ad custodienda sacra Elogia natum, ut ab artibus dæmoniacis principium sapientiæ suæ hauriret; sed ex caballa quæ tacitè ex Noachi filiis ut dictum est ad Ægyptios translata fuerat, & talis fuit Ægyptiorum Philosophia, quæ Caballa postea appellabatur, quia ab ore Dei ipsius primo fuit accepta ab Adamo, cum expresso mandato, ne scriptis illam consignaret, & inde ad Moysin traducta, qui ultra quinque legis libros scriptos eam

acce-

acceperat de novo, cum eodem mandato, nempe ne ſcriptis committeret, ſed duntaxat Septuaginta tantum Sapientibus, qui ad legis cuſtodiam electi fuerant, ore ac verbis communicaret, à quibus ſic deinceps ad poſteros propagata fuit. Tandem vero poſt Captivitatem Babilonicam, ab Eſdra Dei juſſu, Septuaginta libris conſcripta, quos tamen legere nemini liceret, niſi Sapientibus, ad id munus electis. Rem autem ita ſe habere ex ipſius Dei verbis, Eſdram hoc modo alloquentis probatur, ut eſt Eſdræ Cap. 14. *Revelans revelatus ſuper rubum, & locutus ſum Moyſi, quando populus meus in Ægypto inſerviebat, & adduxi eum ſuper montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & enarravi ei mirabilia multa, & oſtendi ei temporum ſecreta, & finem, & præcepi ei dicens, hæc ne palam facias verba, & hæc abſcondas*, eodem in libro Capite ſequenti iſta ſequuntur. *Exactis quadraginta diebus, locutus eſt altiſſimus dicens, priora quæ ſcripſiſti palam pone, ut legant digni & indigni: noviſſimos autem Septuaginta libros conſervabis, ut eos Sapientibus tradas de populo meo, in his enim eſt vena intellectus, ſapientiæ fons, & ſcientiæ flumen*: Hanc autem Caballam Rabini veteres in Bereſchith & Marchavache diviſerunt, Birethſithquam & Coſmologiam vocant, hoc eſt rerum creatarum naturalium & cæleſtium vires explicantem, in qua Salomon Rex excelluiſſe creditur, nam in ſacris legitur diſputare ſolitum fuiſſe, à Cedro Libani, uſque ad Hyſopum, & ex hoc numero videtur fuiſſe Triſmegiſtus, & ſub hac ſpecie comprehenditur Philoſophia Pirothechnica quæ per Chemiam abſolvitur, & quæ viros Medicos conſtituit, continetur: Altera vero hujus Cabalæ ſpecies nempe Marchavache, qua de ſublimioribus Divinarum Angelicarum virtutum ac Sacrorum nominum, & ſignaculorum contemplationibus, quædam quaſi Symbolica Theologia, in qua literæ, numeri, puncta, accentus, omnia ſunt profundiſſimarum rerum & humanorum arcanorum ſignificativa. Et hujus cultores hodie ſunt Rabini multi, & alii hujus ſectæ homines, ſicut priores fuerant Platonici omnes, Medici & Chemici, ex quorum Ordine fuit Divinus Hippocrates, ex cujus operibus omnia tranſcripſerat Ariſtoteles, ut ſuum locupletaret librum de natura Animalium: ita nullus hodie eſt, qui quiſquiliarum Ariſtotelis non velit eſſe ventilator, ita ut jam diu in publicis Academiis libera illa Philoſophandi ratio, quæ olim apud Chaldæos, apud Brachmanes, apud Æthiopes, apud Hebræos, apud Phœnices, apud Thraces, apud Græcos, Gallos, Romanos, quæ tanta etiam in Platonis ſcholis ingenti fama & gloria floruit, ut ita ab Avenroes ſeculo, qui circa M. C. ſcripſit annum, ad hanc uſque ætatem, neſcio quo malo fato, totius Europæ ingenia uni Ariſtoteli ſe ſe alligarint, ut à compedibus

dibus apud eum tantum ſedere, & ætatem conſumere maluerint, quam liberè per orbem, & per naturæ miracula contemplando vagare, quam naturæ authorem Deum cognoſcere, & in ejus contemplatione & amore, veneratione & adoratione verſari, & hæc nobis generavit unius Arabis tum ignorantia, tum arrogantia, & erga Deum impietas, tum etiam noſtra ignavia eò impulit, ut quem nobis Deus liberum donavit intellectum, neque ſciamus neqne audeamus, neque velimus uti; quam autem perperam, quanto damno, quanta pernicie noſtra id à nobis fiat, veterum Philoſophorum nobis ab igne reſtantium libri teſtari poſſunt: Nam quæ relinquuntur, nempe Divina Zoroaſtri oracula, Orpheica, Triſmegiſti opera, Divini Hippocratis opera, Platonis & Platonicorum fragmenta, veterum Philoſophorum, qui apud Ciceronem, Senecam, Plutarchum, Stobæum, Lucretium, Diogenem Laertium, Suidam reperiuntur, & alii quorum mentionem vel in initiis ipſe Stagyrita ſupprimere non potuit, quamvis mille fallaciis illorum doctrinam adulteraverat, variavit, & inſanos & ridiculos nobis repreſentavit: Hinc fit, ut Juſtinus Martir, operi hoc ipſi dicato, cujus titulus eſt Ariſtotelicorum Dogmatum everſio, multa contra ejus dogmata, in Exotericis tradita, validiſſimè diſputavit: atque penitus evertit, principia ejus nimirum de materia, forma, privatione, natura, caſu, fortuna, temporis infinitate, genitura cæli, contra motorem naturalem, contra locum, & pleraque ejus dogmata alia hic inferenda: unde Bernardus Tileſius eximius naturæ perſcrutator, diſtiche impietatem & ingratitudinem ejus apertè carpit:

*Doctorem calamo ingratus, Dominumque veneno,*
*Perdidit igne Patrum dogmata, nos tenebris:*

Lactantius quoque eum arguit multis, & præcipuè quod juxta ejus de Deo Doctrinam ſecum ipſe manifeſtè repugnet. Epiphanius etiam, quod duo paria Principia in natura conſtituat: Deum nempe & materiam. Origines etiam Patrum doctiſſimus, Ariſtotelem Epicuro in multis inferiorem conſtituit, quia in Divinam providentiam fuerat impius, & animam rationalem & immortalitatem deſtruebat, & hac ratione Chriſtianæ fidei fundamenta radicitus evellebat, & Theologiam pro ſinceriſſima, ſordidiſſimam reddere valebat: & tamen eò facinoris provectus eſt totus Peripateticus cœtus, imo Theologorum aliquot (qui forſan Platonicos nunquam legerant,) ut contra Patrum teſtimonia, tot authoritates, Ariſtotelem Platoni prætulerint, & in tantum uti videtur erroris ſint delati; ut Anathema penè eum fecerint, qui Ariſtotelis animæ definitionem deſpicere auderet, *eam ſcilicet eſſe actum corporis,*

*poris Physici*, *Organici*, *potentia vitam habentis*, non advertentes, hac definitione animam corpoream dici formam, atque ideo esse mortalem, quæ tamen definitio ab ipsomet Aristotele in Mystica sua Philosophia, est optimè correcta, dum lib. 3. Cap. 8. ita loquitur, *Anima itaque est actus separabilis corporis Physici*. Sed quoniam Aristotelis Sectatores, in tanta apud homines videntur æstimatione, ut in eum solum omnibus studiis ferantur, neque tamen animadvertunt, se se magnam imbibere impietatem, & medicinæ studiosis dispendium: Operæ pretium est huic malo ut succurramus, dicendo, Aristotelis Physicam Mysticam quoniam ipse ex Platonis ore hausit, atque haud multum à Christiana fide & ab Hippocratis Philosophia discrepat, uti Philosophiam maximè nos probare, exotericam autem aversari quia Christianæ fidei, & Physiologiæ Hippocraticæ sit maximè adversa, & quia Philosophorum omnium sit inconstantissima, & sibi ipsi hucusque maxime repugnans, & omnium falsissima, ita ut qui velit Platonis & veterum Philosophorum Cabalistarum, cum ejus doctrina conferre, cognoscent, quantum hostem amicæ veritati adiment, & admirabuntur eos qui in ejus verba jurant, & reliquam impietatem, quam contra Deum & Monarchas tenent, nempe nullam esse Monarchiam mundi: nam lib. 1. de cælo Cap. 9. ait, supra extimum cælum multa esse ordinata à quibus pendet aliorum esse & vivere, & quæ beatissimam degunt vitam: ergo non est mundi Monarchia, sed Anarchia, quæ omnia Divinus Gregorius impugnavit magnopere: Item dicit Deum ignorare particularia, ibique contra Sacra Elogia multa tenet quæ dicunt passerem unum venundari in foro, tamen ne minimum è cælo absque Divina providentia decidere: *Præterea mundum esse æternum, incorruptibilem, non Deum, sed cælorum naturam, casum, fortunam mundum regere, 2. de Phys. hominem ex suis bonis actionibus & suo arbitrio esse felicem.* Quæ omnia & infinita alia, directè contra Christianam Religionem dicuntur. Sed hæc dicta sint quasi in transitu, ut quam fuerit in Theologos contrarius ostendam. Quis ergo tam impius erit Christianus, & tam imperitus Philosophus, qui Aristotelem Platoni præferri velit, & qui exoterica ejus ex scholis in exilium emandare nolit? Cum nisi impietatis mortiferum venenum inde haurire possint, quo veluti lethargo anima sine cognitione Dei obdormiat, nunquam à mortali hoc somno expergiscatur, & æterno cruciatu damnetur: Nec credat quisquam ex Aristotelis Physica, quam ipse miris modis detruncatam nobis & deformem & ut falsorum dogmatum eventilatorem præbuit; aliquem unquam in bonum & peritum medicum evasurum, quia omnia veriora, clariora & perfectiora,

ex Platonicis & fragmentis veterum Philosophorum, ex Divino Hippocrate haberi possint, præcipuè in libris de Diæta, de locis in homine, & aliis, & quod maximè dolendum est, nonne Galenum in ejus errores de Phantasticis illis qualitatibus, deduxit eo usque ut animam post longam indagationem fateretur, nescire, nisi esset temperamentum qualitatum Elementariarum. Præterea in libris ejus Meteororum, quod puerilibus & falsis experimentis Medico illudit, quorum vanitatem vel minimus Destillator jure videre posset, & merito insaniæ redargueretur, qui ex illo vel minimum auxilii expectaret in Medicina, cum è contra, Studiosorum animos à perfectissimorum principiorum habitu pervertit, & à via recta detrudit, & in Sophismatum & vanarum disputationum abyssum immergit, ut Medici vel falsi vel ridiculi evadant: Physica enim quæ Medicinæ est basis, & cujus finis est principium Medicinæ, consistit in veris demonstrationibus: attamen nulla apud eum de Physicis habetur demonstratio, sed probabilitas & opinio. Sed apud Platonem, apud Proclum, apud Hippocratem sunt primariæ demonstrationes, & apud Chemicos verarum resolutionum certitudo, neque ulla ibi est probatio, quæ non ex se notis & concessis procedat, ita ut nemo negare queat, nemo dubitare quando ad perfectam conclusionem sunt redactæ, quoniam ab axiomatis per se notis, aut professis deducuntur: in Parmenide vero omnia quæ de unius natura tractantur, tales sunt, & quidem multæ, ut nullæ tales apud Mathematicum ullum reperiantur: in Aristotele autem nulla est tam valida probatio, nulla ullius dogmatis calliditas quantumvis multis comprobata confirmationibus quæ impleat animum, & dubium, si perpendatur, non relinquat. Neque objiciatur Aristotelem sillogismo primario, veluti credunt, uti, Platonem vero inductione, veritatis indagandæ instrumento. Nam in sillogismo rarius invenies ambas propositiones vel per se notas, vel confessas, cujus contrarium est in Platonica inductione, nam si singulæ interrogationes non sint axiomata, certè sint confessa, unde necessario confessa sequetur Conclusio, quod in Aristotele est rarissimum, atque ideo in ejus Philosophia nihil est certum, nihil quod non in dubium vertatur, & omnibus contradicatur: & hinc Oceanus ille Abyssusque quæstionum & contentionum oritur. In Platonica vero & Chemica rarissima illa sunt quæ certissima non sunt: quis enim contra res per se notas, è contra confessas, argumentis Sophisticis locum præbebit? Præterea Platonis exoterica sicut & Mystica Philosophia, divinitatem ubique spirat, & scopum habet, hominem Deo similem efficere, tum quoque & Ægyptia, atque ut Numenius Pythagoricus scripsit, *quid est*

*Plato*

*Plato, nisi Moyses Atticè loquens? Hic, ait, Moysis erat Theologus & Propheta.* Hæc Numenii verba retulit Clemens Alexandrinus, idem Aristobuli Judæi ad Phylomatrem scribentis: ergo Platonis Philosophia, non solum Ægyptia fuit, sed & per consequens Chemica & Hebraica; & neque hoc tantum Pithagoricus ille Judæus, sed etiam Christianæ Theologiæ Coriphæus, Clemens Alexandrinus, Eusebius, Cyrillus quoque libris contra Julianum & Theodoretum libris Græcarum Passionum, idem comprobare annixi sunt. Quid ergo mirum, si Dionisius Areopagita Platonicæ & Agyptiacæ dum Heliopoli moraretur, imbutus Philosophiâ, à Divi Pauli prædicatione ad Christianismum fuerat conversus, legerat enim in Timæo Platonis *de rebus Divinis esse credendum filiis Dei, etiam si nullas adferrent rationes.* Ex his igitur patet quanta admiratione Dionysius Areopagita, Justinus Martir, Eusebius, Arnobius, Lactantius, Theodoretus, Sanctus Augustinus, & alii omnes Patres, viri Divini, Platonem ejusque Philosophiam sint secuti. Quando enim Philosophorum maximum, divinum, prædicarunt, testatusque sit Sanctus Augustinus, paucis mutatis, Platonicos fieri Christianos: sed non tantum Plato Christianæ fidei dogmatibus dogmata consona conscripsit, sed & Platonici recentiores, & veteres multi Philosophi, sicut fuit Zoroaster, Orpheus, Pithagoras, Hippocrates, qui omnes in Hebræorum doctrina fuerant instituti. Clarum enim est, ultra aliorum testimonia, ex Strabonis Geographia scribentis de Heliopoli, ubi ostenditur Sacerdotum domus, & Platonis & Eudoxi habitacula, qui cum Sacerdotibus conversati sunt annis tredecim, qui quamvis omnes illi illorum Philosophiam in arcanis habuerant, attamen obsequiis, ac tempore devicti, peregrinis etiam communicabant, & ante multa sæcula Orpheo sunt communicata, ab Eutemine Sacerdote Aglaophemo, ab Ochlapo, Soloni, Pithagoræ vero à Perenite & Platoni tandem à Sachoneato, & à Sconuphide, quæ partim Plutarchus, partim Clemens Alexandrinus tradidere. Et talem nobis Philosophiam tradidit Divinus Hippocrates, undique Mosaicis, Ægyptiacis, Zoroastricis, Orpheicisque & Pithagoricis Oraculis refertam. Sed ut sunt humana ingenia à sudore ad otium plus justo prona, degenerarunt multi, & ex diversis hypothesibus dissimilibus, ac longè discedentibus principiis, affectuum causas deducebant; ita ut neglectis primis & veris causis, loco nuclei, cortices & siliquas obtinuerunt, ita in progressu artis Medicæ, & Medicorum sectis, quæ ante Hippocratem & inter eum & Galenum viguerunt, certum est Physicos & medicos multos vixisse, quæ longè magis & minus à Mosaicis principiis discrepabant. Sed

qua methodo & lege Philoſophandi uſi fuerint, nihil apud poſteros memoria dignum reliquerunt, excepto ſolo Hippocrate, qui artis ſuæ principia nobis declaravit, & Moſaicæ Philoſophiæ fundamenta nobis ſtabilivit, quamvis artem ante ſe inventam fuiſſe teſtatur, ubi filios Præceptorum ſuorum à quibus hanc artem didicerat, ſe fratrum loco habiturum jurat, quæ quam vera ſint, teſtantur diverſæ diſputationes, quibus in comtemporaneos Præceptores invehitur. Nam in libello de humana natura cauſas inquirens ſanitatis & morborum, commodius adducit quatuor Elementa vel principia, ſanguinem, pituitam, & utramque bilem, vel calidum, humidum, frigidum, ſiccum, ut iſtorum Medicorum temporaneorum ſententia facilius congruere & confirmari poſſit illis, qui hominem ex uno ſolo conſtare affirmabant, tam aſpectu quam facultate ſimplici, in quo tamen dogmate ipſe non ita contrarius videtur quaſi falſitatis illorum mentem argueret, ſed ut facilius rudibus Elementariis principia minus ardua proſterneret, illi enim Cabaliſticè & Philoſophicè loquebantur, ille vero tyronibus viam affectabat: verum enim eſt hominem ex una conſtare ſicut ex prima & remotiſſima cauſa, *Omnis enim multitudo ab unitate proficitur*, ut eſt prop. Articulo de Ente, ſed illam unitatem multis officiorum donis gravidam intelligebant, hoc eſt in ſe continere Elementa illa & principia corporum, ſicut effectus prioris cauſæ; ſed non cauſam proximam ſecundorum affectuum: quatuor enim Elementa non ſubjecto, ſed facultate tantum differunt; cum ſint omnia dona naturæ uniformia. Hanc differentiam dilucidè ſolvit ingenioſus Proclus, Cap. 39. Inſtitutionum Theologicarum, *quæ ſunt*, dicit, *conjuncta in prima cauſa, diſtincta ſunt in ſecunda, diſtinctiora in inferioribus*. Parmenides hujus rei cauſam reddit, cum ait, *Omne quod in ſe eſt dualitatem præſupponit, unum enim in ſe debet eſſe*, antequam eſſe in alio cenſeatur, & eſſe in alio, & eſſe in ſe, eſt quaſi eſſe diviſum, & diſtinctum à ſe, ſed dualitas iſta abſcondita eſt in prima cauſa, ut diſtincta in inferioribus videatur. Diverſitas enim quid eſt, niſi progenies dualitatis? Nam omnia Entia quo notiora, eo magis in eorum unitate recolligunt, quæ minus perfecta diſpergunt, & ab extra in multiplicitate proferunt. Proinde modus ille loquendi coëtaneorum Hippocratis fuit Cabaliſticus, & non ad vulgi mentem appropriatus. Hippocrates autem non tam animo contradicendi quam inducendi Tirones ſuæ ætatis, ut temporis progreſſu ad magis ardua & certiora ſe ſe conferrent principia, ipſi Hippocrati tunc propter creationis ignorantiam abdita, ſic in toto ſuo opere, non apertè, nec tyronibus, ſed adultis & ætate provectis Cabaliſtis & intelligentibus principia ſuæ

artis

artis jacit. Propterea cum de Elementis loquitur, non intelligit Elementa mundum integrantia, nec bilem & pituitam, quatenus calida & frigida, sed quæ potentias agendi habebant, ut actus verorum Entium, & talia Entia intelligit Entia radicalia, actum & virtutem agendi habentia, ut sunt *essentia*, *vita*, *intellectus*, *anima*, *natura*, quasi causas primas constituentes, & colligentes in unum totam rei essentiam, & effectuum dispersorum varietatem. Et in hoc sensu, in unitate nempe, omnia continente, sed qui tam divitis naturæ Thesauros explicare conabitur, difficultatem inveniet, maximam facilitatem vero, qui tot diversorum nominum appellationibus unam naturam satisfacere & obtemperare conspexerit: si enim Elementalis dicatur, Elementa in se continet, si seminalis semina, si corporalis corpora, si Spiritualis Spiritus. Itaque cum dicit Hippocrates omnia constare ex igne & aqua, non repugnat sibi ipsi, qui prius dixerat, ex calido, frigido, humido & sicco omnia corpora constituta fuisse: neque Thaleti, qui omnia ex aqua constare pronuntiavit: & quanquam ex talibus Elementis hominem constitui ajebat, tamen seminis conditiones haud neglexit: nec Elementa inania, semineque orbata proposuit, sed ubique positis Elementis, progressiones seminum subjungit: progredi autem semina ex Elementis, est ex stabilibus causis instabilem naturam effectuum deducere: Cum progressio, deductio effectuum extra suam causam sit. Nam in omni causa consideratur *aliquid manere in causa*, *progredi à causa*, *& converti ad causam*, cujus veritas dependet ex Demonstratione quam in decursu hujus Capitis apponam: & cum dicit Hippocrates nihil novi in generatione fieri, utique intelligit semina in Elementis prius, hoc est in suis causis fuisse, quomodocunque positis & appellatis. Sed Elementa talia appellat actum verorum Entium, ut sunt essentia, vita, intellectus, anima, & natura: qui enim Semen animalium in istis Elementis deprehendere cogitat, non inveniet, sed causas seminarias, & incorporeas seminum corporeorum certè inveniet; Hujusmodi sunt in Scriptis Hippocratis passim occurrentia, quæ si diligenti mentis judicio conferantur Medicinæque adaptentur, obscuritate sublata palam facient fundamenta Medicinæ Hippocraticæ, à Galeno vel non intellecta, vel juxta Aristotelis dogmata fuisse stabilita, vel impiè immutata fuisse ex humana invidia: sed occasio omnium errorum hæc est: nam cum dicit Hippocrates omnia ex frigido, calido, sicco, humido fieri, multi intelligunt Elementa absoluta à vinculis unitatis, hoc est Elementa communia mundum corporeum integrantia, sine sapore, sive odore, steriles actiones habentia, & sunt fructus Elemento-

rum, sive seminum virtute, ut multa veste perfusorum. Non enim ex calido, ex humido, frigido, sicco, simplicibus vel absolutis, sed ex tali vel tali, nempè ex calido, acri, salso, frigido, nitroso, acido, ex humido, insipido, ex sicco, amaro, corpora omnium Animalium constituta sunt: Simplices enim Elementorum naturas, ex concretis & multa veste indutis, æstimare absurdum est: proinde in libro de Humana natura concludit ex quatuor humoribus constare hominem, & hæc fuisse Elementa humanæ naturæ, sanitatis & morborum causas hinc dependere; & quamvis dictis humorum naturis, calidi, humidi, frigidi, & sicci, appellationem accomodet, intelligit tamen quod in morborum generatione, quam fieri non ajebat, si calidum à frigido, aut frigidum à sicco superetur duntaxat; nisi etiam fuerint consentanea principia, hoc est salem, sulphur & Mercurium, justis ponderibus librata, tamen ubi sanitatis & morborum ortus declarat, sanguinem, pituitam & utramque bilem adducit, quorum permixtione & mediocritate, sanitatem custodiri, separationem, abundantiam, & defectus morbos parere, transmutationes & separationes, principiorum mundum componentium ex sufficientia calidi & frigidi ex aliorum Hypothesi, ante absolvi dixerat: & hæc interpretatio consentanea est doctrinæ Hippocraticæ, & præcipuè de decretis, quæ in libello de antiqua Medicina, de Diæta, de natura pueri, de morbis, ubi causas morborum bilem & pituitam constituit, non quatenus calidæ aut frigidæ, sed quatenus acerbæ, acres, & insipidæ, morborum effectrices causas statuebant, ita ut temeritatem illorum facilius animadvertere possimus, qui ex hoc libello definitiones & proprietates Elementorum absolutas pro concretis, mira subtilitate deduxerunt. Nam libro de natura humana, de concretis Elementis loquitur, hoc est de incorporeis multa veste indutis locutus est, & propterea propositio definitionem, principiis magis quam Elementis accomodatam; calidi, humidi, frigidi, & sicci appellationes millies repudiasset, si prævidisset errorem fatuitatis, & ruinas illarum occasione, in medicam facultatem postea introductas, nam inde calidum, humidum, frigidum, siccum, Elementorum essentias dixerunt, mixtione, sanitatis & morborum authores, & quod est absurdius, ex qualitatum numero numerum Elementorum constituerunt, hoc est quasi ex numero productorum effectuum, numerum causarum producentium deducere; cum è contra ex collecta unitate producentium, numerum effectuum constituere debet, hæque causæ quatenus in se colligunt,

gunt universalem naturam pruductorum, dicuntur ab Authore nostro, ab Hippocrate, & ab omnium veterum Philosophorum & Platonicorum schola, Elementa. Et quamvis Peripatetici & Galenici omnium rerum actiones quatuor Elementis attribuant, tamen universalia non debebant negligere, particularia enim ab universalium Elementorum fructibus alimenta assiduo hauriunt: verbi gratia, urtica & melissa propria habent Elementa & principia, attamen ab universalium Elementorum fructibus alimenta assiduo hauriunt: talia autem Elementa vocat Severinus, Matrices, Mineras, & loca non otiosa, sed proprietatibus causalibus instructa, quæ vitam & alimentum suis locatis exhibent, id est seminibus, ut ea de se proferant ad extra, quæ in eorum thesauris & penetralibus recondita observabant: sic conspirant invicem universalia cum particularibus. Ita cum Hippocrates ait omnia fieri ex calido, frigido; humido, & sicco, non intelligit quatuor humores quatenus ex inutilibus istis quatuor Elementis mundum integrantibus productos, nam tunc inversa ratione, exemplatum pro exemplo, effectum pro causa, accidens pro essentia, Elementum particulare pro universali, intelligerentur, in quorum consideratione essentias ipsas minime negligebat, ut sæpè in libro de Diæta, & de veteri Medicina, virtutem omnem, & actionem non in simplicibus qualitatibus, sed substantialibus, & essentialibus semper tribuit, *nempe calido, amaro, acido, frigido, insipido, sicco, aspero, humido, dulci*, & talibus omnigenis & innumerabilibus facultatibus, quas δυνάμεις vocavit; Itaque ex tali calido, frigido, humido, & sicco, ex tali sanguine, pituita, ex duplici bile, & tali igne & aqua prodire tales fructus necesse est, qualia sunt semina, quæ Elementa vel materiam ut radicem rei talem vel talem effecerint: similiter in tali sale, sulphure, Mercurio, talia semina habitare necesse. Nam loca, matrices, Elementa, corpora, seminibus consentanea esse debent, alioqui non fiet generatio: Ita cum dicit Hippocrates, nullum animal mori, manifestè ostendit, se animalis nomine, non intelligere hominem, quod ex carnibus, ossibus, ligamentis, venis, sanguine, nervis compactum est; sed hujus compositi speciem, semen, principium, causam, radicem: alioquin si una species periret, omnes pariter corruerent, & vacuum in speciebus committeretur, quod longè deterius esset, quam vacuum in corporibus absque quantitate admittere. Tandem qui annales temporum volvere voluerit, Philosophos sibi coætaneos, Democritum, Heraclitum, Empedoclem, Anaxagoram, Parmenidem, illos antiquæ primæ & sacræ Phi-

Philoſophiæ fuiſſe alumnos, apparebit, naturæque penetralia debita, ſuperatis umbris, adiiſſe: ex quibus patet, quam defecerit hoc ſeculum à vera genuina Hippocratis, & veterum Philoſophorum methodo, quos Ariſtoteles inſanos, fatuos, deliros, ſæpius vocat; unde non ineptè Simpſonius Scothus inſignis Philoſophiæ Pontomoſanus profeſſor, legendo publicè Acromatica Ariſtotelis, ſæpius dicere ſolebat: Credo Ariſtotelem omnes veteres iſtos armis ſuis ſpoliaſſe, ut eos inermes citius debellaret: ex quibus patet hanc qua triumphat hoc ſeculum, Philoſophiam, nulla authoritate antiquitatis ſtabiliri: unde author hic exemplo Patricii, & aliorum multorum in diverſis hujus operis locis, Ariſtotelem, aliquando Peripatethicam Cohortem & Galenicorum ſectas, acerbiuſculè nominavit, aliquando etiam irriſit, ſæpiſſimè dogmata illorum reprehendit: at iſta Philoſophum non ſatis decere dicet aliquis, præſertim erga viros tantos, cui Philoſophiæ ſtudioſi multum debeant, ut pote à quibus ſapientiæ plurimos hauſerint latices, & qui fama ut tunc, reliquis Philoſophis & Medicis hujus ſæculi omnibus celebratiores ſunt. Huic objectioni iſta authoris noſtri jura defendemus, dicendo, authori huic cum Ariſtotele, qui bis mille; nec cum Galeno, qui ſexcentis ab Ariſtoſtele jam annis vita ſit functus, nihil rei eſſe, ob quam eos odio proſequatur, niſi unius veritatis amore, atque ſtudio, pro quibus temperare ſibi non potuerat, quin indignationis aliquid adverſus Peripatethicos & Galenicos oſtenderet: ſed cum illorum dogmata pleraque non probarit, & eorum falſitatem detexerit, non ſolum excuſationem nullam quærit, ſed magnopere ſe ab æquis Philoſophis, ab ipſomet Ariſtotele, ut Galeno quoque, laudandum eſſe arbitratur, idque non alia ratione quam Ariſtotelico monitu illo vulgato, quo dixerat, *Amicum eſſe Socratem, Amicum Platonem, magis tamen eſſe Amicam veritatem: & Sententia hac ſua alia, quæ eſt primo Nichomachio. Videatur autem fortè melius eſſe & oportere, ob veritatis ſalutem, etiam propria deſtruere, præſertim eos, qui ſunt Philoſophi, utrumque enim cum ſit amicum, pium eſt proferre & majore proſequi veritatem amore.* Itaque cum hæc ſint Ariſtotelis monita, Philoſophis Philoſophicè pronuntiata, qui authorem noſtrum jurè accuſet, ſi Ariſtoteli veritatem tot locis prætulerit, ſitque etiam ubique in poſterum prælaturus, ſi quis igitur poſt hac eum accuſabit ſi liberè atque Ariſtotelicè Philoſophabitur, imo & hujus veritatis Aſſertatorem habebimus in multis Peripatheticorum diſſertationum locis Patricium Venetum, cujus veritatis ſolius cauſa fatetur, ſe jam ante aliquot annos Ariſtoteli fuiſſe ſubiratum, & adhuc eſſe: Idque pluribus de cauſis, quarum prima atque potiſſima ea eſt,

*Quod*

*Quod erga Deum sit impius;* Dum vel Anarchiam vel Poliarchiam mundo præfecit, & Deo tum omnipotentiam, tum providentiam adimit, & tot dogmatibus, quot proximè ostendimus, fidei Catholicæ hostis sit acerrimus. In quibus latissimam spargit impietatem, & incautis etiam persuadet. Impium autem hominem & Dei hostem, quis non odio prosequatur ingenti; Platonem è contra, Platonicosque Philosophorum testimonio Divi Augustino Nobilissimos quis non intimo ex corde plurimum adamet, qui tot dogmatibus & Deo sunt Amici, & fidei nostræ concordes, ut qui paucis mutatis quod attestatur idem Augustinus Christiani essent; & cum quibus ait, nullum esse Christianis conflictū? Secunda ergo hac causa, Patricius Platonem suosque omnes maximè adamavit, eisque totum se se dedidit. Inde factum ut eos semper Aristoteli prætulerit, Et tertia de causa. *Quod Alexandrum magnum à quo maximopere fuerat cultus, Hermolai Philotæ & aliorum conjuratione, non semel impetivit, & tandem veneno extinxit, virum quotquot orbis tulit, optimum, & de toto hominum genere meritissimum, cujus actiones plusquam Heroicas, supra omnes aliorum hominum omnium, alias Patricius ingenti prosecutus est semper admiratione.* Quarta de causa eum etiam odio habuit, quia vir ingratissimus & ut Ælianus ait, omnium irrisor, Platonem à quo per viginti annos omnium scientiarum dulcissimum lac suxisset, eoque esset impinguatus, sicuti mulus matrem calcibus impetivit, & viventem de schola ejecit, & mortuum scriptis suis plusquam alium quemquam, in omnem dilaceravit posteritatem. Sed & quinta accedit causa, quod sit traditum, eum veterum plerorumque libros igni combusisse, ut dogmata quæ ab illis surripuerat, sua inventa viderentur. Addam quod omnia quæ de natura animalium scripserat testante Laurentio ex magno Hippocrate desumpserat, quæ tamen ingratissimus ejus nominis nunquam meminerit. Et sic finis Capitis primi de ortu & progressu Philosophicæ & Medicæ artis esto.

# ANACEPHALEOSIS

## CAPITIS SECUNDI.

## Quid ſit Medicina & quæ fundamenta habeat Natura

*Medicina omnium morborum ab altiſſimo creata eſt , & in natura collocata , quæ debitè præparata , & ab Elementis impuritatibuſque admixtis ſeparata , poteſtate & vitali robore , univerſos humani corporis languores , auferre poteſt , idque non calefaciendo , refrigerando , humectando , ſiccando ; non abſtergendo , incidendo , penetratione , ſed longè altiore actionum proprietate : fundaturq; in vitali principio ſemine , balſamo , vegetabilium , mineralium , & animalium , cui omnium actionum in natura principium acceptum referimus : adeoque legitima hujus naturæ præparatio, & adminiſtratio medicam conſtituit ſcientiam , & Medicos appellat.*

TExtus hujus Anacephaleoſis eſt reſolutio quæſtionis quæ in ſtabilienda origine & fundamento Medicinæ univerſalis verſatur ; conſiſtit enim in præparatione & adminiſtratione materiæ cujuſdam debitæ, quæ Medicinam conſtituit & veros medicos determinat. Proinde dicit medicinam omnium morborum ab altiſſimo creatam eſſe , & poſt affirmationem oſtendit primo in quibus non conſiſtat facultas illa medicinæ univerſalis ; Deinde arrepta occaſione officia ipſius Medicinæ , imo ipſius Ariſtotelis authoritate declarantur , & Epitheta æquivoca ad ejus cognitionem conducentia enumerantur , quæ multis aliis nominibus inſignitum fundamentum totius Medicinæ eſſe aſſerit, magnorum ingeniorum authoritate confirmat , & annonam nominum in tanta rerum fertilitate vilem eſſe aſſerit. Reliqua quæ de præparatione & Medici officio proponit pro ſequenti capite referuntur. Proinde in hoc textu jaciens fundamenta quinti Elementi , ex ipſius Stagirite Authoritate , hujus originem , non ex quatuor Elementis vulgaribus , ſed immediatè ab ipſa eſſentia deducit , quam nequaquam ex Elementis vulgaribus emergere aſſerit. Nam ipſa Elementa vulgaria & omnia compoſita Phyſica , à prima & originali eſſentia Metaphyſica creata ut Elemento , totam naturam tam incorpoream quam corpoream integrante

tegrante deducuntur, quatenus participes nempe primarum causarum sunt. Essentia enim creata Entis & unitatis rationem habet, & omnis multitudo, sunt quasi Elementa & composita participia, & soboles unius ut demonstratur propositi. I. de Ente Philosophiæ meæ Pyrothechnicæ Gallico Idiomate conscriptæ,& cum sit soboles primæ essentiæ creatæ, quæ multitudinem occultant, taliter intus debent esse unita, ut foras prodeant discreta: ita tamen prodeunt, ut ordinem qui soboles est pulchritudinis observare debeant. Ordo autem existit in prioritate & posterioritate progredientium: prius enim progrediuntur ea quæ similia & intima sunt, ante dissimiliora, & prima progredientium secundorum causæ sunt, & secunda tertiorum, usque ad materiam quæ est collectio multarum potestatum in ipsa terminatarum, & superiorum & radicalium causarum actum per conversionem ad suas causas, & quasi lumen à lumine attrahentium,& harum potestatum series, quamvis infinita sit, per progressionem, quasi lumen à lumine,ut essentia ab essentia deferens, tamen ad septem radicales & præcipuas essentias reducuntur, & demum ad unam per conversionem ad primam causam recolliguntur, & hac ratione prima causa erit causarum omnium promptuarium,in qua tanquã in loco Custode Matrice,abysso,Elemento,Elementante,omnes causæ prolificę delitescunt, sicut materia est ultimus effectus,est terminus ubi vires & actus præcedentium causarum in infinitum discurrentium coërcentur. Proinde primam materiam, locum & terminum sicut primum Creatorum Ens creatum, statuit Plato, quorum intermediæ causæ sunt essentia ab Ente, hoc quasi à causa fluens, & in effectum progrediens: omnis autem progressio est motus, & omne creatum duplici eget motu, nempe ut se conservet in suo esse, & ut se se prodat, rebus extra se; & hic motus extra se fit ad normam stabilissimi & non perituri, nec erraturi motus, intra se. hoc est in sua essentia: & hic motus vitam producit, quasi primum pullum, qualis fuit ille ab incubatione Spiritus Divini super aquas illati, virtute verbi omnia fœcundantis: *est enim vita, essentiæ effervescentia & actionum origo.* Et hæc vita intellectum producit, qui nihil est, quam vitæ internus & stabilis rerum secundarum scientificus motus, adscitus vel acquisitus, quem Galenus lib. de fætus formatione multum miratur, nam in eo sapientiam & prudentiam multam apparere asserit, & in cujus veritate investiganda planè desperavit: Dum se tristitia magna affectum affirmat, quod causam hujus formationis, qua animus discendi avidus satiaretur, non inveniet: & hic motus sive gradus essentiæ producentis, motum alium producit, ad extra quem animam vocamus, movens seipsam primo,

& deinde corpora ; seipsam per participationem proximæ suæ causæ intelligentis ; corpora vero non crassa sed spiritualia , & à verorum Entium classe tantum discrepantia , quantum anima sua causa ab intellectu , & intellectus à vita , & vita ab essentia , quasi tamen à splendore , & splendor à luce , distare videtur , & hæc spiritualia corpora à Platonicis nominantur , & Anima naturam seu formam producit , quasi effectum , quem materiam vocamus ; quæ quidem materia non est corpus , sed incorporeas duntaxat corporum rationes continet , & colligit , ut verorum Entium imaginibus hypostasin & subjectum corporeum præbeat. Ex prædictis ergo patet , harum potestatum series posse in unitate considerari , & unitate vocari posse virtutem Divinam diffusam per universa : & quia virtus illa infinita est , reducemus in septenarium ordinem juxta virium & actuum gradus , actiones altiores & potentiores aut debiliores vires desiderantium ; quas in ista unitate concludimus , & unicuique ordini suæ seriei potentias pene innumerabiles & omnigenas attribuimus : tot enim quot singulæ istorum entium essentiæ potentias in se continent. Itaque absq; multiplicatione Entium dicere possumus , quod primum Ens creatum in se contineat omnia ~~Entia , & quod~~ prima essentia in se contineat primam omnium rerum creatarum essentiam , & omnium rerum essentias ; prima vita omnium rerum vitam , & primus intellectus omnes intellectus , & prima anima omnes animas , & prima forma omnes formas , & prima materia omnes materias : Hinc facile est originem omnium rerum indagaturo satisfacere : ut si primæ materiæ originem postulaverit , dices ab actu seu germine formæ emanare , sicut formam ex actu seminario animæ , & animam ex actu seminario intellectus , & intellectum ex actu seminario vitæ , & vitam ex actu seminario essentiæ , & essentiam ex actu seminario entis creati primi : Et simul asserimus hanc materiam & omnes particulares materias , participes esse formæ , naturæ , seu spiritus universalis : & hanc formam , & alias formas particulares participes esse animæ : & hanc animam & omnes animas particulares , participes esse intellectus : & hunc intellectum & omnes intellectus particulares esse vitæ : & hanc vitam & omnes vitas particulares participes esse essentiæ : & hanc universalem essentiam & omnes particulares essentias contentas sub illa , participes esse primi Entis creati : & hoc Ens omnibus inferioribus entibus gradum productivum suppeditat ; Nihil enim de se producit , nisi productum & producens actu in utroque sint : nihil enim agit nec producit , nec patitur in semine actuali , nec producitur , nisi sint in actu. Ita homo & planta est in semine actualiter , nempè in actu seminario , qui hominem actualiter producit extra

tra ſemen, & non potentia (ut vult Ariſtoteles) quæ nihil nec producit nec agit; nihil enim agit præter hoc quod agere poteſt,& iſta potentia non provenit, niſi ex actu & potentia; & eſſentia cujuſque rei eſt exiſtentia in actu, ſeu potentiæ emanatio, habens vires & actionem, provenientes ex iſta emanatione, ſeu exiſtentia, & totum quod eſt, per actum entis eſt: & vires proveniunt ex eſſentia ſtabili, & eſt in illa eſſentia: & totum eſt quaſi illius eſſentiæ extenſio, & quaſi præparatio interna actionis, ſicut actio eſt expulſio virium ad extra pro perfectione operis ſuſcepti: & hæc ratio dicitur actus, per quem ſingulæ res producuntur, mediantibus viribus. Ita quod fuit in eſſentia ſeminis, fuit actu ſeminario: potentia igitur nullam habet actionem, ſed reſpectum duntaxat habet ad actum futurum, per quem id quod emanare debuit à ſemine, habere debuit actum extra ſemen, aut aliter, potentia nihil eſt quam præſentia virium præparatarum ad actum. Nihil enim debet eſſe in aliqua re, quod non fuit actu in ſuis principiis: & hæc doctrina non ex hominibus, ſed ex Deo rerum omnium optimo & maximo Creatore Noſtro contemplandam habemus. Et vera ratio & ſenſus nobis demonſtrat: Benedictione enim Divina & viribus verbi Divini, actuatæ fuerunt aquæ, & animatæ ſpiritu Domini, qui ferebatur ſuper aquas, & hic actus eſt univerſalis, mundo & ejus partibus infuſus, & lumen internum à luce & ſplendore Divino propagatum, ut Calorem blandum, ſeminarium & vivificantem ſingulis mundi partibus impertiens. Et hic calor non fuit qualitas Elementalis aut accidentalis, ſed Metaphyſica & ſubſtantifica; non corpus, ſed incorporeo corpori, aut leni fluore inſeparabiliter inhæreſcens; nec molis magnitudine, nec partium diſtantium, nec dimenſionum ullis vinculis alligatus. Spiritus enim Dei liber eſt, & ſpirat quo vult, & Elementa ubique penetrat, Archetypa Mechanicaque ſcientia leges à Deo præſcriptas ſine confuſione ſemper obſervans: & corpora generationi conſecrata, & ſeminali virtute turgida fovens, & ad maturitatem promovens; per terram tali ſpiritu ſpecifico actuatam, germina proferens, & herbam & arborem viventem & fructiferam; producens fructus corporeos, huic actui incorporeo, & ſpeciei conformes, in quibus ſemen ſuum corporeum in corpore aliquo ſiliquoſo & craſſo & ſpecifico continetur: quorum amborum vis & actus, nempe corporei, à radicali, inviſibili, & inſenſibili ſemine, virtutes & actus extra ſpeciem incorpoream, & inviſibilem hujus ſeminis corporei producitur: voces hunc actum animam, ſpiritum, ſemen, virtutem, potentiam: certum enim eſt, ante ſemen ſiliquoſum & ſulphureum, in alia ſubſtantia, & ſubjecto extitiſſe, & ſi à rebus ſenſi-

ſenſibilibus cenſuram inſenſibilium liceret deducere, poſſumus dicere rudimentum ſeminum inſenſibilium à nucleis inſenſibilibus non multum differre: Nam ſicut ſulphurea omnium ſenſibilium luminum uni ſulphuri ſunt ſubjecta, ſic ſulphur intellectuale inſenſibilium ſeminum, ſunt baſes ſenſibilium: virtus enim multiplicativa luminis quæ in omnibus conſpicitur, quid aliud eſt, quam ſpecies lucis in ſulphure magis aut minus inextinguibili deliteſcens? nam ſicut ſemen inſenſibile aut incorporeum eſt luminis intellectualis ſpecies, ſic ſemen ſenſibile & corporeum eſt luminis ſenſibilis & corporei ſpecies; & ſicut lumen intellectuale eſt in eo quod habet animam per participationem intellectus ratiocinatione, concluſionem mentificam de rebus agendis & componendis ſecum ferens, ſic lumen ſenſibile dirigit oculos, ut decernamus diverſaram ſpecierum differentias; & quemadmodum illud lumen ſenſibile oculi, & inſenſibile animæ, habent ſuos actus tam extra res ſenſibiles viſas, quã inſenſibiles extra intellectum recollectas: Sic ſpecies ſeminariæ non minus abſque abſurdo conſiderari extra ſuas ſpecies corporeas poſſunt, actus ſuos ſeminarios ſeminali eſſentia conſervantes, & foventes; & eſſentiam hujus actus, author noſter Abiſſum vocat; Orcum cum Orpheo, lucem cum Hippocrate, matricem locum, vocet Elementum, perinde eſt; annonam enim fieri in tanta rerum fertilitate vilem eſſe dicit Author: Sed ut omnis æquivocatio & errandi occaſio tollatur, diſtinguendum eſt inter actum & actuatum: actus enim conſideratur in cauſa, ante ſuum effectum, eſtque univerſalis & in ordine indifferens, ſed in actuato eſt particularis, & ſpecie differens & individuus, eſt Relolaceus, ut recte ait Author, hoc eſt non à radicalibus ſed à ſecundis cauſis proveniens, Proinde cum ait Hippocrates, nihil unquam perire, non intelligit, de ſpeciei individuis, hoc enim eſſet falſum. Sed intelligit ſpecies rerum nunquam perire, nam ſi tota ſpecies periret, ut rectè ait Author, fieret vacuum in ſpeciebus, quod eſſet magis abſurdum, quam vacuum in corporibus admittendo; actus igitur hic primus, diverſemode graduatus eſt, ille nempe, quem animi poteſtatem vocat, nobilioris & Divinioris corporis participem eſſe dicit quam quæ quatuor Elementa vocantur: certe dum hanc poteſtatem, ait eſſe participem alicujus corporis, non ſimpliciter, ſed Hypallageticè contentum pro contento nobis expoſuit. Corpus enim omne continetur ab anima, & non è contra, poteſtas autem animæ conſiſtit in motu, anima enim movet ſe & movet corpora. Omnis autem motus eſt actus, & omnis actus à viribus eſt, & vires ab eſſentia. Cum autem animæ poteſtas primaria eſt, ſe & corpora movere poteſt, at animam neque

ullam

ullam ejus potestatem, ullius corporis participem esse credere par non est; inferior enim est omni anima, corpus & ejus potestate corpus, & res corporeæ: & inferiora quidem participare possunt superiora, at non è contra, juxta Prop. 7. Cap. 1. Articul. 1. *Omne enim particeps participato est inferius, & participatum imparticipabili.* Divinum igitur corpus hoc, quod Divinius esse dicit corpore Elementorum, dari quidem potest, at aliquam animæ facultatem illius corporis esse participem asserere; est originem ab effectu, & producens à producente derivare, quod est contra sensum, & ea quæ à me demonstrantur, certitudine Mathematica Prop. 3. Cap. 1. Artic. 1. Commentariorum. *Omne enim productum alterius præstantius est natura producti,* Alioquin in Causarum productione, maxima jactura veritatis intercederet; Nam sic continens in contento principale in minus principali, in posteriori prior in effectu causa, in simulacro exemplaria repererentur, quid igitur tribuitur animæ participatæ participantis facultas, nam sic causa corporis quæ est exemplum corporis, haberet participationem corporis, imo contra Hippocratem in libro de Diæta dicentem, *& anima hominis, corpus enim animæ consentaneum fecit, ab ea enim fluit corpus*: Sicut in verbis Aristotelis videtur textu subsequenti insinuari, ubi corpus statuit differre majore aut minore puritate, juxta dignitatem animarum, sed non è contra. Proinde certum est Aristotelem in hoc loco minus Philosophicè locutum fuisse, aut non intellexisse corpus, quod ex quatuor Elementis originem duxit, neque ex quinto Elemento, sed esse corpus quoddam proportione ipsi correspondens: Proinde explicat mentem verbis illis, declarando se corporis voce naturam spiritualem intellexisse, nam ut Author noster ait, impressiones validiores, velociores penetrationum potestatibus illæsis, dimensionum legibus, fuga vel volatilitas: Spirituum & corporum discrimina conficiunt, & reciproca erit horum natura, nam ex spiritibus corpora producuntur, & rursus corpora in spiritus resolvuntur: inter spiritus & corpora inesse memorabilem latitudinem asserit author, adeo ut aliqui inter se collati spiritus crassiores, corporis appellationem merito sortiantur, & corpora similiter penetratione, alteratione crassioribus collata, spiritus nominentur; ita sunt incorporei spiritus, & incorporea corpora, sicut corpora itidem spiritualia, & rursus spiritus incorporei. Deinde dicit corpus hoc, spiritum hunc incorporeum continere in se semen, suæ fœcunditatis causam; nempe ipsum calorem, quem spiritum vocat, & naturam quæ in eo spiritu est, dicit habere proportionem cum Elemento stellarum, hoc est esse Divinum, & essentiale, & innatum, quale quid in sole, in lumine, in anima-mali-

malibus deprehendimus. Sed dicet aliquis, quomodo veniat calor ſolis ad ſemen? Reſpondetur quod calor ſolis cum ſit ſpiritualis, non ſolum per vias manifeſtas, ut per inſpirationem, ſed per poros, oſſa, oculos, penetrare, (nulla enim corporis pars tam ſolida eſt quæ ſpiritibus aditum non concedat) nec concipiendus eſt ille calor, ut qualitas vulgarium Elementorum, ſed erit ſpiritus corporeus ſalis nitri, qui fœcunditatem iſtam à ſole defert, cum aura & lumine, & idem præſtat ille calor ſemini, atque putridus fimus terræ ſterili: terram enim ſterilem, à ſole nitroſo fœcundari haud novum eſt credere, & qui neſcit agricolas conſulat, & inveniet nitrum copioſum in caulis ovium & ſtabulis animalium, ex illorum urina & excrementis copioſè inveniri. Unde in defectu radiorum ſolis, qui immediatè terram feriendo, ad minus rectorum radiorum defectum, terram fœcundare debent, quam in locis ad ſolem minus expanſis poſſunt: Animalium enim Excrementa, mediante hoc nitro, à ſolis radiis non ſolum; ſed & ab aſtris aliis tam per viſibiles imbres, quam per occultas influentias huc demiſſas, ex ſterili fœcunda redditur, quod denique quaſi ex divite penu redditur ſeminibus, ad ſeminum novorum productionem, & ex iſto ſemine imo ſtramine ex paleis, fœno, & terra productis, redditur animalibus, quæ terræ accepta fuerunt, & terra ex calore nitrato remittit ad ſolem & aſtra, qui denuo in terræ gremium rurſus deponunt, juxta illud Lucretii.

*Cedit item retro de terra quod fuit ante,*
*In terras, & quod miſtum eſt ex ætheris oris,*
*Id rurſus cœli receptum templa receptat.*

Eodem pacto in adultis omnibus reperitur cinis, in quo ſal eſt, qui eandem quam ſol & aſtra, terris fœcunditatem præbet, & qui participationem ſpiritus ætherei obtinet, & hic ſpiritus ab Ariſtotele corpus Divinum nominatur. Denique dicit continere in ſe ſemen, nempe ipſum calorem, quem dicit eſſe ſpiritum, & non ignem. Author hic naturam & ſolem internum, vocat *Mumiam*, itidem & *Balſamum*, *vitale ſulphur*, *naturam radicalem*, *ſpeciem*, *ſemen rei*, *& aſtrum*, in quo dicit eſſe naturam in qua principium actionum, fons & moderator ſeminariæ virtutis rerum continetur: itidem *quintam eſſentiam*, *vitale Elementum*. Paracelſus *Mumiam*, *Materiam Cryſtallinam*, *Mannam*, *Mercurium*, *Arcanum*, *Elirix*, *materiam perlatam*, *quintum Elementum*. Hippocrates de antiqua Medicinæ natura, illam δύναμιν appellat, in libro de carnibus θερμόν, & dicit *Divinum aliquod eſſe omnia audire & intelligere*. Theophraſtus Græcus Ariſtotelicæ Philoſophiæ alumnus libro de cauſis Plantarum *vitale principium*

*cipium innatum.* Galenus eximiæ hujus rei, & tam nobilis & neceſſariæ, in medicina, & actionum poteſtate adductus, ſub totius ſubſtantiæ nomine nobis propoſuit, confeſtim tamen illius ſubſtantiæ nomine correctione utitur, totius ſubſtantiæ appellatione, tamen nihil aliud ſignificari, quam callidi, ſicci, humidi, & frigidi commixtionem; ſed quid mirum, cum in Moſaica doctrina tum Platonis, prorſus rudis & tyro fuit, imo nec deſtillatoriam calluerat artem; multo minus in Chemica verſatum eſſe teſtatur, quæ quam plurimum ad hujus rei, (quæ fundamenta totius medicinæ continet) cognitionem plurimum inſerviat. Et ſi perutilem nobis aliquam in Medicina operam rulerit, eam totam ab Empiricis hauſiſſe ingenuè fatetur, imo præceptoribus uſus eſt Empyricis, cum tamen puri Galenici omnes altioris ſapientiæ & Chemiæ cultores, pro Empyricis ubique proclamitent, & volunt ut ita in vulgi opiniones ubique interpretentur, ſed fraus illa nimis ſuperficiaria & in auras jam ubique evaneſcit. *Fernelius palam fatetur ſe in natura quippiam excellentius contineri ſcire, ſupra vulgatas Elementorum vulgarium qualitates evectum*, etiam in errore verſari eos dicit, qui omnium actionum cauſas iis adſcriberent, ſed conditiones hujus Elementi interni ſe ignoraſſe modeſtè confeſſus eſt, dum multas abditas rerum qualitates in omnibus rebus contineri affirmat, quas totam ſubſtantiam, formam ſubſtantialem, nominabat, Platonici nobis materiam quandam appellabant, ab anima mundi gravidam, & rationibus fœcundam, cujus miniſterio prodirent, quæ in ſinu ſuperioris naturæ deliteſcebant, hancque naturam ſeminalem, vel ſeminis cuſtodem, vel conſervatricem nominabant, & niſi nominum invidia rebus infamiam pareret, diceret author hanc eſſe quintam eſſentiam, à veteribus Philoſophis tam decantatam, ſed non quintam eſſentiam ab Elementis concretis ortam, tunc enim productum producente nobilius eſſet contra omnia quæ à me demonſtrata ſunt Prop. 3. Articul. 1. Cap. 1. Element. Philoſoph. Pyrotech. ſed dicitur quintum quia quintum inter abſoluta vitalia, & radicalia Elementa, à vero & primo creato ente locum obtinet, & hæc eſt illa quam Platonici naturam ab anima mundi gravidam eſſe aſſerunt: gravida enim eſt à ſua immediata cauſa, Anima, quæ ab intellectu producta fuerat, ſicut intellectus à vita, & vita ab eſſentia, & eſſentia ab Ente creato, & producit ſibi ſimilem partum, nempe materiam, utpote tot entium radicalium ultimum terminum, tot gradibus à proximo ſui productore diſtantem, quot productor ab anima, & anima ab intellectu, & intellectus à vita, & vita ab eſſentia, & eſſentia ab Ente primo creato diſtare intelligitur: & tota hæc ſeptem Elementorum multitudo, ſeu vita-

vitalium Entium series, per diversos rerum gradus, ad majorem dilucidationem distincta, in unitatem reducitur, sub animi seu spiritus nomine, & in Mosaica seu veterum Philosophorum doctrina, sub spiritu Domini, qui ferebatur & incubabat aquis, & primus nullus qui ab hac incubatione ex aquis (materia nempe) eductus fuerat, fuit istorum Entium radicalium exemplatum primum, spacium nempe, at primus primi ordinis hujus fœtus in spacio fuit posteriorum entium, incorporeæ & corporeæ nempe naturæ, seminarium vinculum, lux; seu ejus ratio seminaria, aut semen, rerum faciendarum rationibus refertum, per septem etiam seminariarum rationum ordines educta, quæ itidem tertium septenarium ordinem, in tria principia & quatuor elementa concreta dividuntur, constituit, de quorum ordine & numero, omnia inveniet curiosus lector, quæ pro illorum natura intelligenda conducere possunt, in libro meo Gallicè verso, cujus titulus est Elementa Philosoph. Pyrotech. & particulariter in tabula sive Sphæra Entium radicalium.

---

# ANACEPHALEOSIS

## CAPITIS TERTII.

### Quod sit Medici officium, & quæ in Medicina requirantur.

*Quia Actionum Omnium Naturalium Fundamenta, in materia illa Radicali Balsamo & vitali sulphure continentur, debet Medicus proprietates, differentias, præparationes & administrationes hujus naturæ, omni sedulitate, cura, & diligentia investigare, idque Analysi supradicta. Hæc brevitate obscuritatem ostendunt, sed in sequentibus capitulis copiosius clariusque proponentur, dum particulatim singula resecabimus, quæ hic universim proposuimus.*

IN tertio capite de Medico ejusque officio agens, Medici officium explicare incipit, rationesque à materia in præcedente capite commemoratas adfert, per quas rectè docet, medicorum recentium industriam à vilibus artificibus aliquando superari, ita ut facilè sit judicare quantum hodiernum sæculum, à Parentum industria, sagacitate & dignitate desciverit, & cau-

& causam reddere, quare Medicorum tanta sit hodie vilitas, inter multas nationes, & præcipuè inter Gallos, contendit ut ægrè possit alicui medico, quamvis ex nobili aliquo stemmate (quod raro ipsis contingere solet) nato, nobilitatis titulum concedi. Ita enim Nobilissima illa ars, quæ ab ipsis sacris literis, tot nobilitatum, dignitatum & honorum encomiis olim ornata fuerat, quæ (cum ut ait in textu Author noster) ne quis sordidas aut Mechanicas arbitraretur, ut Medico & Philosopho indignas, antiqui inventionem ac antiquitatem Diis ipsis adscripserunt, & quæ artifices suos nobilitabat, jam inter viles artes consternitur, & ita defœdata hodie apparet, ut pristinam Majestatem omnino ab Artificum insufficientia deposuerit, imo talis est abusus literaturæ communis, ut si quis Psittaca garrulitate prævaluerit, plus apud vulgus proficiet, quam si quis apud Gamalielis pedes consenuisset: Hinc fit ut tota hodierna eruditio, sit ab omnibus spreta, & talis accipiendarum pecuniarum apud universitates insania, ut si famulum habere hodie utcunque congruè loquentem, & quem ad Doctoratus gradum erigere studerem; spatio trium mensium plus addisceret, quam ut pro actibus qualibuscunque plurimarum celebrium universitatum totius Europæ satisfaceret, unde procrebuit Adagium, sumatur pecunia & demittatur Asinus: ita Mirabiles hi Medici, ense cincti, tum plumis ostraceis ornati non absque misterio multis Regionibus septemtrionatibus apparent. Imperium super Pharmacopeos & Chirurgos incautos perfricta fronte, & illotis manibus, in ipso vestibulo usurpantes, ita similium hominum petulantia ipsos Pharmacopæos & Chirurgos animavit, ut etiam literas Doctoratus ambirent, & si fata voluerint, pro mulis & Asinis tandem accersant, cum tamen nullam artis vel levem tincturam habeant, præterquam illam à Pharmacopæis, vetulis aut destillatoribus Chemicis ipsis inscientibus exsugant, imo modo veterum aut Augustanum dispersatorium legerint, nihil nisi de secretis jactitant & omnia esse in tuto credunt; interea tumibundi, quasi cæco aliquo equo devecti, literis Doctoratus expansis per saxa per ignes impunè ruunt: & nulla seniorum aut Præceptorum reverentia aut discendi apud illos necessitate habita, Asinum amissum illorum artibus recuperatum fuisse ignavæ Plebi susurrant. Cum tamen ædes in mortis Regno jugiter designare judicentur, & ne appareat fraus, pulvere oculos asstantium offuscant, Histrionibus illis non multum dissimiles, qui objectis peregrinis spectaculis, incautam plebem vanis promissis decipere student: hos audio de secretis multa jactitantes, se per pulveres quosdam sudatorios, è scrinio forsan Destillatoris Chemici sumptos, qui quocunque die &

hora exhibiti ad miraculum omnes usque febres continuas jugulare posse jactitant, & febres Symptomaticas quæ magna vulnera concomitare solent, non excipiunt, quas ego cum ipso ægro ablatas, cum maximo animi mœrore conspicere soleo: hanc autem curandi methodum anilibus fabulis postponendam, ab imperita plebe addiscunt, imo ut timidiusculis mulierculis complaceant, horrore ab amissione sanguinis affici testantur, cum tamen author noster hoc unicum in vulgari medicina esse relictum remedium verum profiteatur; Jalapo in febribus ut Pan Christo promiscuè utuntur; cujus prima facies quamvis mellita appareat, absque nausea enim & in parva dosi exhibetur, unde gratia exhibentibus conciliatur, sed in fine venenum læthalis dissenteriæ latet. Cerosos hydropicorum humores etiam evacuat, ita ut quasi liberati videantur, sed evacuato similiter humido radicali, omnia in deterius corruunt, & ægrum conclamatum esse denuntiant: horum præsidiorum satillites sunt Antidota multa calida, ad corroborandum stomachum à mulieribus eventilata, sed pro tacitis illorum Præceptoribus, Pharmacopeo nempe, & senioribus famulis ditando, magis proficua, à quorum remediorum usu si abstinerent, vererentur ne subito fidem omnem & famam apud vulgus amitterent, & ita pravis istis consuetudinibus, quasi fatali cacoethia nutriti, vix unquam ad resipiscentiam revocari possunt, sed erroribus similibus fascinati, commoriuntur: tales multi sunt Castrenses Medici, & privatarum urbium. qui absque seniorum commercio prima fundamenta Medicinæ practicæ jaciunt, quum tamen in commercio multorum Medicorum seniorum, spatio unius anni plus addiscitur, quam inter Castra & Plebem centum annorum spatio addiscere queant: interea seipsos simul & plebem decipiunt, quamvis stupendo aliquo enthusiasmate se accensos esse autumant, quum nihil quam meram & puram Empyricam, nulla causarum habita ratione & cognitione exerceant; eaque nihilominus impudenter provehuntur, ut supra seniores qui in theoria quam praxi in celeberrimis totius Europæ Civitatibus & seniorum cætibus consenuerunt, vexilla extollere ambiant: sed qui talibus crystas illas arrogantiæ avellere velit, à longè respiciat & despiciat, nec consilio aut consensu juvet, sed ad equorum præfectos dimittat, ut stabula peculiaria ipsis designent, ut cum indomitis equis, modestiam & meliores mores addiscant: verum fateor in hoc casu, in Christianam Charitatem impingi, sed asini caput lavare est lixivium perdere, maturior ætas & sui tandem post multiplices errores cognitio, forsan in rectam viam deducere potest, nam tales docere & in rectam semitam deducere offendere est; spem quidem adhuc aliquam haberem illos

illos ad aliquam aliquando resipiscentiam perventuros, si illorum sufficientiam lædi non crederent à seniorum consiliis, aut ad minus si tempus potationibus insumptum, in lectione mortuorum præceptorum, Philosophorum & medicorum insûmerent, & fundamenta bona jacerent, & ita plura ex nostro hoc authore incomparabili, quam ut aliquot fucata verba de triplici Regno blatterare discerent, aut de spiritibus Mechanicis, de Munia, de Balsamo, materia Perlata, ne Severinum Danum non legisse videantur, aliquid dicere, aut ne Chemiam ipsam, quia in vestibulatorio laboratorii alicujus Chemici spacio duarum horarum in vita semel forsan hauserint, ignorare judicentur; nec similibus haud ineptè objicitur illud doctissimi Cornelii Gemmæ, qui quamvis ipse Medicus in frontispicio tamen suarum Ephemeridarum, laudes talium condignas promulgare non veritus erat.

*Iuridicis crebor fisco fas vivere, rapto*
*Militibus, Medicis, tortori, occidere ludo est,*
*Mentiri Astrologis, Pictoribus atque poëtis.*

Et tales sunt Nostri Medici hodierni quamplures, qui nullo alio capacitatis signo adornari, quam gladio & plumis Ostraciis volunt; non sicut viator ut à prædonibus se se defendat, sed uti miles aut Aulicus respectum aucupans æstimari volens, non ut contra morbum pugnent, sed ut se se ad oppugnandum ægrum atque exercendam insolentiam contra Præceptores paratos esse testentur. Cum tamen Medicorum Coriphæus Magnus Hippocrates, genere & professione nobilis, Præceptorum suorum filios, fratrum loco habiturum se protestetur; non igitur gladio, sed respectu & humilitate summâ erga seniores armari debent Juvenes Medici, ut quæ nec ære nec ingenii acumine attingere in æternum queant, morum suavitate, complacentia, & elegantia, suffurari possint: ut inter Medicos quos Homerus designat, & non inter vulgus nomen instabile ademant.

*Vir Medicus multis aliis tibi dignior esto,*
*Dira venena trahens, & Pharmaca mitia fundens.*
*Multa salubria miscens, & lethalia multa,*
*Vnicus existens ritè tamen omnia callens.*

Et debet etiam Medicus plus scire quam loqui, & S. Hieronimi consilium sequi, qui Epistola 3. ad Heliodorum, Hippocratis exemplo admonet, hortaturque ut silentio studeat, & secreta non revelet, *Officii tui est visitare languentes, nosse domos matronarum ac liberos earum, & Nobilium virorum custodire secreta, Officii tui est, non solum oculos castos servare, sed & linguam, nunquam de formis mulierum*

*lierum disputes, nec quid agatur in alia, domus alia per te noverit.* Hippocrates adjurat discipulos antequam doceat, & in verba sua jurare compellat, extorquet Sacramento silentium, sermonem, incessum, habitum, moresque præscribit, non ut plumis ornentur, sed potius toga, aut modesto aliquo habitu, altiores enim honores, (si modo in arte sua excellant) quam militaribus illis spoliis ornari debent, militibus igitur ista sunt relinquenda, ne credant eruditionem aut eruditos ullo pacto militibus, aut militiæ subalternari, nam juxta Paremiam vulgarem. *Cedant arma togæ, succedat laurea linguæ.* Deus enim Medicos tam spirituales quam corporeos honorari præcipit, *& magnatum laudibus, præmiis & honoriis affici vult, & à prudentibus non vult ut despiciantur, in mirabilibus enim & scientia hominibus tradita, vult ipse Deus glorificari, darique locum etiam Medico imperat, quia illum ornavit Dominus, prohibetque ne ante curam discedat, quia opera ejus utilia esse testetur, est enim minister Dei corporeus, neque semper inanis labor ejus, neque morbi eventus*, non igitur opus est vero Medico honores Militares emendicare, nisi illi qui velit propriam insufficientiam alienis plumis resarcire, & videri Miles cum gladio & clypeo, sed absque militari exercitio, sicut Medicus emptitiis literis Doctoratus, absque praxi, imo quod Regibus aut Magnatibus prosunt Regna & Principatus, tum civibus bona multa, colligere terrestria, si non perito Medico, sed Histrioni locum dederit, proinde enim ipsi erit, ac si vitam contempserit, proinde sapiens indifferenter cuilibet Medico introitum dare non debet, sed cui provecta ætas, bona fama & multorum annorum in celebri aliquo cætu medicorum & ægrotantium exercitio famosum reddiderit. *Et quia propter necessitatem creavit illum Deus*, de necessitate homines illum etiam omnes, tam in valetudine quam in ægritudine honorare debent, nam qui Medicos tempore sanitatis non honorat, eum medicus cordatus tempore ægritudinis pari ratione spernet, quidquid in contrarium alblandiri cogatur, propter rationes tacitas, homini spreto subvenientes: proinde homo prudens nec Medicinam abhorrere, nec medicum spernere debet, sed ut sint tales Medici quales sacræ literæ intelligunt, libertas effrena universitatum in pecunia colligenda, edicto Regum & Principum limitari debet, neque omnes universitates æquo jure libertatem inaugurandorum Medicorum possidere debent. Alia enim est ratio Doctoratus Juris, cujus incapacitas ad amissionem bonorum terrestrium tantùm spectat, alia Medicinæ, cujus errores non nisi vitæ damno resarciri possunt. Haud enim exspectandum ab homine egeno, qui ad Theriacæ & Mitridatii mercaturam in Exercitum aliquem accurrit, ut viginti quinque taleros, pro solvendis titulis

tulis Doctoratus corradat, & quem avidè exſpectat Decanus, ut pecuniam ſociis diſtribuat, & aſinum dimittat: bonus verò Medicus à teneris unguilis cum humanioribus literis debet Matheſi operam dare, præcipuè Aſtronomiæ, propter Aſtrologiam, nec ſolum didiciſſe ſatis erat, ſed etiam cum Chirurgicis, Chemicis, Pharmacenticis, inſtitutionibus Philoſophicis, præſertim Platonicis eaſdem docuiſſe oportuit, antequam ad medicinæ ſtudia admittatur, quibus jactis fundamentis, inſtitutiones Phyſicas non ſolum addiſcere, ſed etiam ad duos vel tres annos docere optandum eſſet, ut tunc ad praxim & ſeniorum conſultationes admittatur; Hoc pacto pauciores quidem eſſent Doctores Medici, ſed periti & Aula Regia digniſſimi, è quorum numero imperita Plebs, Chirurgi & Pharmacopæi, aut illi qualeſcunque qui artem aliquam Mechanicam exercuerunt, ut ſunt exercituum crabrones, aut Theriacæ aut Miſtridatii venditores, ſponte ſua ad hoc faſtigium aſcendere perterriti arcerentur, ut peritis Medicis quales author noſter hoc capite ſibi proponit, honoribus debitis frui permittant, quæ omnia in pravo hoc ſæculo optanda potius quam ſperanda ſunt. In ſequentibus univerſalem totius Medicinæ adumbrationem tradit, imo Elementorum conditione & officio cap. 4. & 5. ubi de ſubjecto Medicinæ tum de univerſali illius Medicinæ præparatione agetur. Subjectum eſt Macrocoſmus & Microcoſmus, de quo tria tantum quæri poſſunt, de principiis aut toto, de partibus, & de ortu: principia ſunt vel omnino prima, ut ſunt vel increatum, quæ duas inviſibiles naturas in ſe habet, finem nempe & infinitam potentiam, vel à primis orta, & tale eſt primum mixtum Metaphyſicum, nempe Ens creatum, quod etiam materia Metaphyſica à veteribus nominabatur, & quod in ſeptem ordines aut Hypoſthaticæ ſeu ſe ſtantis naturæ diſtinguitur, nempe in *Ens eſſentiam, vitam, intellectum, animam, naturam, & materiam*: Unde ordo ſeptem rationum ſeminariorum ſpirituum ſeu vinculorum intermediorum, quæ ſunt ſpatium finitum in quo lux ſubprimæva, ſeu eſſentiæ ſunt, ſplendor ſubprimævus, ſeu vitæ, Lumen ſubprimævum ſeu intellectus lumen, calor ſubprimævus ſeu animi calor, ſcintilla ſulphuris fixi, ſeu naturæ ſcintilla, Atomi ſeu primus humor materiæ, & hæ ſeminariæ rationes ab Authore noſtro, Materia perlata, Balſamus, Mumia, Elixir, Elementum radicale, ſæpius nominantur, dicunturque ab Hippocrate δυναμεῖς, libro de carnibus θερμὸν vocat, & dicit Divinum aliquid eſſe, omnia audire, videre & intelligere: eandem naturam appellat doctam & indoctam: vocat doctam, quia directore ut finem ſuum attingat non eget: indoctam, quia non à rebus extrinſecis ſed ab interna ſua eſſentia ſcientiam obtinet, à Galeno tota

tota ſubſtantia nominatur, imo & formam ſubſtantialem non verebimur nominare, modo non ſit illa quam nobis finxit Ariſtoteles: à Theophraſto Græco Ariſtotelis Philoſophiæ alumno, vitale principium in natura, ab Ariſtotele quinta eſſentia, quintum Elementum, Spiritus, corpus, *& dicit hoc corpus continere in ſe ſemen, cujuſque fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe colorem, quem nec ignem nec igneum eſſe aſſerit; ſed ſpiritum, qui in ſemine ſpumanteque corpore coërcetur, & ſpiritum iſtum dicit correſpondere Elemento ſtellarum.* Paracelſus hoc Elementum Mercurium vocat, quintam Eſſentiam, Arcanum, Elixir, Mannam, internum ſolem: neque hic mirandum quod veteres hanc unam Materiam, tam variis imo & contrariis nominibus inſigniverant, annonam enim nominum in tanta rerum fertilitate, vilem eſſe exiſtimat Author: Proinde nunc ſpiritus, nunc corporis titulo denominavit: veteres igitur hanc naturam ſpiritualem vocantes, rectè ſentiebant, impreſſiones enim ejus validiores, & velociores ſunt, quam quæ fuga aut volatilitate corporum diſſipari queant, & ut ſpirituum & corporum diſcrimina conficere poſſint: eſt enim reciproca horum natura, de ſpiritibus enim corpora producuntur, & corpora denuo in ſpiritus reſolvuntur: ſic corpus grani quod terræ committitur, putreſcit, reſolvitur, perit, ſpiritus tamen ubi radicalis humiditas latet, conſervatur: in qua totius ſeminis ſcientia & poteſtas viget, novaque revolutione in mundanam ſcenam progreditur, & corpus novum ſibi fabricat, officiis à ſcientia deſtinatis accomodatum; itaque hæc materia prima, hoc mixtum Metaphyſicum, hæc ſubſtantialis forma, eſt æterna, vera, ſtabilis, fixa, radicalis & fundamentalis ſubſtantia, & ſuper hanc affectuum cauſas, agendarum artificioſos proceſſus & ordinatas cauſarum rationes deducunt veteres, mirandoque ordine poſteriora à prioribus Επερόστατα ab αὐτοπεστατόις aliſtantia à ſe ſtantibus corpora ab incorporeis & incorporea ab incorporo dependere, inferiores à ſuperioribus, debiliora à fortioribus conſervari, gubernari & foveri aſſerunt: & quamvis libertate Philoſophicâ prima materia mixtum vocetur, tamen cum ſit vitale generationis principium, & verè incorporum, mixtionem omnem Phyſicam reſpuit, ſpecies enim eſt, & ſpecies juxta omnium Philoſophorum ſuffragia non miſcentur, ſunt enim indiviſibiles, ſed rationes indiviſibilium omnium habent indiviſibilitatione rationes incorporeas rerum corporearum, ſcientiam artificialem verum naturalium, & quia hæc materia progreditur ab infinita potentia, neceſſe eſt ut in proceſſu motum etiam habeat, omnis enim progreſſio motus eſt, & motus internus eſt exemplaris & idealis & in inſtanti productus, & loco non eget, & dimenſiones omnes corporeas

poreas

pores spernit ; vel externus est, & tunc dictamina & imitamina interni motus perficit, & in loco & tempore collocat, & motus est actio, & actio à viribus, & vires à potentia, & quod pollet infinita potentia, infinitis etiam viribus pollet, & istæ vires non debent esse inanes, sed debent agere, & actus ille non debet esse interpolatus, sed continuus, at continuatio ista est productio, & omnis productio fit prius in se quam extra se, & producens simile sibi est, & dissimile, sed primo simile antequam dissimile producere debet, ( ut Geometricè in commentariis super textum demonstrabitur ) per simile enim producit actum sibi similem, repræsentantem naturam Entis, at non eandem, & cum non eandem, dissimilem, nam altereitatem patitur: ista passio naturam Entis denotat: Ens enim dicitur omne illud quod agere potest & pati, & altereitas facit productum à producente differre, non essentia, sed viribus, intentior enim in producente est actus, remissior vero in producto, potentia, etiam æquè passionem ac actum denotat, & proinde productum primum hujus materiæ Metaphysicæ aut Entis rectè essentia dicitur; quia ex Ente immediatè producitur; agit quia similis debet esse producenti, & dicitur actus entis; patitur quia non est ipsum ens producens, sed productum; neque cessat hæc productio quia bonitatis æmula est, sed à præcedente essentia fœtum tertium producit, quem vitam vocarunt veteres, quæ nihil aliud est quam effervescentia motus interni essentiæ, & actionum origo. Et vita hæc cum vivens sit, vitam aliis producendis impertit, & est quasi vivens essentia, & vita ista mentem aut intellectum producit quasi stabilem vitam, & vitæ continuationem, & intellectus hic est stabilium ordinum terminus, scientiam enim stabilem & dictamina perpetua rebus à se producendis impertitur: proinde stabilem primo essentiam ex se producit, nempe animam, quæ apta nota est se prius, & deinde corpora movere, & dici potest quinta essentia, quia inter duo extrema, nempe primum Ens creatum, aut Materiam primam Metaphysicam, & ultimum Ens seu materiam primam Physicam, medium locum obtinet, producitur enim à stabili essentia & ejus prole vita, & producit instabilem animam, quæ se primò, deinde corpora movet, & spiritum, naturam, seu formam, quæ mixtis omnibus & corporeis naturis artificem sapientissimum se se præbet. Primo Materiam primam Physicam producens quasi finem, limites, & terminos infinitæ Entis, & increatæ potentiæ in materia prima Physica terminans, & quia hic ordo entium reliquos gradus Entis actione præpollet, nomen Septem Elementorum radicalium ab authore sortitur, & sæpe etiam vitalia principia, abyssi, fontes nominantur, & de his

Elementis & primis principiis, ſicut de toto tractatur Capite Quinto.

Principia vero aut Elementa ex primis ſecundo orta ſunt Septem Seminariæ rationes, quæ etiam prima exemplata ſunt, ut incorporea corpora, qualia ſunt Spatium ab Ente progrediens, lux primæva ab eſſentia, ſplendor primævus ſeu vitæ lux à vita, lumen primævum ab intellectu, calor primævus ab anima, ſcintilla ſulphuris fixi à natura ſeu forma, atomi à materia, & hi ſeptem ſpiritus incorporea corpora, ſeu rationes ſeminariæ deſcribuntur Cap. 6. & in Commen. ſuper textum.

Sunt etiam principia & Elementa ex primis tertio orta, & ſunt tria principia Hypoſtatica corporum, Mercurius ſeu fluor, ignis, & aer, quæ cum duobus corporibus Hypoſtaticis (ita pro dignitate & activa qua pollent virtute nominata) fixiſſimo nempe & robuſtiſſimo ſale, & volatili lucidiſſimoque ſulphure, tum terra ſeu arena, ex quo fit vitrum, & aqua quæ Septenarium numerum Elementorum implet, & horum natura generalis officium & munera tractantur Cap. 7. & in Comment. ſuper textum.

De Microcoſmo homine, tum generatione animalium vegetabilium & mineralium etiam tria poſſunt quæri, de principiis, de partibus, & ortu, & de iis tractatur Cap. 8. Videatur textus & Comment.

De generatione & Seminum operatione, tum de mixtione & huic ſuperveniente tranſplantatione, de partibus & de generatione humana & tranſplantatione ipſi ſuperveniente tractatur Cap. 9. & 10. Videatur textus & Commentaria.

De uſu partium actionumque omnium adminiſtratione, & fructibus ſeminum qui fructus ab authore Elementa concreta vocantur, Cap. II. videatur textus & Commentaria.

De fine Methodi tandem ait. Finis autem Methodi eſt Sanitas, quæ quomodo cognoſcitur aut conſervatur, docetur de generatione & tranſplantatione morborum Cap. 12. Videatur textus & Comment.

De locis & temporibus morborum Capite 13.

De curandi ratione & legitima indicationum ac remediorum adminiſtratione, continetur Capite 14.

Denique remediorum differentiæ, proprietates, compoſitiones & præparationes continentur Capite 15.

TEX-

# TEXTUS ANACEPHALEOSIS
## CAPITIS QUINTI.
## De Elementis.

*Elementa ſunt loca, Matrices & Domicilia vitali validâque potentiâ munita, quæ ſemina generationi conſecrata fovent, digeſtis temporibus ſuſcitant, ad maturitatem promovent & emeritis receptacula concedunt immutabili quiete beata, & quia loca ſunt, incorporea ut ſint neceßitas jubet: niſi enim eſſent à dimenſionum legibus abſoluta, nequaquam corporum, principiorum & ſeminum tantam multitudinem tam facile reciperent: tamen non ſunt infinita, vitali virtute fines & terminos perſcribente, quibus non ſolum ipſis etiam ſtandum eſt, ſed etiam ſeminibus, principiis, etiam corporibus utcunq; ſuperba dimenſionum explicatione triumphent. Vacua vel inania ſunt ſimili propemodum providentia: alioquin in æquali favore quibuſdam ſeminibus plus obligata aliorum rationes obſcurius recepiſſent, & minime ſinceras repreſentaſſent.*

### *Hujus Textus Analyſis Logica.*

SUnt loca, hoc eſt ſunt diverſi ſeſtantium gradus potentia & viribus pollentes ab infinito ſpacio in ſpatium finitum diffuſi, ut corpora cuſtodiant, producant & ſuſtineant: vel ſunt cauſæ genericæ & conſervatrices plurimorum effectuum, & ſpecierum in infinita potentia contentorum, quæ quamvis plurima ſint, tamen ad Septem Entia radicalia, quaſi ſpecies genericas, reducuntur, nempe ad *Ens, eſſentiam, vitam, intellectum, animam, naturam & materiam*, de quibus copioſe actum fuit in Comment. ſuper textum. *Vitali validaque poteſtate munita*, hoc eſt quod conſtent actione & viribus: omnis enim actio à viribus, & vires ab eſſentia: & ſi vires ſint ab eſſentia, ut à cauſa, quare non etiam à vita ut Entis producto? & ſi à vita, quare non etiam ab intellectu? ab anima? à forma? & à materia? *Quæ ſemina*: & dicit talia Elementa cuſtodire, producere & nutrire ſemina, generationi conſecrata, hoc eſt

est ipsis suppeditando rationes & vires incorporeas seu substantias incompletas, res autem incorporeas voco incorporea corpora & corpora incorporea, quibus explicari debent incorpora, quæ media sunt inter duo extrema, incorporum nempe, quod est completa substantia, & per se stans, & corpus quod per aliud stat, & dicit ista Elementa esse beata, *immutabili quiete:* per immutabilem quietem intelligit internum motum, qualis est in vita, intellectu, anima, ut centro, verum antequam in actum progrediantur, sicut & in aliis Elementis radicalibus æternitatem beatam, & stabilem substantiam æmulantibus quæ ejusmodi motu indigent, ut se implicita conservent, in suo esse, sicut & motu explicito, ut se se prodant rebus extra, per primum motum fovent corpora, hoc est alistantia, suppeditando rationes incorporeas rerum corporearum, & per secundum faciunt progredi causata à causis, ad producenda corpora: *emeritis receptacula concedere*, hoc est quando ex corporibus hactenus productis, per resolutionem fiunt spiritus denuo redeuntes ad causas, ut demonstratum fuerat & demonstrabitur Prop. 18. Articulo de vita. *Et quia loca sunt*, per loca intelligit partem infiniti spatii quam causam esse & incorpoream & ex genere se stantium asserit: in hoc videtur mihi non satis explicare naturam Elementorum Radicalium, quam sæpe per vitam & actum exprimere solet, nam vita non est quid incorporeum, quidquid sentiat vulgaris Philosophia in contrarium; sed aliquid corpori prorsus oppositum: dato enim uno contrariorum in aliquo Entium genere, dari debet & alterum: & datur corpus, dixerit aliquis, igitur dari debet ejus oppositum nempe incorporum (à quo barbaro vocabulo non erit abhorrendum quousque detur aliquod aliud expressioni hujus termini vocabulum magis appropriatum.) *Nequaquam corporum principiorum & seminum:* per corpora intelligit potentiam corporis latentem, sed explicaturam in effectu mediantibus vinculis, ligantibus incorporum & corpus, hoc est, se stantes alistantibus, & producentibus ex istis incorporeis corporibus & corporibus incorporeis: corpora hoc est alistantia per principia intelligit corporum; nempe Principia Hypostatica corporum, ut pote Mercurium seu fluorem, ignem & aerem, corpora nempe incorporea: per semina intelligit incorporea corpora. *Infinita tamen non sunt*, in pluribus locis horum Comentariorum, dictum fuit primum principium increatum, ex fine & infinita potentia, ut ajebat Socrates, produxisse primum Ens creatum, hoc est primum mixtum Metaphysicum, proindè dicit finem terminare in materia, infinitam illam potentiam & inde spacium finitum, pro mundo producendo, constituere: vacua vel inania, intelligit Elementa illa Septem, radicalia: & incor-

incorpora se stantia, quæ corporibus prorsus vacua & inania sunt, quamvis habeant potentiâ rationes incorporeas rerum corporearum, rationes indistantes rerum distantium, rationes immobiles rerum mobilium, & ita intelligenda erunt Severini Dani Elementa.

---

# ENUCLEATIO ANACEPHALEOSIS QUINTI CAPITIS
## De Elementis.

EX Elementorum seu Septem Entium Radicalium doctrina satis innotuit, qualia Elementa intelligat Author noster, cum ea definiat esse loca, matrices & domicilia rerum, ex quibus verbis satis constat, Authorem non intelligere vulgarium Peripateticorum Elementa, sed causas primas conservatrices rerum causatarum, quas aliàs vocat Entia Radicalia: dicuntur Matrices, quia Semina & Seminum rationes à causis proximè fluentes, generationi consecratas, fovent, digestis temporibus suscitant, ad maturitatem promovent, & emeritis receptacula concedunt; per suscitationem seminum, apparet intellexisse authorem & rectè, semina aut seminarias rationes, latuisse prius in suis causis, nempe in Elementis Septem radicalibus, antequam foras promanarent; per promotionem autem seminum ad maturitatem, intelligit progressiones seminum, quasi rerum causatarum, progredientium à suis causis, nempe Elementis radicalibus: & per concessionem receptaculorum emeritis, intelligit reditum rationum seminalium, ut causatarum repetentium per resolutionem suas causas, nempe ad Elementa radicalia, quæ tres conditiones causatarum, manendi, progrediendi, & convertendi ad causam, Geometricé demonstrantur Proposition. 18. Art. de vita, & passim ab omnibus Platonicis præcipuè à subtilissimo Proclo in institutionibus Theologicis, ita ut qui velit ab omni scrupulo hujus doctrinæ liberari, legat Commentaria mea super Elementa Radicalia Authoris, tum etiam quæ à me ibidem scripta sunt de Septem istis Elementis radicalibus, nempe *Ente, essentia, vita, intellectu, anima, natura* seu *spiritu* seu *forma*,

tum de *materia*, quæ totam incorpororum naturam comprehendit, & inveniet nullum esse causatum neque effectum, qui aliam causam paternam & maternam agnoscere possit, quam unum ex illis, *nihil enim potest esse in effectu quod non prius fuit in causa*, ut habetur per Axioma Art. I. de Ente, neque potest esse compositio aut Elementatum quæ non præsupponit rem simplicem antecedentem quæ Elementum dici possit, unde originem sumant: vel per axioma 17. ejusdem articuli, *nam quæ non sunt mixta, priora debent esse mixtis, aut Elementatis, & totum debet esse prius sua parte, & res quæ sunt in se, hoc est, αὐτοπόστατα priores sunt rebus quæ sunt in aliis*, hoc est quam sunt ἑτερόστατα, & quia hæc Entia & Elementa æterna sunt, semper sunt causa illorum, quæ aliquando sunt, seminariæ & harmonicæ, utpote rationes generationi consecratæ: cum igitur constent potentia ex infinitis partibus diversissimæ naturæ & formæ rei generandæ, quis partes istas sub ultima serie corporum contineri contendet? Dato igitur quod ex incorpororum ordine sint, sequetur dari etiam oppositum, unum ex numero contrariorum, nempe corpus: & quia inter contraria nulla est convenientia, incorporum enim cum incorporis societatem tantum habebit, & corpus relicto incorporo, per quod stare potest, corpore cum quo stare non potest conveniret. Oportet igitur ut sit media quædam natura, utpotè quæ cum incorporo communionem habere possit, & erit incòrporeum corpus, & cum corpore, ut sit corpus incorporeum. Et talis est natura Seminum generationi consecratorum, quæ sunt incorporea corpora, hoc est corpora spiritualia, & longius ab origine distantia, qualia sunt tria principia Hypostatica corporum: nullus ergo ita crassè de istis seminibus aut rationibus seminariis judicare debet, ut credat ista semina generationi destinata esse talia semina, qualia sunt nostra siliquis inclusa, sed spiritualiter ista omnia aut sumenda, dando nempe istis seminibus rationes incorporeas rerum corporearum, rationes indistantes rerum distantium, rationes non germinantes seminum germinantium: dico non germinantes, ut ostendam illorum mansionem in causa: proinde Author dicit illorum receptacula aut causas efficientes esse beata immobili quiete, hoc est manere in sua causa, ut se conservent in suo esse: progredi à sua causa, ut aliquando sint quasi effectus illius causæ, quæ semper fuit: reverti post resolutionem in suam causam, ut unitatem suorum exemplorum æmulentur. *Et quia loca sunt*, concludit ex necessitate debere Elementa ista esse incorpora, & proinde à dimensionum legibus absoluta, ut possint tantam corporum, seminum & principiorum corporis multitudinem continere: intelligit in Scientia Architectonica seu

Me-

Mechanica rerum faciendarum, quæ à prima, & ab aliis entibus radicalibus, ante ipsam in naturam seminariam diffusa erant, de qua observatione dignissimum est quod scribit Proclus, commentario primo in Euclidem, *Cunctæ res Mathematicæ, inquit, primum in ipsa anima sunt, & ante numeros numeri, qui per se moventur, & ante apparentes figuras, figuræ vitales, & ante ea quæ concinnata sunt, Harmonicæ rationes, & ante corpora quæ circulariter moventur, invisibiles circuli producti fuere, horumque omnium ubertas ipsa anima est, & iste ornatus alius est qui seipsum producit, & à proprio producitur principio, & vita seipsam explet, & ab opifice absque corpore ac sine dimensione expletur, & quando suas promit rationes, tunc patefacit suas scientias, atque virtutes: his itaque formis anima induit suam essentiam, nec est numerus in ipsa multitudine unitatum existimandus, neque eorum quæ cum dimensione sunt, Ideæ corporaliter sed vitaliter & intelligenter, omnia apparentium numerorum, figurarum, rationum & motuum, exempla sunt supponenda.* In hoc ergo magnitudines, proportiones, figuræ, numeri, colores, sapores, odores, corporaturæ, tum reliquæ signaturæ fundantur, & si in scientia illa continentur, otiosa utique non erunt, sed vitalia, potestate plena, proportiones ordinatas in progressionibus explicantia, docentiaque, pondere, mensura & ordine creata esse omnia: Itaque nihil est in universo quod ordinem effugit, quod non proportione ad harmoniam unitatemque redigatur: & quanquam huic aut alteri dissonum videatur, aliis tamen confestim consonabit: tales consonantiæ in natura singulis momentis absolvuntur, *Semina enim in generationibus ab unitate in essentiam, vitam, mentem, animam*, & *naturam* labentia, partes tanquam numeros, & sonos ordinata progressione producunt, Elementa concreta corporum principia, & numeros, antea in scientia definita constituunt, quæ si consentanea fuerint, harmoniam, mixtionem, proportionem & consonantiam efficient: consonantiam dico, ex tribus debitè confluentibus constantem, scilicet seminali tinctura, corporum principiis, & Elementis concretis. Corporum Principia appello, principia Hypostatica, Mercurium, ignem, & aerem, sale & sulphure vestita, hoc est signaturis suis ordinata: tum Elementa concreta, terram & aquam, principiis illis Hypostaticis consentanea: sed impossibile est ut possim authoris mentem in hoc textu alicui explicare, nisi immense studeat, aut ut legat ea ex Platonicis authoribus, aut quæ in præmissis à me tradita, & illustrata sunt, proinde dicam quam brevibus possum verbis, ut quæ percipi possent acutioribus ingeniis in succincto, tardioribus aliis in ampliori lectione servient. Dicit igitur Elementa siva Entia hæc radicalia, non esse infinita, quia si essent infinita, illorum nulla daretur scientia, & reddit rationem quasi

quaſi diceret, Elementa hæc non ſunt infinita, quia finis vitali virtuti & potentiæ terminos præſcribit, tamen ſub certo numero infinitam iſtam potentiam terminatam comprehendit, quæ continet vera Entia, ut cauſas omnium rerum faciendarum primas, æque bene atque effectus ſive cauſata, quæ ſæpius in hoc genere ad iſtum numerum entium & Elementorum radicalium reducit, nempe ad Septenarium, videlicet ad *Ens*, *eſſentiam*, *vitam*, *intellectum*, *animam*, *naturam* & *materiam*, & in ultimo horum, finis materiæ terminat infinitam potentiam, de quibus apud Proclum inductus eſt Socrates ſæpius de natura mundi differens: dicebat enim ille omnia creata à fine & infinita potentia originem accipiſſe per primum Ens: & hoc ens dividebat in increatum, aut in ens imparticipabile & creatum, ſicut participatum; & conſideratur increatum tanquam incorruptibile, præcedere creatum, quod eſt corruptibile ſecundum 18. Axioma præcognitorum de Ente; & ſicut increatum præcedit creatum, ſic finis & infinita potentia præcedunt mixtum, quod eſt participatum à ſuprema cauſa, ſecundum primam propoſitionem articuli de ente, & omnes omnium rerum perfectiones ſunt in hoc uno, de quo qui velit ulterius informari, legat Art. 5. Comment. hujus Capitis, & fuſius ibi inveniet: Et hoc unum Socrates appellat etiam in Republica Platonis, bonum, & in Parmenide Platonis, appellatur ſolum, unum, & Plato faciebat duo principia, poſt hoc unum, & Socrates in Philebo dicit, quod Deus eſt Fundator & Suſtentator finis, & infiniti, & per horum duorum admiſtionem producit omnia Entia: Sequetur ergo quod omnia poſteriora huic erunt, & à fine, & infinita potentia proveniant: Et quod finitum & infinitum ſint ante Entia: progreſſus enim rerum Divinarum, initium ſuum ſumunt non à rebus ſubordinatis, aut quæ ſunt in alio, ſed ab illis quæ ſunt in ſeipſis, & ſicut unum eſt ante res unitas, *& ſicut multitudo participat unum, per primam:* propoſ. Capitis primi: ſic etiam finis & infinita potentia, tanquam duo Entium principia, ſunt ante communionem & commixtionem cum Entibus, & per ipſa omnes multitudines quæ iſta ſequuntur, ſunt cauſatæ: *oportet enim ut finis* (propter ſimilitudinem rerum ex bono progredientium) *cum ipſemet ſit ante finitum, & ipſum infinitum, ſint ante res quæ infinitæ ſunt*, ſecundum Axioma 32. Art. de Ente: eſt ergo aliquid quod unum eſt ante Ens, & quod ſuſtentat & efficit Ens, & eſt cauſa Entis, & ſecundum quod inter omnes oppoſitiones generis Divini, illa quæ eſt maximè excellens ad finem refertur, & minus ad infinitum, & duorum iſtorum principiorum tertium promanat, quod eſt Ens. Nam ætas, quæ eſt perpetuitas ſæculi, dici poteſt temporis æternitas, quam Plo-

Plotinus definit, quod ſit vita una infinita & ab hoc fine & ab hoc infinito participata; nam in quantum eſt æuum menſura facultatis, nunquam in actione ſua fallentis, nec deficientis in ea participans eſt infinitatis, ſed & inquantum intellectus eſt uniformis & integra, continens menſuras Paradigmaticas, aut exemplares, demonſtrando res per plurimorum Exemplarium congeriem, eſt ſoboles ipſius finis; ſed in quantum hoc æuum omnia ab æternitate deducit, viam æternitatis demonſtrat. Eodem pacto in rebus naturalibus, *res quoque per formam eſt ſimilis fini, & per materiam infinitati*, juxta Axioma 15. præcognitorum Entis, etiam habebitur pro certo, quod omnis multitudo ſecundum ſuam naturam ſit infinita, & ſoboles primi infiniti: idem poteſt dici de anima per quam menſuratur vita, per aliquam periodum & reditum temporis in ſtatum, in quo erat ante, & ſic terminum adfert in ſuum motum, & ad cauſam finalem reducit: ſed in quantum eſt in motu perpetuo, reducitur ad unum infinitum, non enim abſque ratione dixit Socrates, quod omnia Entia originem à fine, & infinito ſumebant. Et Duo illa principia directè proveniunt à Deo ipſo, cogit enim, accumulat, & terminat infinitam potentiam per finem in materia, in ordine enim materiæ finis terminat infinitam potentiam, & in hac magnitudines, proportiones, figuræ, numeri, colores, ſapores, corporaturæ, pro ſeminibus & Elementis & compoſitis fundari poſſint, & ut quæ hic inſinuata ſunt, Harmonicis rationibus multifariarum cauſarum, è ſuperioribus effuſarum, rerum reſpondeant: Itaque materia nihil aliud eſt quam continuatio diverſarum partium productarum, per gradus ab Harmonicis rationibus cauſarum præcedentium, & æquum eſt cum materia ultimus ſit effectus, & maximè terminatus ſit, & inter omnes ordines qui habeant originem à ſupremo mixto, à fine & infinita potentia productus, æquum eſt ut omne in ſuo ordine repreſentet, & participationem ſummi illius Numinis habeat, ut quot ſint in ſuprema cauſa, & aliis ſub ordinatis, rationes incorpororum & corporearum, tot ſint in ultimo effectu, ſeu cauſato, nempè materia, effectus, ſive materiæ corporeæ & rerum corporearum imagines; nec abhorrendum ab hoc vocabulo incorporo tanquam barbaro, ſicut delicatulis accidere ſolet, qui amicum, aut bonum ſenſum potius amittere velint, quam verbum ſine quo natura corporis explicari non poteſt: nam ſicut ædificator antequam domum aut murum condat, aut ſicut typographus rationes aut voces depictas habeat; primò in animo formas exemplares rerum condendarum aut rationum depingendarum, antequam murum condat, aut orationem exprimat; ſic prima materia continet in ſe materiam

adaptatam & figuratam, hoc est Harmonicas rationes primarum causarum pro condendis omnibus mixtis Physicis pro rerum compositione ordinatis: Intimus autem Archeus istarum formarum, qui partibus istius materiæ utitur, est Spiritus, forma, seu natura universalis mundi, qui & materiam ex sua Hiparxi produxit, & formam etiam largitur: formam inquam quæ prius habebat, à participatione animæ, anima à participatione intellectus, intellectus à participatione vitæ, vita à participatione essentiæ, & Essentia per participationem Entis, seu primi mixti Metaphysici, quam habuit à fine & infinita essentia, quæ prodierunt ex paterno profundo, ad representandum universi mundi opificium visibile & invisibile productum, quod & contestatur Apostolus quando dixit: *Omnia per ipsum creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant*; de filio intelligens *qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia ab ipso condita sunt universa, in cælis & in terra, visibilia & invisibilia*, quæ diximus fuisse unitates, vitas, essentias, mentes, quæ omnibus istis comprehenduntur, quæ subnectit, *sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive potestates*, qui omnes sunt ordines Angelorum, & per hos quæ hic participia fiunt, extra profundum, in cælis & in terra visibilia jam facta, sive essentiis, sive viribus, sive actionibus *animæ, vitæ, naturæ, formæ & corporis respondeant*: æquè omnium illorum participia sunt à principio facto, & inde veniunt & dependent, atque ideo verissimè ab Apostolo dictum, *invisibilia ipsius à creatura mundi per ea quæ facta sunt, in intellectu conspiciuntur*, esse autem inter hæc invisibilia & hæc alia quæ facta sunt visibilia, communionem, & hæc ab illis continua catena pendere, & ratio Philosophica persuadet, natura non saltante, nec vacuum relinquente, & authoritas Apostoli confirmat, dum quæ fide ipse intellexerit, scribit in hæc verba, *fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus fierent visibilia*, verbo Dei ac Filio unitate illa per quem omnia sunt, & ordine disposita sæcula, & quæcunque in sæculis, hoc est in sempiternitatis ævo invisibilia, ut scilicet ab illis fierent hæc, & ab iis per participationem & continuatam communionem, & Sympathiam, hæc penderent & foverentur, & vivificarentur, ut in sua quæque specie generent & germinent, & omnia essent: & hæc sunt duo Principia Entium, quæ immediatè promanant ex uno, & sic juxta Regulas Philosophiæ Platonis: Sed nunc determinandum est de iis, quæ spectant ad duo ista Elementa, scilicet finitum & infinitum, & ratiocinandum erit sicut in Physica vulgari, quod quemadmodum combinationes Elementorum concretorum componunt mixta Physica, sic in compositione Metaphysica finitum & infinitum componunt

nunt Ens, quod eſt compoſitum Metaphyſicum: Si enim finitum ſit ipſe finis Entium, ita etiam debet eſſe entium infinitas, & entia talia ſunt, quæ ſubſiſtant, & ab iis duobus ſunt compoſita, ſed compoſita aliquo pacto dici poſſunt mixta, & omnia mixta ſecundum Socratem debent ſecundum veram naturam mixtorum eſſe, ſcilicet pulchra, vera, & ſymmetrica; deforme enim nunquam exprimere poteſt veram mixtorum rationem, cum ſit cauſa peccati & deſiderii inordinati, amoris plurium rerum, tendentium ad ejus compoſitionem, & veritas nunquam niſi quæ vera ſunt, ad mixti naturam convertere ſinit, imagines mixti ſemper removens: habere ſymmetriam debet, quia ſine ea non poſſit eſſe vera communio Elementorũ. Ergo eſt Symmetria cauſa, quod mixta ſint vera Entia, pulchritudo, ut mixta exprimant veram mixtorum rationem, Symmetrica ut ſint ordinata & regulata. Dicitur igitur Ens in ſe continere multitudinem veram pulchram & Symmetriam, & per conſequens multitudo illa continebit in ſe diverſiſſimas, imo & infinitas partes, & infiniti germina, à fine limitata, in quibus quaſi in materia prima Metaphyſica, omnes materiæ educuntur: quid autem ſit finis & infinitum, reperitur in præcognitis Entis, & dicitur finis illud quod & actionem & contemplationem cauſat, per quam omnia operantur, & prima omnium cauſarum eſt cauſa, & omnes illæ cauſæ, ab illo eſſe cauſas habent, conſiſtit in unitate, & unitatem repreſentat, & eſſentiam Divinam; Infinitum enim plus eſt in re minimè terminata: aut quæ limitibus caret, proprium eſt ejus emanationes facere, quæ fiunt quatuor modis, virtute, natura, actione & perſeverantia, & per has omnis multitudo dici poteſt infinita, & quaſi primi infiniti germen, & ſicut indefeſſa & perpetua reiteratio facultatis generatricis, & multitudini unitæ correſpondet, ſic finitum unitatem repreſentat; & ex his fit mixtum, & quod primo mixtum eſt, primo Ens eſt, & locus ubi eſt illud Ens, ſeu primum mixtum, interdum vocatur eſſentia, & interdum campus veritatis, interdum lumen intellectuale, alimentum Deorum, & intellectus cognitionis, & eſſentiæ ejus proviſor. Campus veritatis eſt ubi explicatio aut demonſtratio luminis intellectualis fit, ubi habitat Dea Adraſtæa, quæ menſuras animabus vitæ innocentis determinat, aut res cui obediunt; eam Orpheus appellat Deorum cuſtodem, qui ſumens claves aureas, cum cymbalo & timpano ex pelle hircino ſonans, tantum edit ſtrepitum, ut omnes Dii ſe ad illam vertant: per lumen intellectuale intelliguntur vera Entia, Dea Adraſtæa eſt Dea veritatis & juſtitiæ, extra quam ſunt effectus verarum cauſarum, quæ dicuntur imagines entium, quæ per converſionem effectuum,

ad ſuas cauſas, cauſâ indolem rerum ſuſcipiunt: mira hic perſpicitur veterum Philoſophorum ſagacitas, & mirum quomodo potuerant luce naturæ addiſcere aliquid de Cœlo Empireo quod illi campum veritatis appellabant, & ipſe Divus Auguſtinus Capite 28. ſoliloquij explicat campum illorum veritatis, qui profectò cum ejus verbis quadrat, ubi mentionem facit *de luce antiquiſſima quæ ante omnem lucebat lucem, in montibus Sanctis, æternitatis antiquæ, cui nuda & aperta fuerant omnia, antequam fierent*, non poterant aliunde hæc iſtis Philoſophis venire, quam quæ ex Ægyptiorum ſcholis acceperunt illi, qui forſan ante Moyſen, per plura annorum millia vixerunt, ut à Zoroaſtro Abrahami coævo, & qui ſimul in Zur Chaldæorum vixerunt, aut à recentioribus, qui à Sacris literis, aut Hiſtoria Moſaica, quas illi in fabularum involucris populo denuntiabant, ſed ſenſum internum retinebant: nunc àutem redeamus ad propoſitum.

## *Vacua vel inania ſunt ſimili propemodum providentia.*

VAcui ſeu ſpatij eſſentia hoc in loco ſatis commodò occurrit illuſtranda, nam ſunt in priori textu Anacephaleoſeos, quid non fuerunt Elementa, in hoc textu autem oſtendit, quid ſint, & dicit eſſe vacua & inania: vacuum autem quid eſt, niſi eſſentiale ſpatij? ſicut plenitudo ejus ſpatio etiam accidens eſt, & illud accidens quod primo ſpacium implevit; lux & aliæ Seminariæ rationes, virtute verbi ſpacio compoſitæ erant, & Philo Judæus de Mundi opificio, vacuum illud abyſſum profundiſſimam & dehiſcens potentiſſimum vocavit, & Moyſes in initio Geneſeos dicit, Deum creaſſe Cœlum & Terras, & Terram nobis depingit inanem, quaſi omni actu ſenſibili carentem, & nihil fuiſſe præterquam levem & inpalpabilem pulverem, & ita interpretanturmulti Rabini: vacuum præterea dixit, ut ſpatij eſſentiam deſignaret, eſt enim vacuitas ſpacij eſſentia, ſicut plenitudo ejuſdem accidens; & quia non fuerant producta corpora, non poterunt adhuc in tali ſpacio fuiſſe accidentia, Cathegorica enim corpora præcedunt accidentia; ſicut locus corpora, & locum præcedit ſpatium, eſt enim locus parvum ſpatium, & ſpatium magnus locus, & ita Philo Judæus ſpatium determinat, & jam per locum deſcripſit libro de inſomniis, ubi agit locum eſſe ſpatium corporibus replendum, & locum illum verbum Dei vocat, imo Dei Filium, quem Deus ipſe totum explevit incorporeis poten-

potentiis rerum faciendarum: Terra ergo illa juxta Philonem, non fuit Terra nostra corporea, sed Mystica, & spatium nempe infinitum, in quo corporea nostra Terra inde futura collocari debuit; quod patet ex sequenti versu, ubi dicitur, & spiritus Domini ferebatur super aquas: vacuum autem vocat Philo, abyssum profundissimam, alij aquarum abyssum, propter infinitæ potentiæ indesinentes vires, continuo his aquis incumbentes, & luce primæva, sicut pullo primo spatium primum replentes. Et hoc spatium à Lucretio, Libro primo de rerum natura, egregiè depingitur: ubi de Epicuri Philosophi Atheniensis laudibus multum digreditur, quem gravem hominem nominat, & quod primus fuerit, qui impietatem suam, contra Cœlum & Religionem vomere audebat: dum victorem vocat, quod animos hominum, religione oppressos, à metu & terroribus vindicaret, dum naturam rerum à primo insensibilium nempe spatio, usque ad ultimum nempe sensibilia expanderet.

Sed utinam veræ Religionis prætentio, tot Regna, gentes & plebeios non fascinaret, impacatis, seditiosis, tumultuosis & novæ gubernationis cupidis tot occasiones rebellandi contra Reges & Regna à Deo datos, & Principatus evertendi, & in confusionem & Anarchiam reducendi, tam speciosæ occasiones non darentur: horret animus à recordatione criminum quæ nuper sub specie Religionis religiosissimo omnium, ne dicam Magnæ Britanniæ Regi, sed hominum piissimo objiciebantur, & qui ipsi vitam à subditis suis quibusdam seditiosis & rebellibus, contra omne jus, pietatem & religionem, toto Mundo contemplante eripuerunt, totamque suam familiam jam à centum & sex Regibus continuè succedentem, Regno & hæreditate propria detestabili, scelerato & abominabili exemplo depriva-verint, & quod magis tremendum est, videmus istas occasiones tam bonarum quam pravarum religionum non esse novas, nam in alio loco refert Lucretius.

——————*Sæpius olim,*
*Religio peperit scelerosa atque impia facta.*

Sed non quod ulla bona religio tales effectus producit, sed quod sceleratos homines velo bonę religionis larvati, talibus abblandimentis insanam plebem seducant; sed ut ad Lucretij digressionem de Epicuro redeam, dicit, *Primum Grajus homo, mortales addere contra*
*Est oculos ausus,*

Deinde lineis aliquot interjectis, laudat Epicuri ingenium, quo gregem su-

um à gravi oppreſſione religionis, quæ vitam humanam opprimebat, liberaverat. Sed revera deſtruendo religionem; humanum animum, ſub Sathanæ æterna captivitate, deprimebat & ſocietatem humanam, quæ magis à Religione quam à legibus ipſis promovetur, in integrum deſtruit, & quam ille vividam animæ vim vocabat, ego inſignem & fugiendam ſtupiditatem, inſaniam & effrenam libertatem appello.

*Ergo invida vis animi*
*Pervicit longe flammantia mænia Mundi,*
*Atque omne immenſam peragravit mente animoque,*
*Unde refert nobis victor, quid poſſit oriri.*

Ex quibus verbis omne immenſum oſtendit doctrinam de ſpatio tam infinito quam finito non fuiſſe veteribus ignotum: nam diſtinguit Τοπᾶν hoc omne immenſam à Ωπᾶν, Mundo per omne enim immenſum intelligit ſpatium finitum ſeu in finito finitum, nempe infiniti ſpacij concavum, finiti ſpatij connexum complectens: per verba autem illa, mænia Mundi flagrantia, intelligit Mundum noſtrum finitum, à flagrantibus terminis ſpatij infiniti, id eſt Mundi Empirei terminatum, & contentum, & tale ſpatium intelligit Moyſes, quando vocat ſpatium illud, Terram inanem & vacuam, jam ab infinito ſpatio conſtructam, & pro Mundo corporeo deſignatam, & ex inveſtigatione naturæ horum duorum ſpatiorum, Epicurum victorem vocat, quia refert quod inde poſſit naſci, quid non poſſit, qua ratione ſuus cuique rei finis fuit conſtitutus, & terminus immotus, ſtabilis, æternus, ut hominum animos à terroribus & metu liberet, ſed revera fallebatur Epicurus æque ac Lucretius, illa enim cognitio quæ ad religionem ſpectat, tum ad fundamenta rerum ſupernaturalium, à cognitione earum, quæ à ſpatio finito ad ſenſus rerum deſcendunt, nullo pacto dependet, ſed ſupra ſpatium finitum in campo veritatis, hoc eſt, in ſpatio infinito ſunt, ubi eſt illud primo mixtum, ubi non ſunt corpora, ſed lumen nempe intellectuale, alimentum Deorum, ubi eſt explicatio & demonſtratio luminis intellectualis. Ubi ſunt Elementa eſſentialia & radicalia, & ibi erant ſupra naturam, mandatum aut juſſum Dei exſpectantia, in Deo ipſo & ſpatio infinito, ſuæ complacentię, & ibi agebant quæ tunc voluerat Deus, veriori & certiori ratione quam hic in natura, quæ ita ſe habere debet, ut ſint talia, qualia fieri juſſa fuerunt, & talia agant qualia agere juſſa fuerunt: & ſi ſatis extra mænia Mundi flagrantia progreſſus fuiſſet, Epicurus Religionem, pietatem & bonos mores, in campo veritatis

tis procul dubio didiciſſet. Dum dicit igitur noſter author, Elementa eſſe vacua, non intelligit Elementa concreta, ſed radicalia, quæ corporibus non egent, quia ſunt αὐτυπόστατα, & in ſpatio ſunt infinito, juſſa Dei exſpectantia, concreta enim, non vacua, ſed corporibus & ſpiritibus ſcaturientia, & quia ſunt ἐπροστατα & ab Hypoſtaticis dependentia, plena dicenda ſunt, & juſſa Dei in rerum generatione proſequentia, ſed quia omnia quæ de ſpacio dici poterant, à me prius Capite de Elementis & ſpatio amplè deſcripta fuere, hic pauca duntaxat quæ ad vacui naturam explicandam attinet, addam, dicendo, ſpacium eſſe principium ſui ordinis, nam ſicut Ens increatum Principium eſt omnium Creatorum, ſic ſpatium infinitum finiti ſpatij principium eſt: ita non malè à Divino Platone appropriatur principio, quoniam infiniti videlicet ſpatij perfectio à ſolo Deo dependet: itaque dicit Ariſtoteles loci naturam mirabilem eſſe, nam ipſo omnia egent, ipſum autem nullo indiget: imaginemur enim arborem, aut plantam è terra germinantem, quomodo creſceret niſi locum haberet, ubi ſe reciperet? & locus ita dicitur, quia in eo non ſolum corpora continentur, ſed etiam formæ, quæ corporibus per trinam dimenſionem extenduntur, quis enim non videt qualitates accidentales, imo eſſentiales quales ſunt vitæ & animæ ſenſitivæ, per corporis organa diſtributas, nonne pari ratione ſentiendum erit, iſtas qualitates & corpora, eſſe in loco aliquo? nam ſi in nullo ſunt loco, non exiſtunt, & ſi non exiſtunt, nihil ſunt, & ſi nihil ſunt, nec ſunt animæ, nec naturæ, nec formæ, nec qualitates, nec corpus, & ſi iſta non ſunt, nec erit Mundus, nec Ens aliquod extra divinitatem, ſed aſſerere iſta erit contra rationem & ſenſum communem ratiocinari: ſi igitur ſunt, oportet ut ſint in aliquo loco, & dicitur locus, quoniam locus primo ſeipſum & deinde corpora continet: oportet igitur ut antequam locus aliquis concipi poſſit, ut concipiatur pars ſpatij integri, cujus ipſe locus pars ſpatij integri erit, & quia pars & totum ſunt coætanea, ſpatium univerſale concipi debet ante locum, juxta naturæ ordinem: ſimiliter ſi locus & vacuum idem ſunt, & vacuum per naturam & intellectum, præcedit plenum, & locus quatenus locus, plenus eſſe debet: vacuum igitur ante locum concipi debet, ſed proprietas ſpacij eſt eſſe vacuum, ſpatium igitur & natura, & tempore præcedit locum, qui ſpatij etiam ſoboles eſt. Jam autem ut melius naturam vacui cognoſcamus, utile erit ſcire quid ſit ſpatium, vel ſubſtantia, vel accidens, vel qualitas, vel quantitas, & dico cum Mundum præcedat, ut ſit extra Mundum, nihil eſſe rerum mundanarum præter

ejus

ejus partem, quæ Mundum capit: & proinde res alia erit à mundo diversa, Mundus enim corpus, ſpatium non eſt, corpus proinde in nulla Cathegoriarum continetur, ſi vero ſubſtantia, nec accidens erit Hypoſtaſis, Diaſtema, exſtaſis, Diaſtaſis, eſſentia, capedo, intervallum, ergo quantitas & accidens, ergo & accidens ante ſubſtantiam, & corpus, imo quæ ibi eſt ſubſtantia & accidens, ſpatio ſunt accidentia. Sic vacuitas ſpatio eſt eſſentia, ſicut ejus plenitudo accidens, igitur aliter de ſpatio quam ex Cathegoriis Philoſophandum: ſpatium ergo eſt extenſio Hypoſtatica, per ſe ſubſtans, nulli inhærens, non eſt quantitas, & ſi ſit, non eſt illa Cathegoriarum, ſed ante illam, ejuſque origo, nec cuiquam accidit ſubſtantiæ, nam ſi ſubſtantia eſt quę per ſe ſtat, ſpacium maximè omnium erit ſubſtantia, per ſe enim ſubſtat, nec nulli innititur ſubſtantiæ, ſed ipſis aliis ſubſtantiis ſuſtentationem præbet, & ut ſint ſuſtentat, ſi ſubſtantia eſt, quæ per ſe exiſtit; ſi ſubſtantia eſt quæ nulla re alia eget, tale eſt ſpatium; ſi ſubſtantia eſt, quæ nulla aliena eget ope, ſpatium maximè tale eſt: Nam illud aliorum ope non eget. Si ſubſtantia primum omnium Entium ſit, ſpatium maximè erit ſubſtantia, ex quibus patet ſpatium maximè eſſe ſubſtantiam, ſed non Cathegoriarum, ſed ſupra Cathegorias, & neque corpus eſt, neque incorporea ſubſtantia, ſed medium quid, non enim incorporeum, quia trinè dimetitur, ſed corpus incorporeum eſt; & incorporum corpus, & ita utrumque ſubſtans & per ſe exiſtens, per ſe & in ſe ſtat, nec unquam movetur, neque eſſentiam, nec locum mutat, & neque toto nec partibus movet, eſt ergo immotum & immobile: partes habet duas, unam quæ Mundo plena eſt, alteram quæ Mundo vacua eſt, tamen totum ex his partibus conflatum minimè dici poteſt, nam totum conſtat partibus finitis, quibus totum finitum eſſe neceſſe eſt, ut ſpatio Mundo plenum conſtat partibus finitis & infinitis, quatenus contiguum finito finitum eſt, & extra extenditur. In reliquo textu dicit ſimiliter author, quod talia qualia ille intelligit Elementa, debent eſſe vacua, & inania corporibus, quia aliter propter corporum commercia, ſeminum & rationum inæqualis eſſet receptio, & minus ſincera repreſentatio. Ubi notandum diſcrimen hic inter ſemina & rationes, ſeminarias adferri rationes, enim Seminariæ ſunt in ſcientia, quæ eſt in cauſa, ſemen vero eſt in ſcibili, hoc eſt in effectu. Itaque diſcrimen eſt in prioritate ordinis, ubi animadvertendum, quod ſupra poſitum fuerat, pro fundamento, Elementa radicalia fuiſſe dimenſionum legibus abſoluta, & reddit rationem, quia alioquin

ſemi-

ſeminum, Principiorum & corporum tantam multitudinem, non tam facilè reciperent, quam quidem multitudinem intelligit fieri in ſcientia Architectonica, ſeu Mechanica rerum faciendarum, quæ ab anima & aliis Entibus radicalibus ante animam nempe *ab intellectu, vita & eſſentia in naturam Seminariam diffuſa fuerant*, & per aliorum rationes intelligit iſtam multitudinem, nempe Seminum & principiorum corporis, in ſcientia infinita, & indeficiente; in ſcientia inquam; quæ quando ſuas promit rationes, in potentia latentes, tunc patefacit ſuas ſcientias; hoc eſt quando rationes ſeminariæ fuerant ſtabilitæ, & virtutes *in eſſentia, vita, intellectu, anima, materia ſeu forma* diffuſæ, tunc eas in materia terminat, ut ex figuris & formis vitalibus infinitum ſpatium occupantibus, apparentes figuræ, & formæ, & ex non germinantibus, ſemina germinantia, & ex inviſibilibus viſibiles, & ex indiſtantibus diſtantes, & ex incorporeis rebus corpora, ex principiis principiata, & ex rationibus ſeminariis ſemina ipſa corpora produci poſſint, quæ aliàs ſi à corporibus vacua non eſſent, loca illa, unde ſcientia illa promit ſuas actiones, tunc exemplata juxta tenorem exemplorum, imitamina juxta illorum Paradigmaticas rationes, nunquam repreſentarentur: neque aliquem offendere debet, ſi in variis hujus authoris locis, Elementi nomen varietur, rerum enim fæcunditati nomina obedire æquum eſt, nam ſunt & propria Elementa, & Principia ab univerſalium Elementorum fructibus fomenta, aſſiduè haurientia. Sæpius etiam author hic mentionem facit Elementorum ſuperioris & inferioris globi: ſuperiora vocat firmamentum, quod pro Elemento deſignat ignis & aëris. Sæpius etiam caput, cor, pulmones, aſperam arteriam, diaphragma, arterias, ſpiritus vitales, Elementa vocat, quas partes actionibus Elementorum ſuperioris globi inſervire ait. Elementa inferioris globi vocat Terram & Aquam, & ait ventriculum, hepar, lienem, æſophagum, inteſtina, meſaraicas venas, renes, veſciculum fellis, venas itidem & ſanguinem, eſſe particularia Elementa, actionibus Elementorum inferioris globi inſervientia: ſic etiam concreta Elementa Mercurium ſeu fluorem, pro principio Hypoſtatico ſalem & ſulphur, pro corporibus Hypoſtaticis & Elementis conſtituunt.

*Sphæra ſeu Tabula Entium ſeu Elementorum radicalium, primarum cauſarum originem, ordinem, naturam, & in iis cauſatarum manſionem, nempe in cauſa, à cauſa progreſſum, & converſionem denuo ad cauſam apodecticè, Analogicè, tum Topicè explicans.*

Ex præmissis inducebatur Socrates sæpius de natura Mundi disserens, & mentionem finis & infinitæ potentiæ faciens, unde omnia creata originem ducebant per primum Ens, & hoc primum increatum intelligebant unum primum, bonum, & verum, & quia bonum fæcundum erat, & quia fæcundum producere debebat, vel potius emanationem facere, & emanatio significat mansionem in se, & progressionem in aliud, mansit igitur in se antequam transierat in aliud; mansit igitur, non mansit, manere autem & movere differunt, sed differentiam istam solvit ingeniosus Proclus Cap. 29. institutionum Theologicarum, quæ sunt, dicit, conjuncta in prima causa, distincta sunt in secunda, distinctiora in inferioribus. Parmenidas hujus rei causam reddit, nam ait omne quod in se est, dualitatem præsupponit, unum enim in se debet esse antequam esse in alio consideretur; & esse in alio & esse in se, est quasi esse divisum & distinctum à se, sed dualitas ista abscondita est in prima causa, ut distincta in inferioribus videatur, diversitas enim quid est nisi progenies dualitatis? Nam omnia Entia quo notiora eo magis in eorum unitate recolligunt, quæ minus perfecta dispergunt; & ad extra in multiplicitate producunt; mansit igitur hoc primum ens in se, & ex ubertate finis & infinitæ suæ potentiæ, extra se proruit, & secundum Ens quod mixtum dicitur Metaphysicum, aut produxit Ens creatum: hoc autem (ut Christiano more loquar) nihil aliud est quam Mundus ex virtute & potentia Dei, quæ verbum Dei ipsum est, & Filius in natura, virtute, inquam, verbi explicantis unitam multitudinem: nam haud citius apparuit quam dissentanearum rerum separatione, & consentanearum aptatione, exemplarem & continuam generationis seu potius productionis imaginem præ se tulit, nam cum unius rei natura, ut officiis satis facere non potuerat, admiranda creatoris providentia, inventa est renovatio, quæ quidem tota in mansione, progressione, & conversione causatarum ad causas adumbratur. Per mansionem denotatur unitas, cujus fundamentum & radix in Ente increato consistit, & per progressionem multiplicitatas & diversitas; & per conversionem inexhaustæ Entis creati progressiones, & in unitatem denuo reflexio, conversio denotatur, & hæc rerum novatio entis species, seu gradus diversos nobis ostendunt, creatum nempe primam rerum omnium creatarum post se causam, & centrum, verùm Ens circulariter circa se vertens, & sibi similia producens, altereitate, qua per progressum à primo Ente nanciscitur, duntaxat differens, quæ non subjecto, sed facultatibus, hoc est potentiâ,

motu

motu actuque stabili distinguuntur; motu tamen non tam inter se quidem differente, cum circulari motu circa seipsa reflectantur: sed quia ab originalium motuum stabilitate & vero conversionis motu deficere parum, & ab Ente activo in passivum delabi, paulatim in ultimis ordinibus censeantur; dico motu, potentia, actu, passione distingui, quia in primis ordinibus propter specierum producendarum abundantiam, creati entis species coarctatæ, latius per motum ad extra effervescere incipiunt, & per effervescentias, quæ in unitatis primi Entis creati sinu reconditæ fuere, species, quasi faces quædam & immortales naturæ parentes, spatium & lumen per inferiora spargere & extra se diffundere, motu cogebuntur, tum quia, cum ad specierum inferiorum productionem, in unitate, ut primo Ente creato reconditæ fuerant, istæ species. non nisi motu inde dilabi & primorum ordinum stabilitate movere & deflectere concipi poterant actu; quia actus distinctionis specierum in primis ordinibus intentior est, & in ultimis remissior, passione vero in ultimis potentior, quia quantum prævaluit actio in primis ordinibus, tantum passio in ultimis defectum & inertiam ultimorum ordinum testatur, & ita in primis ordinibus exemplaria, Ideæ & species, quæ ad causæ agentis rationem propius accedebant, in ultimis circa materiam, ad imaginis conditionem propius spectare concipiuntur. Unde primus & ultimus radicalium entium ordo, erunt correlativa; & cum exemplar, imaginis exemplar sit, imago autem, exemplaris imago sit, itaque species supremæ in rerum imaginibus, similitudine quadam, quasi per appetitum vellicantur, & per hunc appetitum (qui species est motus) ad excitamenti principium, quasi per amorem denuo attolluntur, unde meritò infimæ species, supremarum esse obstetrices causas, supremæ vero inferiorum loca, matrices, promptuaria & domicilia, dici possunt; de hoc appetitu aut amore, qui velit scientificè instrui, legat Platonis convivium, à Marsilio Ficino commentatum, Leonem Hebræum, Fracastoreum, de amore Physices seu animæ & cupidinis seu intellectus, tum Apuleum lib. 4, 5 & 6. de Asino Aureo, & si tanto quid inferius est, tanto minus agat, & magis patitur, corpus superficie ignobilior erit: superficies lineæ cedet, linea puncto, punctum unitati, quæ neque dimensionibus nec situ indiget, sed sola in se lucet; proinde Ens hoc creatum omnes aliorum circulorum circa se formas, unico & stabili semper actu concipit, paritque intus & inspicit: & quam vis primum hoc ens, juxta similitudinis rationem, quam ab opifice prima causa, nempe Ente increato, (cujus

germen exiſtit) primum aſſequuta eſt, impartibilis & inſenſibilis judicetur; tamen Phantaſia noſtra quæ per imaginaria ſimulacra, aut cauſata rerum exemplaria & cauſas primas diviſibilium more, in diverſos ordines, non tam eſſentia quam actionum & paſſionum gradibus differentes diſtinguit, primo in ſeptem ordines verorum & radicalium Entium, quorum illa quæ fonti & origini magis adhærent, actioni, quæ longius recedunt, paſſioni magis obnoxia erunt, & plus vel minus radicalia, juxta mediatam aut immediatam à primo Ente progreſſionem, judicantur, & ſicut primum Ens radicale debet eſſe maximè inter entia radicalia activum, quia proximè ab omnium rerum increato principio, per creationem proceſſit, ita materia quæ omnium longiſſimè à primi Entis creati natura in altereitatem cadit, maximè paſſivum æſtimabitur, ita dato uno extremorum, in genere Entium, ut eſt Ens primo creatum, quod maximè activum eſt, dabitur & alterum extremum, maximè paſſivum nempe prima materia, & illius nempe maximi Entis activi, actio ſtabilis eſſe debet, & verè ſtabilis dici poteſt, quia primò propter circularem ſuum motum qui infinitati aſſimilatur, proximè accedit, tum quia ad Ens increatum quod ſemper ſtat accedit & circa ſe volvitur, & ſolidos circulos ſeu potius orbes circum, & ex infinita potentia ducit, & ex iis quę à ſeipſo novit, ſimilitudines actione ſua retinet & connectit, diſſonantia, diffuſa, inordinata, in ordinem & conſonantiam, quaſi in orbem abſolutiſſimum redigit, & omnia hæc inferiora quodammodo ex exemplaribus compoſita, non tanquam partibus (eſt enim incorporum) ſed principiis, ab infinita potentia fluentibus cogit, non ſecus atque corpus à puncto naſcitur; per productionem primo linealem, deinde à longitudine in latitudinem atque profunditatem; nam ſicut altitudo ſive profunditas & lineam & ſuperficiem in ſe actu continet, ita vice verſa, hoc creatum, aut primum mixtum Metaphyſicum, quamvis incorporum, omnia corpora ſeu potius rationes incorporeas rerum corporearum & incorpororum in ſe continet, & ex ſpeciebus ſtabilibus fugaces inde producens, ſtabilitatem cum fugacitate, actum cum paſſione miſcet, & contemperat: & ita extremorum omnium judicem ſimulatque arbitrum præſtat, proinde omnes formas unico & ſtabili ſemper actu concipit, paritque intus & inſpicit, & prolem prius penes ſeipſum generat, quam ſeorſim, & quanto præſtantior eſt productor, eo præſtantiorem ſibi producere fætum neceſſe erit; quem eſſentiam quaſi Palladem è Jovis cerebro natum rectè nominare poſſumus. Sic fætus hic Entis, ut cau-

ſæ

ſæ ſuæ æmulus, ſimilem quoque conceptum & partum affectat; quem vitam quaſi effervеſcentiam eſſentiæ, & actionum proximum originem rectè nominare debemus; hæc etiam ſimilem ſibi partum profert, quem intellectum rectè nominare debemus; qui eſt rerum cognoſcentiam ab eſſentiæ & vitæ progreſſione effervеſcentia, quam cognitionis fontem ſtatuebant veteres, quid enim eſt cognitio quam *coitus cauſati cum cauſa*, ut non ſolum ſeſe in cauſa cognoſcat, ſed etiam ut emanationis cauſam addiſcat, & ex iſto coitu naſcitur anima, quæ & ſtabilis ſimul & mobilis, eſt ſtabilis ab intellectu ſtabili, qui ſtabilia & vera dictamina ipſi indeficienter ſuppeditat, & intus inſinuat, ſed quum à ſtabilitatis exemplari, quod per motum perficit, & ad extra producit, multum declinet, inſtabilis cenſetur, nam ſeipſum, deinde corpora ex ſe, & à cauſis antecedentibus producta movet, hæc etiam cauſarum ſuarum æmula, animæ ſimilem, & diſſimilem ſibi fætum producit, quem ſpiritum, formam ſeu naturam, rectè nominare poſſumus: hæc cum à cauſis ſuis intimis longius deficiat, actu debilitato, paſſione vero prævalente, abortivum potius quam verum fætum producit, materiam nempe corporum, per infinitæ potentiæ ſuarum cauſarum participationem terminatam. Sed ut horum verorum Entium, ſeu Radicalium Elementorum, mutuam habeamus colligantiam, ſciendum erit, Ens creatum à ſuperfluente bonitate quam à ſummo bono, aut ente increato acceperat, in alia inferiora naturarum genera fluxiſſe, paulatim per gradus, à perfectiſſimis naturis per imperfectiores ad imperfectiſſimos, & actu fere omni carentes, deflexiſſe, & denuo in materiam primam quæ penè nihil eſſe videtur, delapſum fuiſſe: hinc in primo ente creato ſeu mixto primo Methaphyſico, primum colligimus actum abſolutum, verum & ſupereminens, in ejus prole eſſentia, actum paulo ſubordinatum, in vita actum participatum, in intellectu actum participantem, in anima actum mutabilem, in natura actum terminantem, & in materia terminatum; ita quantum primum Ens actione ſua ſuis productis præeminet, ſic materia ultimum verorum entium, tantum paſſione, à verorum entium ordine & dignitate deficit, & in ſtatum partitioni magis obnoxium, dilabitur: ſic vera entia ſunt exempla ſimulacris priora, ſic priora æſtimantur poſteriorum exempla, ſunt autem exempla formæ immateriatæ materiatarum, & illæ quæ mente concipiuntur illarum quæ ſenſu ſentiuntur, & quæ à materia ſeparatæ ſunt naturalium formarum exempla ſunt, & ſicut exempla præcedere debent exemplata, ſic & incorporum præcedere debet incor-

poreum, & esse incorporeum esse quantum, itaque necesse fuit ad septem ista Elementa seu Entia radicalia extra se progressura triplices decepisse Phænomenum rationes, quasi mensuras, tum ad corporeitatem, quæ in secundo ordine seminario accidere per progressionem debebat, tum ad principia ipsa & corpora Hypostatica, tum concreta Elementa quasi futuri status præcursores, locum nempe seu spatium, tempus & ordinem: spatium quidem quod stabilitatem radicum representare non debet solum, sed etiam sicut radices causas omnes fundamentales & Elementares continere in primo ordine dicebantur, & in instanti agere: sic in secundo spatium quod tam incorpora quam incorporea in se etiam continere debuit, præcedere debebat: tempus verò secundo ordine, nempe in stabilitate rationum seminariorum, seu incorporeorum serie adoptabitur, cum omnes ejus rationes in tempore considerentur, & radicum circularem motum, lineali & superficiali motu limitent; ordo autem est, ut ante corpora, hoc est concreta Elementa terram & aquam, & corpora Hypostatica, Sal & Sulphur, corpora incorporea, & ante incorporea corpora, nempe principia Hypostatica, Mercurius seu fluor, ignis & aer, proximè stabilitentur, & cum omne agens non nisi ad exemplaris modum & formam agat, ut inde imaginem exemplari similem producat: In omni proinde actione quatuor videntur consideranda, agens, patiens, exemplar, effectus, actionis suæ imago, ad exemplaris formam fabricata, & ut hæc proposito quadrent, paradigmate illustrabo. Sit agens affectus vocis illius qui ferebatur super abyssos, nempe Ens creatum, seu primum mixtum Metaphysicum. Sit patiens essentia, sit exemplar vox ipsa, sit imago ipsa mundi fabrica, constructa ad exemplaris formam. Ens igitur creatum, ut principium activum, concipi non potest, extra se producere (legitimi enim ejus partus in se esse debent) nisi prius locus simul in quo fætum producere possit concipiatur: similiter vel subjectum, in quo hærere debet, concipiantur, & locus & spatium in quo producere debet, & pro subjecto, dicitur non esse alio opus subjecto, quam seipso, omnia enim quæ in aliis sunt, prius in scriptis quam in alio fieri debent: & pro loco dicitur, quod locus ubi illud Ens seu primum mixtum Physicum manere debet, apud veteres vocabatur interdum essentia, & interdum campus veritatis, interdum lumen intellectuale, alimentum Deorum, & intellectus cognitionis & essentiæ ejus provisor: campus veritatis dicitur ubi explicatio aut demonstratio luminis intellectualis fit: ubi habitat Dea Adrastæa, quæ mensuras animabus vitæ innocentis determinat, ut res cui obediunt; eam Orphæus appellat Deorum custodem, qui sumens

cla-

claves aureas cum cymbalo & tympano, ex pelle hircino sonans, tantum edit strepitum, ut omnes Dii se ad illam vertant: per illud intellectuale intelliguntur vera Entia. Dea Adrastæa est Dea veritatis & justitiæ, intra quam sunt effectus verarum causarum, quæ dicuntur imagines Entium: per conversionem Deorum ad Adrasteam, intelligit conversionem effectuum ad suas causas, ut Christiano more loquar: campus ille veritatis est spacium infinitum, in quo spacium infinitum concipi debet; & in quo mixtum illud Metaphysicum, in septem ordines verorum incorpororum exemplarium & radicalium Entium extra se producere debent, & ordines illi quamdiu in se manent non sunt sensibiles, nec incorporeæ, sed incorpora duntaxat: ratione & non sensibilium more intellectui nostro objiciuntur, ut sæpius in hoc opere inculcatur, neque numerus & ordo sensibilium more indicari debent, sed omnia intellectualiter erunt judicanda. Nec ibi loco egent, cum sint incorpora, nec tempore, cum extra se non moveantur, sed progredientia, imagines & simulacra exemplis simillima producunt: & proinde spatio egent in quo degant, & tempore in quo motus perficere possunt. Principium igitur hoc activum, circulariter in seipso revolutum, progressiones in se circulares, primò ex interna illa actione meditatur: & per circularem motum ad materiam Physicam circulariter descendit: & denuo ad radicem suam, nempe materiam Metaphysicam ascendit, & ex potentia sua vires agendi ad extra in actum producit, & spacium ex infinito spatium acceptum extendit, & in extenso isto infinitos motus, lineales seu potius radicales, ex singulis Peripheriæ Septem Elementorum radicalium punctis emanantibus exercet: dum seminarias rationes corporum lineali, superficiali, & corporea ratione collocat: & per omnes seminariorum ordines, usque ad Atomos vires seminarias, scientias Mechanicas, & actus suos distribuit: & pro radicibus proximis corporum componit, *& ab insectilibus hujus ordinis partibus incipit*, mox agitat molem & cæco se corpore miscet, primoque in longitudinem nectit atomos, quasi puncta varia, ut inde ex non quanto & non exterso fiat secundus gradus corporeitatis, linea nempe, per se quanta & extensa, sed non adhuc corpus: deinde à lineali ratione per qualitatem & spiritum pergit ad superficialem, multas lineas in loco & tempore ad superficialem naturam simul convertens. Tertiò ex Atomis, lineis & superficiebus, totius corporis rationes (hoc est linealis, superficialis & profunditatis formas præ se ferens) producit: primòque lux facta fuit, quasi primus pullus, ex incubatione spiritus super aquas, hoc est super atomorum confusam congeriem, aqueam præ se ferens formam: deinde separata fuit hæc

lux

lux à tenebris, unde apparuit mundus hic ex incorporo, incorporeis & corpore compoſitus. Nunc ut ad delineationem Spheræ & tabulæ Entium Radicalium accedam, pulchrè totam tabulæ aream aut faciem ut extremorum & medii collationem, ad Pyramidis corporeæ ſimilitudinem referam, ubi Ens creatum, ſeu Primum mixtum Metaphyſicum, quaſi in Cono Pyramidis pingetur, de quo idem dici poteſt, atque maximus Tirius Philoſophus de mente divina dicebat, is enim mentem Divinam rectiſſimè Soli comparabat, cujus poteſtas erat uno ſimul intuitu cæli & terrarum opera omnia latè inſpicere, humanam vero mentem, viatorum more dicebat non niſi mora longiſſima, ac diverſis temporibus univerſas regiones peragrare: ſimili ratione poſſimus aſſerere, primum mixtum Metaphyſicum, ſeu Ens creatum, uno intuitu, ut centro reliquorum entium, circumferentias uſque ad materiam, tum radios (ex punctis aliis ſingulis Peripheriarum reliquarum protuberantes) in inſtanti contemplare, & illorum actibus, ſimul quaſi fætibus ſuis in inſtanti providere, ſed de ſecundis Entibus ſive Entium imaginibus aliter judicandum, cum enim Επρόςατα hoc eſt aliſtantia eſſe judicantur, ut in ſeminario & concretorum corporum ordine inſpiciantur, non in inſtanti, ſed in tempore actiones viatorum more perficiant, & mixta corpora & caduca & momentanea, & quaſi non entia, exemplaribus ſimilia duntaxat repreſentant, de quibus conſectarii loco, lubet doctiſſimi Fragaſtorei verſus aliquot non inconcinnos hic apponere, qui ſuam de Entium imaginibus mentem appoſitiſſimis verbis exponens, generoſum Lectorem ſiſtere & advertere parum adhortatur.

*An neſcis quæcunque hic ſunt, quæ hac nocte teguntur,*
*Omnia res prorſus veras non eſſe ſed umbras,*
*Aut ſpecula, unde ad nos aliena lucet imago.*
*Terra quidem & maria alta, atque his circumfluus aer.*
*Et quæ conſiſtunt ex iis, hæc omnia tenues*
*Sunt umbræ, humanos, quæ tanquam ſomnia quædam,*
*Pertingunt animos, fallaci & imagine ludunt.*
*Nunquam eadem, fluxu ſemper variata perenni:*
*Sol autem Lunæque globus fulgentiaque aſtra,*
*Cætera ſint quamvis meliori prædita vita.*
*Et denota ævo immortali, hæc ipſa tamen ſunt*
*Æterni ſpecula, in quæ, animus qui eſt inde profectus*
*Inſpiciens, Patriæ quondam quaſi tactus amore;*

*Ar-*

*Ardeſcis, ſed enim quoniam hic non perſtat, & ultra*
*Neſcio quid ſequitur ſecum tacituſque requirit*
*Noſſe licet; circum hæc ipſum conſiſtere verum*
*Non finem, verum eſſe aliud quid, cujus imago*
*Splendit in iis, quod per ſeipſum eſt, & principium eſſe,*
*Omnibus æternum, ante omnem numerumque diemque,*
*In quo alium ſolem, atque aliam ſplendeſcere lunam,*
*Aſpicias: alioſque orbes, alia aſtra moveri.*
*Terramque fluvioſque alios, atque aera & ignem,*
*Et membra, atque aliis errare animalia Sylvis.*
*Denique cuncta alia cernas vegetantia vita.*
*Ergo umbras cum jam ſatis, & ſpecula illa ſuperque*
*Spectaris, longa jam dudum in nocte pererrans,*
*Fas tandem lucem, atque ipſum perquirere verum.*
*Quod quoniam longe ſejunctum corpore ab omni,*
*Nec nexus habet, aut affinem ſenſibus ullis,*
*Naturam; Scito eſſe animum tibi diſſociandum*
*Corpore, purgandumque omni contage recepta*
*Terrena à labe & mortalis luminis hauſtu.*
*Quærendæque aliæ ſylvæ, colleſque tenendi.*
*Sunt alii, meliorque Deum quæ ſemita monſtrat.*

Qui accuratius hos Fracaſtorii verſus conſiderare velit, in illis totius Platonicæ Doctrinæ medullam inveniet, quæ non parum ad diſtinctionem Entium verorum ab imaginibus Entium conducere videtur, quæ miros & infinitos errores in Phyſica vulgari, imo tam inter Doctiſſimos quã Plebejos introduxit. Vulgaris enim eſt opinio ſenſibilia, ut ſunt corpora & carnes eſſe realia Entia. Sed ſciant turpiſſimum eſſe hunc errorem, & ſecum incredibilis momenti falſitates traxiſſe, quæ totum mundum agitant, & in ſectas diſpergunt, exinde enim ſequeretur, carnem noſtram eſſe realem, cum tamen realitas non de tranſeuntibus ſed de permanentibus prædicetur, realitas enim & veritas idem ſunt, at verum dici non poteſt de tranſeuntibus, aut perpetuo fluentibus, ut ſunt corpus & carnes: nec de diſtantibus, ſed de ſe ſtantibus: de quibus dici non poteſt quod fuerant, aut quod erunt, ſed quod ſunt, quod ſemper erant & ſemper erunt: de corporibus autem aut carne ſenſibili non ita dici poteſt, caro enim ſingulis momentis fluit, imo fit, ſuſtinetur & ſenſibilis

fit, per animum & Spiritum, quibus absentibus in pulverem suum vertuntur: proinde Salvator noster dixerat, veram carnem esse spiritum & vitam, quæ est æternorum cibus: dicitur enim Johan. Cap. 6. v. 53. verum dico vobis nisi comederitis carnem Filii Hominis, non habebitis vitam æternam: comestio igitur ista in vitam æternam non de comestione sensibili, nec corporea dici possit, sed de spirituali & de animaria: Caro enim quæ corpus est non prodest, sed caro quæ est spiritus, est illa quæ proficit: aliud igitur corpus est quod corrumpitur, ut est caro, aliud quod non; & quod corrumpitur aggravat animam, ut est Cap. 15. ad Corinth. & hoc corpus Cap. 15. à Paulo ad Corint. versu 44. corpus animale vocatur, ut è Diametro corpori spirituali opponitur, dicit enim, seminatur corpus animale, surget corpus spirituale: deinde distinguit, si est corpus Animale, est & spirituale, igitur caro corpus est, ita & caro spiritus, caro corpus, caro & corpus fluens, & corruptibilis: caro spiritus, caro & spiritus permanens, & incorruptibilis.

Jam ut societatem incorporeæ naturæ cum incorporo & corpore verorum Entium, cum imaginibus, in tres primos Spheræ Entium radicalium collocatarum per similitudinem ostendam. Supponetur Pyramis Conoeidalis. A. B. C. Spheræ alicujus solidæ portionem representans ex trianguli α & ω inferiori angulo (lucem increatam representante) diffluens, & erit Ens creatum. A primum Metaphysicum mixtum, quod primum & Elementum radicale, causa proxima omnium effectuum, seu causatarum post se, & imparticipabile suæ seriei principium erit: producens in se participatum D seu essentiam, secundum Elementum radicale, primo Elemento A concentricum, & quatenus illi Ens creatum est superius & causa post se producet Sphæram vitæ E causatum, participans essentiæ D. & participatum intellectus F. vitæ proximo causato, qui quidem intellectus, particeps est vitæ, participatum & causa animæ in G. quæ quidem anima particeps est intellectus & participatum & causa producens formam, seu naturam seu spiritum, in H. quæ quidem natura particeps est animæ, & participatum, & causa terminativa infinitæ potentiæ per finem in materia I. quorum omnium Symmetriæ & dependentiæ reperiuntur, proposit. 3. Articuli de vita, & omnes istæ productiones Septem Entium seu Elementorum Radicalium, fiebant in eodem omnium communi Centro, antequam foras prodierant, & spatium finitum in infinito spacio conceptum, foras ex potentia verorum Entium, in actum educebantur, ut locus esset pro conservandis verorum & Radicalium entium imaginibus, primo vel secundo exemplatis; progrediendo ab exemplaribus, ad ratio-

rationes ſeminarias quæ in ſecunda ſerie tabulæ reperiuntur, & quæ tertiam ſeriem tabulæ ſeu Spheræ conſtituunt, & principia Hypoſtatica fluorem ſeu Mercurium, ignem & aerem, corpora etiam Hypoſtatica, ſalem & ſulphur, & duo Elementa concreta, terram & aquam, accidentium & qualitatum, relolaceorum, hoc eſt relocatorum ſuſtentacula, & fructus ſeminariorum rationum & materia mixtorum: itaque centrum primæ materiæ I & A centrum Entis creati idem ſunt ut videtur in figura Conoeidali, quæ quamvis corporea & ſenſibilis depingatur, tamen, ut ait Proclus, in iſta ſerie Radicalium, vitaliter & intelligenter omnia apparentium, numerorum, figurarum, rationum & motuum exempla, erunt ſupponenda, puchrè autem totam hanc extremorum & Medii collationem, ad Pyramidis Conoeidalis ſimilitudinem referemus, ubi entia ſeu Elementa Radicalia in A centro quaſi Cono Pyramidis pingemus, non habentia partes extra partes, ſed principia loco partium in centro moventium, quæ quamvis ab incorporo A in D eſſentiam, & de D in E vitam, & de E in F intellectum, & de F in G animam, & de G in H naturam, & de H in I materiam, & inſenſibilium more, per varias Sphæras exprimantur; tamen per iſtas Sphæras ſolidas non minus naturam incorpororum in A centro, quam rationes ſeminarias, ut pote incorporea corpora in D, ſeriem Hypoſtaticorum trium Principiorum Mercurii, ignis & aëris, Hypoſtaticorum etiam corporum, Salem & ſulphur, & concretorum Elementorum in E, quartorum ſeu mixtorum in F, quintorum in G, ſextorum in H, & ſeptimorum in I, quæ ſeptem ſphærarum ſeu Entium Radicalium ſerie comprehendunt: collocabimus tum ſecunda Entia (quæ imagines verorum Entium includunt) in quæ ſeptem radicalia in momento & ex infinito ſpatio actiones ſuas peragunt, & aliis ſequentibus, in ſpatio finito exemplatis, tradunt, ut poſteriorum actiones viatorum more peractas repreſentent: fiat igitur Pyramis Conoeidalis A B C. in cujus Cono ſeu Centro ſit oculus exiſtens, A Ens creatum ſeu primum mixtum Metaphyſicum, aut ens activum, ſtabilem cauſæ naturam, & primum Elementum radicale repreſentans: ſit D eſſentia in Centro primi circuli, & Cono concentrici, ſit E vita, ſit F intellectus, ſit G Anima, ſit H natura, ſi I materia prima, ut ultimus ordo progreſſionis infinitæ potentiæ, per finem terminatus, & circuli eſſentiæ, & aliis circulis conterminis in Cono concentricus: dico oculum in A conſtitutum uno eodemque intuitu per unum denique punctum, ſimul cuncta quæ ſunt circa Pyramidem Conoeidalem, ut ſectionem Sphæræ ſolidæ in circulis D E F G H I velut uno intuitus momento, conſpicere, ut in ſeipſo, & de

ſeipſo, & de cunctis circa idem centrum vertentibus judicium ferre poſſe, At vero extra centrum, in quacunque parte Peripheriarum, DEFGHI tum non ſimul conſpicere poſſe, ſed per quandam transſmigrationem & circuitum, & ex uno in aliud quaſi tranſlatum, non niſi ſeparatim, & in tempore de cunctis judicare poſſe, & more viatorum, non niſi longiſſima mora & diverſis temporibus, univerſi regiones peragrare: eodem pacto Ens creatum, ſeu primum mixtum Metaphyſicum, cauſa prima aliorum Entium, penes ſeipſum, & in ſuo centro permanens, & cauſa effectuum, ſeu cauſatarum infra ſe producendarum, per ſeipſum, & in toto ſuo circuitu progrediendo, in inſtanti percipit & perficit. Continuatione non interrupta, diſcendit circulariter à cauſa ſuprema, ad ultimum cauſatum, & terminatum in materia, & leges ſuas, per modum participationis intentioris aut remiſſioris actus ſingulis inferioribus orbibus, non ut partibus ſed ut principiis replet, & ex punctis Peripheriarum ſingulis, & radii undique extenduntur, qui extra & circa radicalium Peripherias emanantes, ordinem ſeminariarum rationum, tam concretorum Elementorum & mixtorum conſtituunt. Itaque nihil excogitari poteſt ex Ente & Centro dimanans, quod *eſſentiam, vitam, intellectum, animam, naturam & materiam* fugere & in inſtanti, per continuos circulares motus circumdare, & à continuis, & ab inexhauſtis viribus fovere, & illuminare non poſſit: ſimili modo, nihil eſt in toto ordine Elementorum radicalium, quod ab Ente ad materiam excogitari poſſet, quod pro ſpatio diffundendo non conveniat; & in ſpatio reliquas ſeminarias rationes, quaſi vincula incorpororum ut inviſibilium, & corporum ut viſibilium, ut radicalium & concretorum Elementorum motu, partim circulari, partim radicali, tanquam primorum imagines, producere non poſſit: denique nulla eſt poteſtas in ſeminariis rationibus, aut Spiritibus Mechanicis, quæ in prædeſtinata productione ordinis Elementorum concretorum ſignaturas, ſeminariis rationibus ſimiles, ut aſtrorum ſuorum fructus, non producat, ex quibus omnibus mixta omnia exſurgere debent. Nunc autem ut ad Sphæræ ſeu tabulæ entium radicalium explicationem me accingam, tria in mentem veniunt revocanda, manſio, progreſſio, & converſio: totius manſionis terminus in communi centro ſeptem circulorum in uno nempe Pyramidis coneidalis contentorum limitatur, diffundens ſe ſed non egrediens extra Sphæram Entis Activitatis, infinitæ potentiæ, terminatæ per finem, & in communi hoc centro reliqua producuntur, ut ab iſta prima & increata cauſa, ut demonſtrabitur in commentariis per Prop. 4. Articulo de Ente, & agit ante cauſata, ſive ſint vera En-

Entia, sive imagines Entium per Prop. 5. ejusdem articuli, & cum hoc ens seu centrum sit primum & unum ex seriebus universalium, refertur ad participabilem causam, quæ ab uno dependet, omnium principio. Ut demonstrabitur Prop. 8. Artic. de Ente, & hoc imparticipabile principium, est & causa participatorum omnium, & propter hoc quod principium est, ingenitum debet esse in sua serie, per Prop. 7. Artic. de ente, & quod ingenitum est, in unaquaque serie entium, illud non potest ab aliquo illius serie dependere; Sed est sufficiens, & in se & per se subsistens, & proinde incorruptibile & impartibile est juxta Prop. x. xi. & xii. Articuli de vita, & quia per se substat, & ad seipsum etiam est conversivum, & è contra, per Prop. xxi. Articuli de vita, & quia imparticipabile est in sua serie, producere debet participantia, & esse causa participatorum per Prop. vi. & vii. de Ente: agit igitur, & est primum & unum ex seriebus universalium, & imparticipabile suæ serei, & ab uno dependet principio, nempe Ente increato: est principium ingenitum suæ seriei, & per consequens independens in sua serie, est sufficiens, & per se & in se subsistens, in se conversivum est incorruptibile, in sua serie, producens etiam est participantium, & causa est participatorum: *sic natura, forma, seu spiritus* movetur per participationem animæ, anima movet se & intelligit per participationem intellectus, intellectus vivit per participationem vitæ, vita agit per participationem essentiæ, essentia habet omnia per participationem Entis, Ens omnia dat inferioribus suæ seriei, & imparticipabile accipit omnia ab Ente increato, omnium serierum imparticipabili principio, & hoc Ens creatum diffunditur in essentiam, magnitudine carentem, & omnia quæ in ea sunt, & per eam in aliis radicalium ordinum speciebus concipiuntur, & ad invicem ita sunt unita ut neque magnum neque localiter, quæ in illo sunt æstimari debeant, sed impartibiliter, & sine distantia, unita & distincta tenetur, ut demonstratur Prop. 7. Articul. de intellectu, & quoniam dictum est primam causam increatam causasse alias causas, per primum ens seu causam creatam, quam nec Peripatetici, nec Stoici, nec Epicurei, quorum ingens numerus est, non admittent: rationes igitur Mathematicæ erunt afferendæ ut illorum ignara sapientia convincatur, dicendo creatorum alia esse αὐτοπόστατα hoc est per se stantia, quæ propria sua hiparxi & essentia & viribus non innixa alterius, illius adminiculo ut sint, quam Dei ente increato, & productore & Creatore, qui ea uti produxit, ita ut ne in nihilum vertatur conservat & continet, & ad se convertit, continuis & inexhaustis viribus ea fovet, & ad se revocat. Cujus contraria opinio, Capite de Ente longè fuit profligata: hæc autem sunt Elementa radicalia, aut entia

incorpora, quæ ex Mundo Archetypo seu infinito spatio demittuntur, qui nec loco egent, nec in spatio agunt, & totam tamen entis latitudinem in septem ordines radicales & concentrales divisam constituunt, & finitum spatium in quo agere extra se in infinito spatio possint producunt, & cum sunt rerum naturalium sustentacula, jure merito Elementa ab Authore nostro vocantur: his vero opposita sunt illa quę non in ipsis sed in alio sunt & per aliud subsistunt, & ἐπερόςατα appellantur, qualia sunt omnia corpora & corporea universa, corporeæ enim quantitates, qualitates, harum operationes, & passiones corpore egent sicut fulcimento sine quo nec existerent, nec subsisterent: his itaque distinctis cum αὐτυπόςατα & ἐτεϱόςατα sint inter se opposita, & cum jungi sua natura non possint, necesse est esse media aliqua quæ tam opposita jungere possint, & ea sunt incorporea corpora, qualia sunt rationes seminariæ, nempe spatium, in quo extrema & media contineri spiritualiter possint, ut est calor subrimæus incorporeum corpus, ut sunt corpora incorporea, humor nempe & fluor, ex calore enim in spatio finito continuiter extenso, fit viscus aut gluten quasi effectus unientis multitudinis, quæ unius est particeps per Propos. 1. Artic. de Ente, ex incorporo totis incorporeis corporibus dilatum, & coextensum, nam si aliqua in parte incorporeo corpori non extendetur incorporum, ea parte non contineri, nec servari nec sustineri debet incorporeum, cum salvatore careat & sustentatore: ex humida vero & confusa atomorum serie vigente, ut corporibus incorporeis corporum, partes cum prædicto glutine continuato ex calore facto glutinantur, & in unum per gluten, quasi unionis ministrum, reducuntur, & hæc duo, calor nempe & humor, calor qualitas quippe essentialis, ex animæ in luce progressu, in spatio finito agentis, humor, qualitas essentialis materiæ primæ, & quando concordes habent actiones, sympathiam & concordiam, & glutinis conservationem, discors vero actio Antipathiam & glutinis & molis dissolutionem operatur, nisi in officio ab incorporo contineantur, & foveantur: fotio autem ista non nisi à fovente, qui foventis vires continuo hauriat, fieri non potest, & istæ vires debent esse inexhaustæ, quę quidem neque corpus, neque incorporeum præstare possunt, sed solum incorporum, quod uno nomine naturam rerum appellare libet, & licet, & illa Animæ progenies sit, cujus radius in corpora infusus est, ut ait Zoroaster, *affatim animans lumen, ignem, æthera, Mundos*, tamen ipsa & hæc mente sua participata continet intelligibilia, & Mundo sensum indit, & Mundum sensi-

ſenſibilem reddit, quoniam intellectum partim imitatur producendo corpora, nimirum per radium ſuum, qui natura eſt in corpora infuſus, variis quidem viis operans, quaſi plenitudines ſinuum Mundi, quas & canales vocabat Zoroaſter.

*Anima inquit ignis, potentia Patris eſt relucens,*
*Immortaliſque manet, & vitæ Domina eſt,*
*Et habitat Mundi multas plenitudines ſinuum.*

Et in alio loco de hac natura loquens,

*Mente quidem continet intelligibilia*
*Senſumque inducit Mundis.*
*Mentis tamen eſt imitamen, partum vero habet quid corporis.*
*Mixtiſque Canalibus ignis incorrupti opera efficit.*

Ex his patet corpora, cum per ſe nec conſtitui, nec ſuſtineri, nec contineri, nec conſervavi, nec cuſtodiri poſſint, ut ab alio nempe in natura ſuſtineantur, opus erat; quę ab *anima, intellectu, vita, eſſentia* participata, diffluere debet, & cum mens opifex in flexibus inferioribus verbi & boni gravida facta fuerat, ſterilis manere non potuerat, ſed parere neceſſe fuit, imo & parta continere, cuſtodire, conſervare, imo omnia nempe Ens creatum, quod primo à ſe prodierat, tum quę à ſe longius profluxerunt, ut reliqua Elementa radicalia, & iſto ordine, ut ſecunda à primis, tertia à ſecundis, quarta à tertiis, quinta à quartis, ſexta à quintis, ſeptima à ſextis, iis quibus ſupra ſunt ſæpius expoſita modis, & horum ſingula genera & eſſentiam habent & potentiam & actionem propriam, quæ tria per omnia comeant genera, nempe eſſentia per omnia Elementa radicalia, potentia per ſeptem ſeminarias rationes, & actio per ordines ſeptem Elementorum concretorum.

## *De Progreſſione.*

Dictum fuit Ens creatum viribus infinitę potentię, in communi centro ſeptem Elementorum radicalium eſſentiam obtinuiſſe univerſalem, imparticipabilem, perfectam, independentem, ſufficientem, ſubſiſtentem, incorruptibilem in ſua ſerie naturam, in ſe converſivam obtinuiſſe, & quia imparticipabilem habet naturam, in ſua ſerie, producere etiam debet à ſeipſo participantia, per propoſit. V de Ente, ſed prius in ſe producere & manere debet, antea quam in alio producat, per propoſ. V. Artic.

de

de Vita, & quia perfecta fuit in prolem extra se fluere & producere debuit; per proposit. LX Articul. de vita: progreditur igitur, ut foras producat, & alium ordinem constituat, non manentium & æternorum, sed similium & dissimilium, hoc est partim æternorum, partim momentaneorum, sed primo similia ante dissimilia producit juxta proposit. 4. Artic. de vita, & similia erunt incorporea corpora, dissimilia corpora incorporea, & corpora deinceps dissimillima, & talium dissimilium etiam & similium septem erunt ordines, *spatium, lux, splendor, lumen, calor, scintilla sulphuris fixi, Atomi*, & ab istis rationibus seminariis fiunt corpora, primum incorporea, ut sunt *fluor, ignis, aer*, tum concreta, sal, & sulphur, Hypostatica corpora & activa, *Terra* & *Aqua*, & in omnibus hisce productionibus quæ viciniora erunt origini quantitate, quidem minora remotioribus esse debent, potentia autem majora judicantur, per propos. XIIII. Artic. de vita: proinde spatium erit quantitate majus quam essentia, sed viribus & potentia minor utique judicabitur.

## *De Conversione.*

POst mansionem & progressionem, restat conversio, quæ quidem prius in mansione existebat, & in manentem ipsam essentiam latebat, hoc est in seipsum, & convertebatur in se antequam è causa progrediebatur, & tunc separatam habebat ab omni corpore essentiam, sed per se stantem habebat, per propos. XXIII. Artic. de Vita, & cum omnis conversio efficiatur per similitudinem convertentium se ad id ad quod convertitur, quælibet ex ordine seu serie seminariarum virtutum, post productionem corporum, & ejusdem dissolutionem, illud ex ordine seu serie seminariarum rationum per similitudinem ad illud ex ordine manentium redit ad id nempe cui assimilabatur prius per propos. XVI. Articulo de vita, iterum redeundo in lucem increatam, aut primum Ens increatum. Nunc ut propius ad rem accedam & supremam activi principij rationem oculis subjiciam, intuere Conum Pyramidis, & concipe animo dimanationem omnium Idearum (ut ex infinito spatio) quasi radiorum solarium, non aliter ab unitate in multitudinem per finitum spatium progredientium, quam cum Solis radius, ex orbis illius amplissimo orbis Diametro positus, per foramen angustum, ut ortum intendat, seu ut primum Phænomenon spatij

tij infiniti in objectum parietem, ut alterum conum Pyramidalem quasi spatij finiti extensum efformet, atque in ipso parietis foramine proxime delineat, sic radij obliquati in continuum proferuntur, ut transversi penitus, parique proportione digressi qua dudum colligebantur, in oppositum alterius muri planiciem decidant, orbemque fulgidum ad solis similitudinem referant (quemadmodum pulchrè observatores Eclipsium docent) tanto sane ampliorem, quanto à foramine longius transversi radij in continuum prorogentur: Adæquaturi scilicet globi solaris, ut entium radicalium amplitudinem, si æquali spatio à cono deciderint, atque pridem à sole defluxerunt, ita & Idearum influxus, à superna *vita* seu luce *increata*, ab infinito spatio solari forma in triangulo depicta in inferiorem derivati, ex angustissimis maximè in angustiam particularem, redigantur, donec à materia atque à corporibus reflexi, iterum ex singularibus facti universales, amplitudine pristina potiantur: sic lux increata concipitur solari forma, quæ ex angustissimo *α* & *ω* in angustissimum A redigitur, & inde protrahitur ad materiam B C, in quam agere excogitatur, juxta voluntatem Archietypi & illius designationem, & primum quod terminos spatij illius finiti implebat, lux erat finita à luce infinita quæ prius Empyreum seu Mundum infinitum illustrabat, & lux illa juxta Platonem Idealis Mundus erat, Idearum lucibus plenus, & paternum profundum nominatur in Diagrammate, per trianguli formam, sub radiis lucis representatam, & nihil in hoc sensibili rerum arbitrio est, quod non essentiam, vitam, motum, ab infinita luminis illius fæcunditate participet: juxta propos. IX. Artic. de Ente, quod sanè & profundissimo epiphonemate declaravit dilectus Discipulus Jacobus Apostolus, *omne datum optimum, & omne datum perfectum, descendens à patre luminum est, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio*, quæ verba cum totius Theologiæ sint Epiphonema, explicationem desiderant. Quidquid igitur dat Deus infinitæ suæ voluntati & potentiæ subjicitur, in potentia enim boni bonum est, sed optimum non est nisi unum simplex, & cum juxta Propos. 2. de Ente optimum quidquid sit, sui ipsius debet esse diffusivum, & per consequens necessario seipsum communicabit, juxta Propos. IX. de Vita, erit igitur Deus & Creatura unum & idem, secundum modum datoris, & ita Deus æternus, infinitus, incomprehensibilis, secundum dati rationem; creatura temporalis finitè comprehensa est, sed subtile hoc negotium examinandum erit. Dicitur dari formam rei esse, non tamen res à forma

esse suum caput aut originem ducit, nam tunc esset antequam esset, sed forma dans esse rei, & ipsum esse in omni re quæ existit, ut datum esse, ut datum rei esse, sit ipsum dans esse, Deus autem omnibus esse dedit, per sui *formam, scientiam & voluntatem,* dans nempe vitam, & motum, & universalis & absoluta forma est, quam Platonici per *animam*, Ægyptij per spiritum Mundi intelligebant; sed quia forma dat esse rei cuicunque particulari, forma est ipsum esse rei: hinc est, quod Deus Optimus Max. dans esse rei, earum forma absoluta & Catholica est, qui formam dat singulis per quam existunt, est enim forma creata, descensus rei à forma universali, quæ omnia in mirabili illo Epiphonemate Apostolico comprehenduntur, in quo dicit formarum datorem aliud à seipso non dare, *cum donum suum sit esse Optimum, Maximum, & Catholicum*, sed ex parte recipientis donum illud cadit in altereitatem: receptio enim dati est dissensiva, qua fit ut infinitum, finitè; universale, particulatim; absolutum, contractè recipiatur, nam receptio descensiva, à veritate se communicantis declinat, & ad imaginem dantis festinat, juxta Propos. x. Artic. de Anima. Exemplum, lumen est forma universalis omnis esse visibilis, ut coloris : nam color nihil est nisi contracta lucis receptio, lux enim rebus non permiscetur, sed secundum conditionem recipientis expansiva quadam extensione recipitur, cujus terminatio color est, in perspicuo, secundum unum modum rubor, juxta alium ceruleus, ita omne esse coloris datur per lucem descensivum, adeoque lux est quædam colorum omnium diffusiva forma, ita in omnia juxta res umbrosas & opacas, ex varia descensiva receptione, pro varietate corporum, quibus affunditur, varia colorum exsurgit varietas, ita ut lux descensa non sit amplius lux, sed color, vel lux contracta, & quemadmodum forma lucis se habet ad formas creaturarum. Igitur omnis creatura sit aliquid contractè, & essentia omnium non est aliquid omnium, sed nihil omnium incontractè; ita essentiæ insensibiliter in speciebus essentiæ specificæ absque specificatione in generibus essentiæ genericæ absque generalitate sunt in absoluta essentia quæ Deus est. Quemadmodum igitur hujus forma se habet ad formam colorũ, ita lux infinita & forma rerum universalis se habet ad formas creaturarum. Ita anima nostra vis descendens ad judicandum universalis est, una & simplex, tota in toto, & in omnibus organis, etsi oculus ut videat, animam non ut virtutem universalem discretivam, sed eandem cum descensu quodam, sive contractè recipiat. Unde circa propria potentiæ suæ objecta tantum versatur,

ſatur, ita ut lucis exemplar, ſubſtantialis forma, univerſaliter, dans eſſe ſubſtantiale, in quantum unitas ſimplex, novem veluti diffuſis radiis, id eſt novem modis deſcenſivè ſecundum modum quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, paſſionis, ſitus, loci, temporis, & habitus recipitur, ut ſic denario omnia compleantur; ſed quia quantitas non purè ſubſtantialiter, ſed deſcenſivè cum contractione quadam recipitur, quantitas quoque ſubſtantia non eſt, aut ſi ſit non eſt Cathegorica, licet omne quantitatis eſſe, ſit datum à ſubſtantia, ſicuti omne colorum eſſe à luce corporea: ſimiliter de natura Angelicana, humana, brutalique ratiocinandum, ut vel hinc pateant, cur Triſmegiſtus Deum rerum omnium nominibus, & res omnes Dei nomine appellare voluerit, ipſe enim forma operis ſui (propter ſeipſum omnia operatus eſt) ſe dedit Mundum ſenſibilem, & ſenſibilis Mundus ſit propter ſeipſum, & receptio illius deſcenſiva, quæ in ſenſibilem gradum à luce in umbram vergit, bonitatem illius ſenſibiliter attingat, luxque infinita uti ſenſibilibus ſenſibili; ita viventibus vitali, rationalibus rationali, intelligentibus denique intellectuali radio fulgeat: hinc patet quoque quomodo creatura ſemper fuerit ab æternitate ſeu luce æterna, à quo deſcendit: cum enim data æternitas non niſi contractè ſit recepta, hinc æternitas ſine principio principativè, & cum deſcenſu recepta exiſtit in Mundo: ſed jam his ita declaratis ad Patrem luminum redeamus. Cum igitur omnis creatura ſit aliquid contractè, ita eſſentiæ ſenſibilium ſunt inſenſibiliter in ſpeciebus, eſſentiæ ſpecificæ abſque ſpecificatione in generibus, eſſentiæ genericæ abſque generalitate ſunt in abſoluta eſſentia, quæ Deus ſecundum Corrolarium propoſ. 7. Artic. de Intellectu, & alia lumina quæ infunduntur per Divinam illuminationem, quæ ducunt intellectum ad perfectionem, ſicut eſt lumen fidei, per quod intellectus illuminatur, ut ſupra rationem, ad apprehenſionem veritatis aſcendat, & quia intellectus hoc lumine ducitur, ut credat ſe poſſe attingere veritatem, quam tamen adjutorio rationis, quæ eſt quaſi inſtrumentum ejus, attingere nequit, etſi infirmitatem ſeu cæcitatem ob quam baculo rationis innitebatur, quodam ſibi conatu Divinitus indito, reliquit, & ut incedere poſſit, in verbo fidei roboratus, indubia ſpe aſſequendi promiſſum ducitur, ex ſtabili fide, quod amoroſo curſu apprehendit, atque hac imbuti, quicunque ſine hæſitatione fuerint, omnia à Deo petita infallibili Chriſto promittente conſequentur: habet igitur vis noſtra intellectalis lucis divitias ineffabiles, in potentia, quas

tamen cum in potentia sint, nos habere ignoramus, quousque per lumen intellectuale in actu existens, nobis pandantur, & modus eliciendi in actum ostenditur per Propos. 5. Artic. de Intellectu, & fit non secus ac in agro pauperis: sunt divitiæ multæ in potentia, quas si quis ibi noverit esse, & debito modo quæsiverit, eas reperiet. Nam ibi panis, vinum, carnes, lac, mel, fructus, linum, & quæcunque ad vitam sustentandam necessaria sunt, etsi non videat oculo, at ratio ipsi lumen præstat, ut verè ibi ea latere cognoscat, dum agricultoriæ artis munitus subsidio, & gramen, & segetes, & omnis generis plantas, & arbores educit, quibus oves pastæ lanam, vaccæ lac, segetes frumentum, linum ad contegenda corpora necessarium suppeditat adminiculum: hoc igitur pacto illuminatus pergit, fidem & fructum nanciscitur, vitæ sensibilem: hæc ratio in potentia intellectuali agri, omnia quæcunque ad vitam intellectualem consequendam conducunt, continet, dummodo rectè colatur & virtutes ejus debitis exercitationibus modisque exprimantur: ad hujus autem modi notitiam diveximus per illuminationes eorum, qui virtute & lumine interno pleni, in hujusmodi agro excolendo multam ac diuturnam operam impenderunt, qui Mundi hujus umbrosam fugientes faciem, toto animo lucis incumbunt operibus, Philosophi, Prophetæ & viri Apostolici, per quos dator luminum nobis revelavit Thesaurum absconditum, & modum custodiendi agrum, & leges & præcepta, quibus herbis noxiis & infrugiferis aliisque extirpatis in ipso arborem vitæ plantare, atque excolere possimus, sic in puris omnibus metallis imo in Mineralibus continentur aurum & argentum, sed Thesaurum vitæ & sanitatis lucrabitur. Descendunt igitur varia lumina ab intellectu Patris luminum, ut doctè illustrat Marsilius Ficinus, tum Cornelius Gemma, in opere suo Cyclognomonico, tum scientificè Doctissimus Kircherius in Metaphysica sua lucis & umbræ, qui illorum doctrinam inconnexam, & dispersam ingeniosissimè recensuit & contexuit, & in pulcherrimum ordinem reduxit: & uti hac ratione se manifestat, est unica simplex & absoluta, principium numeri maximè in $\alpha$ & $\omega$ & incomprehensæ virtutis, cujus apparitio non nisi in varietate numerorum deprehenditur, juxta Propos. 1. Artic. de Ente: est punctum vis ineffabilis, quæ solum in quantitatibus ab ipso simplicissimo puncto descendentibus quasi luminibus variis notificatur: est momentum uti simplicissima & incomprehensa res, quæ solum in successivo temporis fluxu deprehendi potest, omnia autem secundum numerum in unitate, secundum

cundum quantitatem in puncto, secundum fluxum successivum in mente, & omnia secundum id quod sunt, fuerunt, aut erunt, aut esse poterunt, in infinita omnipotentia Dei, virtute pura, cum Deus præcipuus & totius naturæ Sol sit, ut supremum totius cognitionis objectum, omnis vis cognitrix (in quantum fieri potest) in Deo ut potentia pactum producitur, veluti quidam ipsius Dei aspectus, fulgoris ipsius receptaculum, naturalisque emanatio: sicut enim lux hæc materialis, oculorum objectum naturale est, in quod convertuntur oculi, ita unaquæque vis cognitiva nititur in Deum, ut in proprium subjectum, ut in verum solem, ut in finem, suumque ultimum conservatorem, juxta Propos. 18. Artic. de Vita, sed hæc lux infinita aut ens increatum, ex luce increata diffluens, non eodem modo, non eadem facie, eodemque aspectu participantibus, nempe enti creato, *essentiæ, vitæ, intellectus, animæ, naturæ & materiæ rationib u seminariis, Elementis concretis*, *sensibus & mixtis* revelatur; Enti enim creato revelatur potentia, in essentia actu inextenso, & passione remissa, & de essentia vitæ in effervescentia, intellectui in exemplaribus luminis, animę in exemplaribus umbrarum, *anima* aut *natura* in exemplaribus tenebrarum, & materię in exemplaribus spatij & aliarum seminariarum rationum Elementorum concretorum, & usque ad sensus & res sensibiles: lux autem ipsa in Deo est, & Deus est: lumen verò, prima est lucis emanatio, directusque lucis raadius, demissus in totam seriem Creaturarum: umbra hominis est ut refractio aut reflexio: tenebræ autem dicuntur luminis diminutio, non vero privatio: exempli causa lux in sole est nativa quædam solis claritas, lumen est quod à directa aut inrefracto radio solis derivatur, usque ad Mundum Elementarem: umbra est luminis quædam per refractionem diminutio: quamdiu itaque per simile medium fertur, unus continuus directus & infractus lucis radius, luminis exemplar, per totam seriem Elementorum radicalium fertur: ubi vero in medio densiori diaphano opacove fractus spargitur, tunc in spatio lumen calorem, Atomos & reliquas umbratiles rationum seminariarum nexus, inter manentia radicalia incorpora perficit, & umbra vocari potest: at ubi in medium diaphanum solidum opacum incidit, tum seriem Elementorum concretorum, & primo fluorem seu Mercurium, Ignem, & Aërem, principia nempe Hypostatica, Aquam cum Terra corpora passiva constituit, ubi noctis & tenebrarum est mansio, qui gradus lucis & umbræ omnem nobis universi distributionem ob oculos ponunt, quorum incolæ sunt Deus &

creaturæ ejus, Deus in Regione lucis eſt, & lucem habitat teſte Divo Joanne inacceſſibilem, nempe Mundum infinitum in ſpatio infinito: creaturæ ejus, Angelus in Regione luminis, Homo in Regione umbræ, Bruta in regione tenebrarum, lux prima in ſeipſa, lumen directum in ſpatio Empyreo, umbra in ſublunari, tenebræ in viſceribus Terræ, patet Deus lux pura in Angelo, aliter in homine, aliter in Brutis, Divina enim ſpecies in Angelico intellectu recepta lumen eſt indeficiens, omnis maculæ ratiocinii ſque expers, in humana vero ratione recepta Divina ſpecies, umbra eſt, dum ſenſuum miniſterio impedita, non niſi per ſpecierum ſenſibilium umbras, effectuſque rerum naturalium, veluti in ſpeculo Deum intuetur. In buſtis verò totius lucis Divini diminutio, non extinctio eſt, ſicut enim in præcedentibus duas lucis ſpecies eſſe oſtendimus, lumen & umbram, ita duplicem quoque creaturarum ordinem conſtituimus, Angelicam & humanam, ob quas omnia quæ in Mundo condita ſunt, vivunt, ſentiunt, & vegetant. In pręcedentibus dictum eſt de ordine transfuſionis lucis infinitæ in inferiora, nunc qua ratione recipiatur Divinæ lucis ſpecies in inferioribus dicendum eſt. Deus igitur totius lucis fons inexhauſtus, recipitur ab Angelo ut immediatè per medium, lucidum, clarum, proximum, Deoque vicinum nulla interſtitionis offenſioniſque imperfectione fædatum, neque quicquam inter Deum & Angelum intercedit, quod Divinę lucis in Angelicum intellectum diffuſionem impedire aut ei obicem ponere poſſit, ſed receptam Divinæ lucis imaginem, ſeu ſpeculo quodam lucis prima per medium diſſimile, & refractionibus interſionibuſq; obnoxium, reverberat in intellectum creatum, ſecundum ſcilicet hominem, eſt enim Angelicum intermedium inter Deum & hominem, veluti umbra quædam, qua inter Deum & hominem frangitur. Divinæ lucis irradiatio quodam modo coercetur, & conſequenter inter nubem & ſolem divinæ claritatis umbra cauſatur, quam umbratilis & imperfecta noſtra cognitio ſequitur: cum pręterea homo materialis ſit & externæ fæcis compoſitione concretus, lux veluti in opaco corpore fracta, ulteriorem lucis negat diffuſionem: ſicuti igitur humanę umbræ cauſa eſt inter Deum & hominem Angelicæ nubeculæ interpoſitio, ita interpoſitio inter lucem Angelicam, & humanum corpus, tenebrarum cauſa eſt: iterum Deus cognoſcibilis eſt ab Angelo, ut in Cœlo, ab homine ut in nubibus, ab animali ut in Terra, ſed ut hæc melius pateſiant, per exempla colorum illuſtrabimus: notandum eſt igitur omnem vim cognitricem ut paulo

paulo ante diximus, quadruplicem esse, increatam, Angelicam, humanam, Animalem, & è Divino oculo quandocunque in creatione emersisse, quę ad invicem se habent, ut colores ad lucem: optimè igitur Divinum oculum lucem dicimus, Angelicam albedinem, humanam rubedinem, animalium nigredinem. Sicut enim lux, fons & initium, & perfectio colorum omnium, cunctis coloribus longè præstantior, ita Divinus oculus omnium oculorum initium & fons est, & sicut omnis color tribus precipuè duobus extremis cum medio exprimitur; ita & creatus intellectus trinus est, sicuti etiam omnis color species quædam est & emanatio lucis, omnis quoque creatus oculus Divinæ increatæ faciei species est, & substantialis emanatio. Divinus igitur oculus causa & fons omnis coloris, Angelicus verò, primæ lucis speciei Albedini, humanus rubedini, animalis denique nigredini aptè comparabuntur, ita ut ad Divinum oculum se habeat Angelicus, sicuti candor lucis meridianæ, humanus adhuc sicuti nubes rubicundæ, seu puniceus auroræ color, animalis vero sicuti nox, tenebræ, caligo, nigro colore indigitata, & sic pari Analogia inter Creaturas, Angelum & hominem producendum, uterque enim Angelus & Homo Divinæ lucis influentia, per unionem in Deum evadunt quisque prospeculaturus, sine visionis conditione, Angelus in Deum elatus tanquam in objectum simplicissimum, æternum, immensum, optimum, verissimum, sine specie contemplationis, & unus cum eo efficitur, humani vero speculi objectum Deum & Angelum exprimi, in quantum homo Deum non immediatè sed sua nube Angelica prævium & ut Diaphanum cognoscit. Deus videtur ab Angelo ut Sol albus & candidus nulla nubis macula, aut coloris specie attritus, ab hoc ut Luna rubeus, sed maculosa facie velati, sub reflexo ab Angelico lucis speculi angulo, & sub nube & caligine: ab Animali, ut Terra nigra, tenebrosa, opaca, radiis lucidis inpervia, & accessa spectatur. Angelus ut aër, homo ut sal & sulphur, animal ut Aqua & Terra, Deus ut Mens, Angelus ut mentis conceptus, homo ut vix animal, ut scriptura. Atque hæc sunt quatuor præcipuè universi creaturæ, hæc vera ut substantialia Mundi Elementa. Et illa animalia oculis ut festatur scriptura ante & retro plena: Oculi enim eorum sicut cognitiva facultas, quæ præfatis hisce quatuor insunt, mens Divinus est oculus motus, Angelica acies, ratio humana sensus, uterque animalium oculus est: ex his patet quomodo Angelus sine specie & imagine, homo vero cum specie & imagine intelligat: Angelus enim, ut diximus, Deum videt purum, simpli-

ſimplicem, ſine ulla miſtione, ſine ſpecie & imagine, ſolam in quo nullam deprehendit effigiem; umbram nubem aut caliginem. Hic autem cum vi cognitionis primus evadat in Deum, recipiaturque in Deo, fit ut Deus ab Angelica inſitione & conjunctione aliquo modo dicatur umbratilis, & fingatur politiſſimo ſimilis ſpeculo, indita ſpecie atque effigie adumbrante, hęc enim & effigies Angeli, in Divino ſpeculo, tanquam potentiæ in objecto receptio, infinitæ: ſub hac itaque Angelica effigie imagines, & umbra Divini ſpeculi; humanus enim intellectus qui Angelicus in Deum proceſſit, Deum ſpeculatus per ſpeciem ſive Angelicam imaginem Deum cernit, per Angelicæ ſpeciei & imaginis umbram, per quam Deus non ſecus intellectum noſtrum pellucet ac per lunare ſpeculum, ſub umbra & maculoſæ Lunæ vultu, noſtris oculis demonſtratur: ex his liquet præterea cur viſibilis iſte Mundi Sol radiis exſuperantiſſimis infimam noſtrorum oculorum aciem hebetat, obtundatque in tantum, ut cum nulla ratione irretortis oculis ſuſtinere poſſimus. Luna vero temperatis ignibus mitioribus lucis ſpeculis, ſeſe nobis innoxio obtuitu ſpectandam præbet, eſt enim ſolis Angelici, intellectus ſublimioris, videlicet oculi objecti veſtigium, nulla autem id quod noſtris intellectibus à natura objectum atque repreſentatum eſt; congruus, & ſine ceſſione videtur Sol, viſibile ſignum eſt totius Angelicæ ſcientiæ, & contemplationis. Luna vero viſibile itidem ſignum humanæ ſpeculationis, & ſcientiæ, Angelico enim intellectui patet divinus Sol purus, & ſpeculum ſine macula, & ſine imagine; humano verò innoteſcit ut Luna maculoſa imagine conſpicua. Sunt igitur claſſes intelligentium præcipuè tres ut refert Marcilius Ficinus, Deus, Angelus, Anima. Deus nihil ſuſcipiendo intelligit, ſed per comprehenſionis modum omnium in ſeipſo facultatem, ſuæ communiſſimam diſtribuit, in inferioribus medius ſingulas Angelorum ordo capit Ideas univerſales à ſuperiore bono, ac diſtribuit inferioribus, atque per lumen rerum omnium effectuum earundem rerum ſpecies: in infetiores non diſtribuunt, quæ omnia per lucis & umbræ rationes declaramus: hæc ergo tibi potiſſimum quatuor ob oculos pono: finge primò lucis Divinæ radium, à ſuperna mente diffuſum; ſecundò ſpecies ſeu Ideas rerum creandarum rationes in ipſo radio, veluti communi exiſtens, Tertiò mentes, quæ radium hunc incontinuum manentem ſuſcipiant. Quartò ac poſtremò iſtius tam fæcundi radij fæcundarum mentium vires, atque actiones: primùm enim Divinus ille radius prout in ſimpliciſſima Dei unitate conſiſtit, ſimplex eſt prorſus

ſus

ſus atque uniformis, idcirco ideam unicam offert, Divino oculo, ſed ille interim per multos aſcendit gradus medios, rebus gignendis communicabilem; quò autem Idea à Divina unitate magis recedit, eò magis formam multiplicem induit, in colorum miſtorum deſinens, uti linea à centro producta in ipſo eſt individua, recedens autem longius in portiones plures extenditur; ſimplicius igitur radium capiunt mentes ſuperiores, reliqui vero quò magis declinant eò multiplicius: Itaque Divinus ille radius à ſole æterno, in orbem continuam manans, ab *ente, eſſentia, mente, vita*, per *animam* in *naturam* atque *materiam* tranſit, colorum umbris obfuſcatis, in qua tandem fingit extraneas quaſdam umbratiles tantum ſimilitudines, ut lumen colorum imagines objecto ſpeculo repræſentat; nam ex puris paulatim fiunt impuræ, dum à contrariis coinquinantur, unde & ex unitis diſſipatæ, ex univerſali ſingulares, ex ſtabilibus planè inſtabiles, atque caducæ priſtinum requirunt ſtatum, atque ex humili in altum, raptu ipſius magni Dæmonis, ut Ægyptiorum more loquar, amoris videlicet, quantum in ipſis ſitum eſt, rurſus emergunt; quo circa & animus, inferioris Mundi Colonus, ob commercium & converſationem intelligentiarum *partim fugacis corporis*, ceu profugus fato Terris jactatus & alto, aſſumit ipſe quidem per ſenſum has à materia pollutas rerum ſimilitudines, deinde collectas per Phantaſiam purgat, colatque per rationalis potentiæ cribrum, ligatque poſtremo cum univerſali mentis idea, & fruitur jam Pſyche pulcherrima ſui complexibus Mariti, Cæleſtis Cupidinis, ſcilicet ubi pota Nectare eſt, Ambroſiæ ſatura, menſiſque paulatim aſſueſcit ſupernis, atque ita hominis anima per reflexi radij in ſublime labefactatum orbem, ex deſcenſu in multitudinem pene reſtituit. Quod ſi hujus converſionis obſcuram quoque in rebus ſenſibilibus imaginem voles rurſus contemplari, ad ſolis actionem te convertito, diligenter obſervans, quomodo ex orbe illius ampliſſimo, vel potius Diametro, per foramen anguſtum in objectum parietem, illarum Conum Pyramidalem formet, atque in ipſo foramine parietis proximi ſic radii obligati in continuum præferuntur, ut tranſverſi penitus parique proportione depreſſi, quem dudum colligebant, in oppoſitum alterius muri planiciem decidunt, orbemque fulgidum ad ſolis ſimilitudinem referunt, uti ex Marſilio Ficino ingenioſiſſime demonſtratur, tanto ſane ampliorem, quanto à foramine longius tranſverſi radii in continuum prorogentur, adæquaturi ſcilicet globi ſolaris amplitudinem, ſi æquali ſpatio à cono deciderint primum, atque à ſole defluxerint,

rint, ita & in angustiam particularem rediguntur donec à materia, atque corporibus reflexi, iterum in humanos animos, ex singularibus facti universales amplitudine pristina patiantur; nunc autem ut hisce finem rerum adumbrationibus imponam, & Mysticum hunc Psyches & Cupidinis, hoc est amoris aut conversionis sensum, iis qui in Philosophia exercitati sunt relinquam, addam solum Coronidis loco Doctissimi Fracastorii de Psyches & Cupidinis amore Carmina, voluptate certè & ingeniosa eruditione refertissima, tum nostro proposito apprime quadrantia: per Psyches enim varios casus, discrimina multa, & tandem Connubia, nihil aliud repræsentare videtur Platonicus ille Philosophus Apuleius, quam animæ seu Psyches, à mente seu cupidine progressum, & peregrinationem ad res corporeas, tum denuo reditum per conversionem ad eandem mentem; celebratasque nuptias, statum animæ menti conjunctæ, & à corpore separatæ. Quorum historiam petant, qui velint ex 4, 5, & 6. Libro Apuleij, de Asino aureo; neque mihi hoc imponat ingeniosus lector, aut credat me ex Poëtarum aut aliorum Authorum fabulis, velle veritatem hujus artis struere. Sed æquiori omnia lance perpendat, secumque cogitet me viatori similem, qui dum sub æstuante sole, iter longum percurrens, nunc sub viridantis arbusti umbra, jam in susurrantis fluminis ripa defessus, ab itinere aliquod solatium captat, sic me non ex his veritatem, sed veritatis inquirendæ desiderio, talibus perculsum ablandimentis imaginaberis; Amores autem Psyches & cupidinis ita cecinit Doctissimus Fracastorius, Libro cujus titulus, Turris, sive qui de intellectu inscribitur.

## *P S Y C H E.*

*HUc Amor ô dilecte ades, ô dilecte Cupido,*
*Formosum tua te Psyche formosa requirit,*
*Et poscit te Dia Deum, puerumque puella.*
*O tibi jam similis, sit te peramatque cupitque!*
*Nonne & amabis Amor illam, cupiesque Cupido?*
*Est eadem nobis Patria, est Cœlestis origo*
*Ab Jove, nos Terris pariter, nos æthere in alto*
*Versamur, pariter conjunctaque munera obimus.*
*Ipsa bonum pulchrumque modis in pectora miris,*
*Insinuo, tu corda feris, tu suggeris ignes,*
*Accendisque ardore novo genus unde animantum,*

*Concipitur, crescitque sua & Connubia jungit.*
*Me miseram, quod & ipsa meis in me artibus usa,*
*Ah nimium tenera, & pulchro nimis apta moveri,*
*Ut te conspexi, ut novi pulcherrime rerum.*
*Continuo facibusque tuis, & Amoris amore*
*Exarsi: juvat hoc, paribus si & tu ignibus ardes,*
*Tolle puer vittas, atque in me lumina solve.*
*Nempe & amabis amor pulchram cupiesque Cupido,*
*Ipsa tibi tenuem qua cingas tempora vittam*
*Intertextam auro & molli bombice laboro.*
*Pictus ubi Narcissus hiat, Meander oberrat,*
*Hinc ego te latas Terras, atque alta volatu*
*Nubila tranantem fingo, & Maria uda secantem,*
*Cuncta tibi imperio subdentem, hominesque ferasque,*
*Et pictas volucres, & quæ nant æquore monstra.*
*Dius quoque nec parcis, curru Rex Jupiter aureo*
*Invehitur, cinctus humeros & brachia ferro.*
*Quos inter tua Psyche etiam, religata catenis,*
*It mærens, sequiturque tuos captiva triumphos.*

Qui in ampliore conversionis campo adhuc divagari velit, legat Proclum, & ibi tres conversionis species inveniet: vel enim descendit aliquid deterius ad se dum à perfectione propria labitur, vel confugit ad melius propter vitæ vigorem, vel reflectitur ad seipsum propter cognitionem sibi consortem, mediamque speciem motionis: descensus quidem est animæ alias abjicientis; conversio autem ad melius, vel ad seipsum, Divinæ indoli melius quadrat. Eundem pene circulum in Elementatis omnibus percipies; expende paulisper colorum atque saporum seriem; nam ex insipido, austero, atque acerbo, fit acidum; ex acido dulce, ex dulci paulatim acre, mox acidum rursus atque insipidum: ex ligno candido per calcinationem fit primo fuscus, hinc & nigerrimus color, ex nigro carbone fit rursus lucidior cinis, & hinc purissimus candor, uti præcipuè in ossium cineribus & salibus liquet. Idem in animalium pilis, in alimenti transmutatione comperies: Ubi in Chilum idem mutari didiceris, hinc in rubentem sanguinem, qui rursus albescens, in carnis, aut lactis, aut seminis substantiam transformatur, sed generationis circuli in Plantis

& Stirpibus ità sunt obvii, ut nullâ expositione indigeant: id tamen in illis maximè mirari soleo, quod præter legitimas radicum, trunci, ramorum, foliorum, caprealorum, florum, seminum vices, ita senectus illorum juventuti novæ, ut corruptioni generatio, copulatur, ut quo tempore fructus deponunt, & folia simul & futurorum germinum rudimenta succrescant, totius vitæ & status rationem in se complexa: Quæ fit per solis conversionem, alteram proditum. Quid de hominis flexu vel cæterorum animalium in se reductis ætatibus dicam? Nonne ab ortu crescentes postquam constiterimus, labimur denuo ad occasum properantes, suntque & viri juvenes, & bis pueri senes? Discurramus per universam privati hominis sortem, puerilibusque sane crepundiis consentaneam, expendamus res corporis, animi atque fortunæ. Rectissimè in re Medica sane omnis morborum species, in ascensu, descensu, & conversione versatur in fluxu & adstrictione vel affectione ex utrisque composita, in motu à centro extrorsum vel introrsum, à circumferentia quibus medendi contraria ratio est, per motus oppositos scilicet, per additionem, subtractionem, adstrictionem, relaxationem, attractionem, repulsionem animorum; verè circuitus cujus indolem temperamentum corporis teste Galeno, ut plurimum comitatur, satis testantur Divinæ Partis reluctatio & objurgatio, per quas nisi ejus præsidio gravissimè adversus concupiscentiam brutam pugnes, in turpissimum vitiorum cœnum tu te præcipitaveris; habet enim successus prosperos caro, *sed cum detrimento animæ*, ac marcescente corporis specie vigor & virtus animæ reflorescit: Qua quidem sententia plenum est Christi Euangelium: Sic in fortunæ rebus circularis hic motus percipitur, ejusque circuli puncta in summis angustiis & angustissima prosperitate ponuntur, quibus accumbunt motores gemini, Spes, & Metus, vel amor & odium; sic in calamitate acerbissima, tanquam in fundo Pandoræ Pixidis, subinde est ardentissimus spei vigor ægrotis animis, pro summo remedio datus, ut in fortunæ maximis blandimentis, rerumque uberrimo statu, summus est metus, majori interdum afficiens cruciatu quam vel ex possessi perditione afficiat dolor; nam fere extremum gaudii luctus occupat, & à luctus acerrimi puncto felicitatis auspicia exoriuntur; sub spe metuque id genus alia multa conversionis seminaria, in extremorum alterutro sæpius occultantur; nam & peccatis gravissimis pænitudo summa succedit; rebus præclarè gestis ut plurimum fastus, & insolentia; vel oblivio sui, urget unius gloriam alienus livor, infortunium levat commiseratio, egestati Ingenium favet, atque industrio opulentiæ inquieta solli-

sollicitudo assistit. Stultitiæ summa securitas; doctrinæ vel sapientiæ periculum multiplex & ærumnarum seges; ut meritò in vita æquabili, quæ pedetentim crescit, felicitatis duntaxat firmæ præsidia collocentur, si modo ad portum & terram solidam navigare cum securitate velimus. Alioquin semel & gelidos imbres perpeti decet, semel urentes soles & aperta serena, semel datum est insanire, semel insaniam nosse maturè ut cum cognorint discant fugere, cui multum illa pro Cælio M. Ciceronis applaudit Oratio, tum illa festivissimi Plauti sententia. *Quisquis Astartam aut Bromiam contempsit Iuvenis, is vel amabit vel insaniet senex*, similiter loci & temporis circulos varios ascensus & descensus contemplari licet. *Omnia suum* (ut inquit sapiens) *tempus habent*: Surgunt humilia tempore, & eadem potentia, sede deturbantur; tempus concreta fundit, & dissoluta componit: Feræ Sylvestres tempore cicurantur, & contra mansueti successu temporis efferantur. Ejusdem vertigine, & quæ sunt vetera fastidimus, & quæ sunt insolita primoque in limine terribilia, per consuetudinem mollescunt. Postremo quæcunque nec viribus corporum, nec virtute ulla animorum, confici possunt, ceu lapis à stillicidio, per fluxum unius temporis hauriuntur. Quare cum hodie & summa maximè fluant, & inferna sursum repere, præter honesti speciem moliantur, ea quoque quæ super naturam sunt constituta, agrum consimilem facere Divinæ justitiæ, consentaneum est. Aufertur enim & lumen mortalibus, & unitatis robur, & per consequens omnis fere hactenus concessa felicitas; iisque confertur qui vivere in luctu, supplices diu & in profunda mersi caligine voluerunt: lustrabis sic omnem Historiam universi, æterna quidem est Monarchiæ species; æternum Sanctæ Religionis Regnum, & fidei; æterna apud Mortales Christi Ecclesia; sed tamen hæc ipsa propter materiæ susceptricis ineptitudinem, successione temporis locum mutat, tanquam per terræ segmenta demigrantia, & sub obscuram cum nostris moribus conversionis speciem trahentia, donec summa cum infimis confusa penitus in plenum circulum agitavit. Sunt igitur in omni conversionis specie quoddam medium & extrema duo: extremorum status cum sit Tropicus, imprimis est periculosus, mediocritatis vero præ cunctis optabilis norma, & ad rationem oportuna securitas. *Quò respexisse videtur* illa quoque sapientis oratio, nec rerum abundantiam, nec egestatem nimiam flagitantis; sed quiddam medium, virtuti atque prudentiæ copulatum: Quanquam inter extremos hominum status, is semper procellis majoribus patet, qui ad sublimem properat, quæ fortunæ humanæ Palin-Genesis à Cornelio Gemmæ versibus hisce eleganter exprimitur.

*Pauperies pacem dat, opes pax, copia luxum:*
*Sed luxus bellum, bellaque pauperiem.*
*Fons amor est odiis, vita mors, turba quietis.*
*Stant quæ ceciderant, quæque stetere cadunt;*
*Et capti capiunt; & qui domuere, domantur,*
*Fit victi supplex qui modo victor erat.*
*Rege fero fera plebs punitur, Plebe Tyranni.*
*Sic fatum alternas versat in orbe vices.*

Non est tamen quod terrere nos quempiam ab ipso ascensu vel rerum fastigio putet, imo in omni bonorum genere, miranda sunt quæque sublimia, maximè & abjectissima negligenda minimè. Quin quò quisque evectior, tantò & prodesse pluribus potest, & si profuerit, virtutem magis, virtutisque præmia in conspicuo gerit: sed sunt in singulis gradibus supremis, infimis, mediis, priores rursus & posteriores; alii sunt & agendi & patiendi conditiones, mediæ vel extremæ, sua servabitur cunctis æqualitas, atque perfectio, si semel norint, & quod suum est facere meditentur, id est, si quæque inferna superioribus obsecundent, superiora vicissim subditis imperare, pluribus benefacere, media quodam se modo gerere erga concives discant; Ita qui vel præcipiti loco sunt constituti, virtuti suæ constanti, rationem quoque stabilem fortunæ retinebunt; aut si id minime possint, fortunam instabilem arte sic corrigent, ut & quæ præter spem eveniant, omnia summo consilio geri, & providentia penitus gubernari videantur: Et ut circuitus rationem membratim magis in partibus singulis & præcipuis universi perficiam: Primo intellectus aciem ad cælestia dirigamus; has enim ob causas nata sunt astra, (ut inquit Cicero) quæ per cælum penetrantia, solstitiali se, & brumali revocatione converterent, ut hoc omne animal quod videmus, esset illi animali quod sentimus ad æternitatis imitationem simillimum, unde verissimè statuit Plato libro de Regno, cælum ex Amoris ingeniti quadam affectione moveri; anima enim cæli tota simul est in quibusdam cæli punctis. Ergo unius cæli anima, fruendi alterius copula, in orbem celerrimè currit, molem sibi commissam unà convertens, ut totæ totis mutuo perfruantur, ut tota sit simul ubique quoad plenissimè fieri potest. Nam si quiescunt, particulæ singulæ duntaxat singulas tangent, non quælibet currens currendo assequitur, quod quiescendo minimè possit. Quin unitate suarum partium cuncta servantur, dispersione pulchritudo & multiplicitas propagatur, unitatem per attactus mutuos efficit amor, multiplicitatem æterna reductio; quod

& in


& in humoribus corporum, & mundi Elementis conſpici datur; quorum concordia, ut ait Empedocles, mundus, & corpus hoc noſtrum conſtat, diſcordia diſſipatur; atqui ex concordia quod pridem eſt genitum, eadem vivit & conſervatur. Ex paucis autem & pugnæ viciſſitudine corrumpitur; unum regignitur in aliud, fitque formarum continua multiplicatio; conſtat itaque evidentiſſimè multiplicitatem & unitatem eſſe mundanæ revolutionis velut ſcopum præcipuum; nam cunctorum hæc fere eſt Princeps, & velut ſummaria ratio, quod inſit cuique & unitatis & multiplicitatis informatio, ſeu character indelebilis; quibus oppoſitis mutuo cum retinendis graviter omnes incumbant; nec pariter poſsint tamen ea quæ minus ſunt unum formæ ſuæ ditionem proferre ulterius meditantur, ut fiant hac ratione multiplicia: & quæ ſe proferant, latius funduntur in multitudinem nimiam, unde diſſoluta; cum velut à ſanitate aut rerum æqualitate receſſerint, pro ſua virili paulatim referunt ſe in unitatem. In rebus igitur infernis ob tres potiſſimum cauſas fiunt aſcenſus ad unitatem, deſcenſus ad multiplicitatem, & denique circuitus, primo & ſuperiorum impulſum, aut viciſſitudine quadam ſeminalium rationum, quæ in natura & imagitatione conjuncta natura peragitur; motu interim cæleſti, idem aſsiduè ferentem: ſecundo ex inſtabilitate materiæ & eidem ad formas continuo novas ingenito appetitu, qualis fere in rudibus primum & pueris elucеſcit etſi eundem & in amore muliebri ſæpè & in amicitiis Regum aut Principum experimur, ut hæc ferè omnia cum roſis vernis rectiſsimè comparari, aut cum ſerenitate Martia poſsint. Tertia viciſsitudinis ratio fit ex formæ inſolentia. Etenim quamvis hæc figurarum circularis permutatio, potiſsimum ex materia proficiſcatur, eſt tamen & ſublunaribus formis ſua non efficax ratio, qua ſe conficiant mutuo, alternatiſque gradibus cadant & oriantur, cui illud è ſacris conſonat, Eccleſiaſt. I *Luſtrans univerſa in circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur.* Agitati Spiritus orbem mox figurarum, & qualitatum, formæque eſſentialis converſio comitatur, nam formæ cuivis atque ſpiritui rationem eſſentiæ triplicem aſsignamus, ut prima ſit in ſe ſtabilis & ſimplex, deinde & mobilis, altera eademque dupliciter rurſus, vel recta verſus exteriora, vel circularis ſive reflexa in ſeipſam. Hinc forma omnis à ſtatu fertur ad motum, vel duplici nomine ſuum opificem ita opitulatur, per ipſam ſcilicet & actionis quandam ſimilitudinem in motu, cum à ſe res alias contemplatur, mox vel in inferiore vel ſuperiore aliquo deprehendit, exemplar ſui & alterutrius reſpectu, in ſui imaginem reflectitur, in ſeipſam uti tanquam ex ſpeculo ſeſe cognoſcens vel tanquam Narciſſus

cissus aliquis ex fonte illius, suam pulchritudinem admirata, confestim in φιλαυτίαν labitur; Dein more luciferi in sphæram generationis devoluta, simul ab unitate in multitudinem fluit: nam quia se propagandi studio, supra præfixos materiæ limites vult extollere, hinc sanè divulsa nimis vel dissoluta paulatim, & robur amittit: nam quæ consistunt solum vires in semetipsis unitas, & qualitate materiæ simul coactas retinent, unde & se conservant quam diutissimè; quemadmodum contra quæ vires proferunt, partim ob quantitatis exolutiones, partim quia ab objectis vicissim agentibus afferuntur, dispersa celerius elanguescunt, ut ægre hoc nomine, & sibi quis pariter vivere & Reipub. possit: simul & Christo servire & corpori: simul & vitam præclaram & diuturnam degere: simul eandem & factis insignibus, & privatis commodis, vel fædis voluptatibus mancipitare, & horum indolem Elementata tum mixta omnia imitantur. Formarum itaque robur cum exolescit, statim & illa quæ per vigorem formæ sustentata qualitas, ruit, velut alis jam destituta, deorsum fluit, donec Princeps forma, vel spiritus reflexione denuo in seipsam factâ, sciensque tum qualis sit hodie, tum qualis extiterit quondam; cognitione pariter sui, ac plenitudine, & à delapsu rursus in ascensum properans, labem informem exuat, formosoque exemplari suo quam proximè referatur. Reliquum igitur erit ut hactenus dicta, quasi facta probata, aut in progressu hujus operis demonstranda, ante oculos subjiciam: contemplare tabulam entium Radicalium, tum spheram solidam, ut illic totius naturæ mansionem, progressum & conversionem uno oculi intuitu conspicias.

## *Constructio Globi Solidi Entium Radicalium, Rationum Seminariorum, tum denique Elementorum Concretorum ad delineandum Systema Physicum totius mundi, tum ad Hypoteses veterum Philosophorum conformandas instituti.*

FIat Diametralis linea A B, dividatur in septem interstitia æqualia A D, D F. F H, H K, K M, M O, O B. repræsentantia orbes Septem Entium radicalium & incorpororum: deinde centro C circumferentia A D fiat circulus A C D representans orbem entis creati: deinde centro D circumferentia vero A F fiat circulus A D F essentiæ orbem repræsentans: fiat etiam à centro E circumferentia A H circulus A E H repræsentans vitæ orbem,

*Centrum*
*Manentium et*
*Progredientium*




P. *Centrum*
*Conuertentiũ et* I
*Centrum Concretorum Elementorum*
*qui ſunt tres ordines ſpheræ Entium Radicalium*
*in vnum Convenientium*
*Regio fluoris ſeu Mercurij continetur interuallo* AD *minorum circulorum*
*Regio ignis inter paruos circulos* DF. *Regio aeris inter paruos circulos* EH
*Quatuor concreta Elementa ſal ſulphur terra aqua*
*in vno globo continentur* .

bem: ducatur etiam à Centro F circumferentia A K circulus A F K repreſentans orbem intellectus, itidem & centro G, circumferentia verò A M circulus A. G. M. repreſentans orbem animæ: ſimiliter centro H, circumferentia verò A O circulus A H O. repreſentans orbem formæ: tandem centro totius I, circumferentia verò A B fiat circulus A I B repreſentans orbem materiæ; Ducantur itidem ſuper eodem Diametro B A ſeptem æquales & ſimiles circumferentiæ ſecantes priores, ad angulos ſphærales rectos repreſentantes rationes ſeminarias ſeu Mechanicos ſpiritus, qui ſunt incorporea corpora & corpora incorporea, ſeu vincula incorporeorum & corporum inde emenſurorum: nempe centro I intervallo B A erit prima ratio ſeminaria, ſeu ſpatium finitum ex infinito per concavum diſtinctum correſpondens Enti creato: centro K, circumferentia verò B D fiat orbis B K D repreſentans lucem ſubprimævam eſſentiæ: centro L, circumferentia B F fiat orbis B L. F repreſentans ſplendorem ſubprimævum vitæ: centro M, circumferentia B H fiat orbis B M H repreſentans lumen ſubprimævum intellectus: centro N, circumferentia B K, fiat orbis B N K repreſentans calorem ſubprimævum animæ: centro O, circumferentia B M fiat orbis B O M repreſentans ſcintillam ſulphuris fixi, ſeu naturæ ſcintillam: centro P, circumferentia verò B O fiat orbis B P O repreſentans Atomos ſeu diſcretum illorum humorem: ex centro itidem I intervallo H ducatur orbis H I K repreſentans globum quatuor concretorum Elementorum ſalis & ſulphuris corporum hypoſtaticorum, tum terræ & aquæ corporum impotentium & paſſivorum: eodem manente centro I ducatur orbis ex intervallo H G F aërem principium hypoſtaticum repreſentans: deinde ducatur orbis ex intervallo F E D regionem ignis principium etiam hypoſtaticum repreſentans: ducatur denique orbis ex intervallo D C A repreſentans Mercurium ſeu fluorem primum hypoſtaticum principium. Dico iſtos circulorum gradus repreſentare integram ſphæram entium Radicalium, ut in plano extenſum fuerat, attamen non ut in plano viſus objiciuntur accipientia erunt, ſed ut in globo ſolido, neque habere diverſa centra, ut in plano depinguntur, ſed omnia in centro univerſi I manere & ad ſuam cauſam progredi ad circumſtantiam A B ut effectum per omnia intermedia cenſentur, imo & convertere ad cauſam: itaque imaginetur circulus A I B concavus ſpatii infiniti & connexus finiti, qui prius fuerat A C D. ſit C centrum infinitæ potentiæ infiniti ſpatii, ſeu ens creatum progrediens, ad determinandum ſpatium finitum in connexo A B: dico totam potentiam ſpatii infiniti manſiſſe ante progreſſionem, in centro C ut in Ente creato & cauſa: expli-

explicatam vero fuiſſe in actum per progreſſum A D F, eſſentiam in A E H, *vitam* in A F K, *intellectum* in A G M, *animam* in A H O, *formam naturam* ſeu *ſpiritum* in A I B materiam limitatam & determinatam per finem; deinde ajo *Materiam* à *forma*, *formam* ab *Anima*, *Animam* ab *intellectu*, *intellectum* à *vita*, *vitam* ab *eſſentia*, & *eſſentiam* ab *Ente* attrahi, & converti ad primam cauſam per intermedios ordines, ut ſui diſceſſus cauſam addiſceret, ut & ſpatii finiti leges & dimenſiones, pro incorporeis & corporibus producendis & collocandis cognoſceret, & addiſceret: quid autem eſt cognitio niſi coitus rei cum cauſa? & tum ſcire dicimur aliquid, quando cauſam rei efficiendæ virtute cognitionis intelligimus; propterea manet effectus in cauſa, progreditur à cauſa, & convertitur ad cauſam; ut probabitur Propoſitione 18. Articulo de vita, & converſione producunt effectum quem ſpatium finitum vocamus, nempe locum, locum finitum pro incorporeis producendis, non ſolum commodum, ſed etiam pro incorporeorum hoc eſt ſeminariorum rationum fructibus neceſſarium, quales ſunt corpus in & ex ſpatio productum, manendo in ſpatio infinito & extra ſe progrediendo & explicando, in finito, & ex primo iſto coitu lucem primævam ſeu ſeminales rationes corporum produxit in circulo ſeminalium rationum: *Vnde ſplendor primævus ſeu vitæ ſplendor*, in circulo A E H ſimili modo converſio *Atomorum* ad *ſpatium* eſt imaginanda, per omnes intermedias circulorum cauſas: unde producitur *fluor*, ſeu *Mercurius* primaria ſui ordinis cauſa, & primum Hypoſtaticum principium, ſeu Elementum ex intervallo orbis D C A conſcribit, qui ignem Secundum Elementum concretum producit ex intervallo orbis F E D. unde aër tertium Principium Hypoſtaticum ex intervallo orbis H G F, unde corpora Hypoſtatica ſalis & ſulphuris, unde terra & unde aqua in globo terræ H I K integrum corpus conſtituunt: hoc eſt igitur ſyſtema totius mundi, ſed Phyſicum; cui Aſtronomicum adoptari poteſt, cujuſcunque Hypotheſeos, non enim hoc in loco ad peculiares Hypotheſes deſcendere ſtatuo, ſed manere in generalibus, quæ totius mundi cæleſtis, ætherei & elementaris naturam explicare poſſit: nec me arguet aliquis, quod aquam in centro poſuerim, quum non hic ſtatuerim ordines apparentium Elementorum juxta ſitum quem in mundo noſtro viſibili obtinent, demonſtrare; ſed rerum proximos affectus, proximis ſuis cauſis, ut & exemplaribus, aut Idealibus adaptare: quanquam etiam an non ſalis ſitus in centro terræ dari poſſit ambigitur: graves enim Authores, infernorum pænas & incarceramenta in lacu aut ſtagno urentis ſulphuris ſtatuunt: nec de ſulphure noſtro lucido hæc intelligi debeant, ſed de ſulphure fixo & Metallico,

lico, ut est Calx viva & Calx omnium Calcinatorum, quæ non igne flammeo, sed aqua ipsa accenditur, & aquæ præsentiam in terræ centro requirunt: & si aliquis ambigeret, unde ista aqua promanaret; Resp. mare salsum quod per cæcos ductus ad origines fontium defluit, quod in conflictu cum sale effervescit, & post effervescentiam per cæcos terræ ductus, ad nutrienda mineralia, vegetabilia & animalia, ad superficiem irrigandam, ad flumina, omnes & rivulos ducendos destinatam. Quæ omnia ut à maris alveo, ut à causa progressa erant, ad mare ut ad causam convertuntur; & licet ad vigorem violenter huic opinioni resistere velit aliquis, terra & aqua, sal & sulphur unum globum efficiunt, & æqualiter per totum globum associantur. Salem autem & sulphur, terræ & aquæ immisceri, testantur fodinæ salis, tunc carbones fossiles, & si mare habeat suum fundum, omnibus nautis satis cognitum, quid ni etiam cogitemus fundum illum, absque discontinuatione ad centrum usque terræ protrahi; nam quare etiam terra, maris exemplo, non etiam habeat aquam sub se, aquam in tali distantia, à circumferentia terræ distinctam, ut quantum aqua maris deficere concipitur in sua regione aut fundo, ad terræ centrum, tantum deficere terra debeat, à sua superficie ad aquam. Præterea quam notum est omnibus terram in profundo fodientibus, in omnibus terræ locis deprehendi aquam: nec etiam destruet hoc systema, illorum Hypotheses Astronomicas, qui solem in centro mundi statuunt, mutatis enim vicibus, si sal & aqua, aut sulphur fixum, ignem tenebrosum & destructivum in centro terræ faciant; quare sulphur volatile, & aqua fixa ignem lucidum, vivificum & conservantem, in solis centro nec constituant? imo si sint infiniti mundi, ut probabile videri potest multis, ut & mundi, & stellæ singulæ, etiam suas habeant accolas, modo in spatio infinito consistant; acquiesco: & modò ab aliis regi causis, quam à veteribus hactenus demonstratæ sunt non concedatur; credebant enim Antiqui, rebus omnibus terrestribus vires fuisse occultas, vel à cælo irradiatas per virtutes disponentes, vel ab intelligentiis infusas per rationes medias, vel ab Archetypo impressas per Ideas & formas exemplares, omnia scilicet in omnibus esse voluerunt, cælestia intellectualia, & Archetypa rebus inesse terrestribus, modo terrestri, & è contra terrestria rursus cælo inesse, modo cælesti & defecato, in intelligentiis ratione intellectuali, & mage simplici in Archetypo Idearum more purissimo, tum vero omnia per Divinas illices, & symbolicas illecebras, reciprocari; nec non spiramentis occultis, sese mutuo quasi sugere, cælestia & super cælestia suis influxibus ad terrestria se convertere, terrestria vicissim suis hiatibus

Cælestia & super Cælestia ad se allicere; nullam propterea vel herbam esse in Terris, quin haberet suam Stellam, cujus spiritu & vitam & vires facultatesq; quibus esset prædita possideret; hanc autem Cælestium & Tterrestrium continuationem fusius explicatam & demonstratam inveniet lector in Diagrammate linearum planarum contento. cap. 10. Philosophiæ meæ Pyrotechnicæ, sicut in hoc Diagrammate etiam hic posito per Sphærales lineas demonstratur, similiter & in libro meo, Gallicâ lingâ conscripto, cujus titulus est, *Les Elemens de la Philosophie, de l'art du feu ou chemie*: sed ut ad consensum superiorum & inferiorum redeam, dicunt Cabalistæ Judæi, nullam esse Stellam in Cælis, quæ non habeat suam herbam in Terris, quæ singulis diebus percutiendo ter, non dicat GDL surge, GDL surge, GDL surge: & certum est in ortu Cosmico singularum Stellarum vires singularum Plantarum Stellis similibus correspondentium suscitari, videntur enim Stellæ istæ obviam Regi suo Soli euntes, gaudium & lætitiam præse ferre & in plantis illorum ut Stellis terrestribus vegetationis quasi gaudium suscitare: ita florescit Helleborus sole in Capricorno existente, signo nempe melancholico, in quō multæ sunt Stellæ melancholicæ, in Helleborum Plantam Melancholicam, influentes, quando aliæ plantæ delitescunt, & ita dicendum de aliis, ut videre est in insigni illo clave characterij: ita multa sunt quæ quamvis prima facie videantur absurda, tamen inferiore mentis examine & sensuum judicio, manifesta deprehenduntur: antiquissima sententia fuit intra firmamentum plures Mundos fuisse, & hujus assertores fuerunt Heraclides, Pithagoras, Orphei sectatores, & quod pauci capiunt, plurimi reprehendunt: unde si qui Theologorum in istis sæpè rudes non applaudant; illico Physicorum edicta in fidei dogmata transferunt, & conscientiam ex scientia faciunt, contra ipsius Ecclesiæ Placita: Exemplum hujus adfert de Antipodibus, Ramus Pater Nicolaus Causinus, Tractatu de Domo Dei, cum approbatione Doctorum Jesuitarum Coloniæ Agrippinæ apud Joannem Knilchium 1652 impressum, quod Lactantius fabulam æstimavit, lib. 3. Divinarum Institutionum, cap. 24. Similiter & Augustinus lib. 16. cap. 9. de Civitate Dei. *Periculosum est*, dicit idem Causinus, *Mathematicas aut Physicas, addam & Historiographicas rationis ex sacris literis refellere.* Nam hæ quidem ut ait Sanctus Paulus *Divinitus inspiratæ, utiles sunt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectius sit homo Dei ad omne opus bonum instructus*: in justitia dixit, *non, in Geometria, Historiographia, aut Astrologia, quas*

*Sancti his rebus minus intenti ignorare magis quam profiteri voluere. Ideo non debemus Pythagoreorum, de pluritate Mundorum, temere damnare sententiam, tanquam à sacris literis alienam; si quis enim additur ut ajunt penitius inspicere & maturius examinare voluerit, inveniet eam certè multum habere probabilitatis.* Pergit adhuc, *quorsum corpora tam immensa, aut hæc tantum nobis cognita, nonne ut illuminent? Ecquis facem Pater familias tota domo majorem in domesticorum usum accendit? non tanti est hic Mundus, quod punctum, ut tot millia Stellarum illi servire debeant? nonne & beneficentiam Dei ad tam paucas res restringeremus si ita censeamus, adde & si potestatem & voluntatem Divinam eo coarctare aut limitare velimus, ne ipsi & novos Mundos creare, & veteres destruere liceat si velit? Nonne omnipotentiam ejus ad nostras tenues imaginationes reducere videbimus? & si alios* ut refert Reverendus Pater Causinus, *ante hunc nostrum creaße non negaverint sacræ literæ, quare in hoc velit aliquis conjiciendi libertatem, hominibus demere? Imo multum magis creatori tribuetur, si Mundi innumerabiles penè concipiantur; adde aut Mundos, ut suspicatur à Principio nobis incognito, creatos iisque naturis excellentissimis refertos, fac non esse aliquos de genere nostro, sed fortè præstantiore specie, intelligenti quippe præditos & forsan non morituros, sed ad illos qui alium salvatorem, illis Mundis necessarium esse somniant, rogo quid salvatore opus est ubi nulla caducitas? nulla servitus? Quid Medico ubi nullus morbus; valde agrestum est, solos se credere cives universi. Imbecillæ mentis est, omnia ad se referre, ut ne Deo quidem liceat facere naturas intelligentes, quæ alia prorsus conditione fuerant genitæ. Sed si objiciatur quod est Actuum* Cap. 12. *fecitque ex uno homine genus humanum, sed hic nos non homines nostra omnino specie progenitos dicimus, est providentiæ opus universi molem distinguere, nec semper idem, in tam multiplici potestate & voluntate tam libera facere: & si objiciatur, Deum septimo die quievisse. Respondetur Moysen mentionem fecisse Dei in creando hoc Mundo: sed ante hunc Mundum alios fecisse, non negat; imo si ante hunc Mundum alios fuisse conditos Mundos, conjicere licet, nonne eodem jure licebit conjicere alios etiam fuiße destructos? Sicut credimus hunc nostrum destructurum iri: & si noster Mundus destrui debet, & novus Mundus in eum locum collocari, ut est Apocalypseos ultimo, nimis morosum erit credere Cosmographiam & Astrologiam, adde Historiographiam, ex scripturis quærere, quæ tota magis fidem & vitam instruit, hoc est vivendo quam sciendo instituit, curiositatem non alit; leges huic Mundo, non cæteris, scribebat Moyses. Adde, Iudaicam Historiam scripsisse Moysen, non Gentilium credibilius est. Itaque quæ intra & extra Lunam fuerant, nec ejus curæ nec scientiæ commisisse: additur quod etsi plures Mundos in Stellis & Planetis ponamus, unum universum cujus septo cohibentur, omnes profitemur*

*Unum*

*Unum habentes solem circa quem in centro hujus universi positum, mira conversione volvantur: hæc autem suspicari; dicere tamen non possumus: siquidem in istis hominum opinari est, scire solius Dei*: Et quamvis Hypostesin istam Copernicanam ab ipso, & maxima parte Doctorum hodie retentam, & post Aristarchum Samium & Pytagoram, restitutam, anne idcirco accusabimur, posuisse nos aliquid cõtra veritatem sacrarum literarum ut habeamus sacrum cætum nos perpetuo prosequentes? certè Hypotesin illam multa argumenta probabilia, ne dicam & demonstrabilia tuentur, quæ propter brevitatem adferre non possum: proponam ego duo tantum, quorum utrumque supra dignitatem & ordinem loci & locati fundatur; ubi probabitur centrum esse dignissimum omnium locorum, & solem præstantissimum omnium locatorum; & proinde non convenire centro, ut ordini entium dignissimo loco, ut aliud possideat locatum quam dignissimum: horum autem primum erit: Nobiliori locato (in ordinatorum serie) nobilior locus conceditur; at centrum universi est nobilior locus, ergo & debetur Nobilius locatum: Major probatur per Axio. 7. de Essentia; nam inordinata non sunt vera Entia: Minor probatur, in quo rationes incorporeæ rerum corporearum, rationes indistantes distantium, exemplares imitaminum, rationes indivisibiles divisibilium, rationes causales omnium affectuum deprehenduntur, ibi est nobilior locus; at centrum universi similes habet rationes; & talis ad circumferentiam universi; ergo centrum nobilior locus. Major probatur per Axioma 14. & 12 Articulum de Ente: centrum enim circumferentia simplicior & prior est, & proinde Nobilior. Nam figuræ vitales, qualis & centrum, priores sunt apparentibus; apparentes enim in circumferentia cernuntur, vitales verò in centro sunt, & invisibiles & indivisibiles, & quia quæ in effectu apparent, posteriora sunt iis quæ in causa sunt, centrum etiam in quo omnes divisibiles lineæ continentur, ut in causa indivisibiliter prius in centro, antequam in circumferentia continebantur; at quod primum in uno quoque genere entium sit, illud aliorum causa esse censetur; centrum igitur erit ut causa, & locus dignissimus, & proinde ad continendum dignissimum locatum, nempe solem, aptius censebitur.

## *Secundum.*

Cujus virtus æqualiter ad spatium finitum replendum diffunditur, illius centrum & origo debet in meditullio rei replendæ collocari; at virtus solis

ſolis, nempe lux æqualiter in ſpatio finito diffunditur; ergo Sol ejus origo in meditullio collocari debet: lucernæ enim lumen, in angulo domus collocatæ non æqualiter per totius domus ſpatium ſeſe diffundit, ſed ad angulum magis diffunditur, igitur fons lucis Sol in meditullio Mundi collocari debuit contra vulgatam opinionem: at dicet aliquis, pergit Cauſinus, *præterea nimis nos eſſe glorioſos, ſi in hac univerſitate ſolos nos eſſe credamus, & omnia pro nobis fieri, ſed nemo dubitet Deum omnia* hominibus pendere, *quibus Deus Filium ſuum unigenitum impendit.* Nam ut eſt Corinth. cap. 3. ver. 22. *Omnia enim veſtra ſunt*, ut ait Apoſtolus, *ſive Mundus, ſive vita, ſive mors, ſive præſentia, ſive futura veſtra ſunt. Vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*, non igitur mirandum *ſi Sol & aſtra omnia, huic Mundo militent, cui Chriſtus miniſtravit, & ſuo ſanguine irrigavit*: in multis ſimilibus Reverendum Patrem Cauſinum doctrina ut moribus inculpatum, virum magnæ eruditionis omnibus notum audivimus (fuit enim ille potentiſſimi Galliarum & Navariæ Regis Chriſtianiſſimi Ludovici XIII. confeſſarius) tamen opinionem de infinitis Mundis prima facie portentoſam, probabilem tamen abſque ulla S: S: detrimento oſtendentem habemus. Cum itaque dicat, Moyſen mentionem feciſſe Dei in creando hoc Mundo, ſed ante hunc Mundum alios etiam non negaſſe, vix habemus quod poſſit objici. Nec latet, Dogmata Sacra Primi Cap. Geneſ. Phyſicam potius ſpectare quam Theologiam, & proinde filios ſæculi naturæ, quippe ſcrutatores, audiendos eſſe potius erit cenſendum in rebus naturalibus, quam Theologos, ex R. Patris Cauſini ſententia, & ſi Propheta Ezechiæ Regi Iſraelitico, ficu admoto tumori forſan peſtifero obviam iverit, & ſi Salvator luto & ſaliva cæcum curaverit, debent ne Medici omnia alia remedia pro ſimilibus affectibus negligere, & ad Divina illa exempla accurrere, quia ſacræ literæ non aliter intelligunt, ſacra pagina non aliter mandavit, at iſta videntur Medici officium, nec medicinam ſatis exprimere (de qua dicitur virum ſapientem non debere deſpicere) & ſi alia arte non uterentur Medici, quam ex ſacris literis addiſcerent, certè cuilibet deſpectui eſſent, quæ enim ſpectant ad probam vitam inſtituendam, Theologi ſapiunt, & provident ait R. P. Nicolaus Cauſinus, perinde periculoſum eſt ait Hiſtoriographorum, Mathematicorum, Phyſicorum, Chemicorum rationes ex ſacris refellere, erubeſcerent forſan, ſi denuo in Mundum redirent Sancti illi viri, ſummus Pontifex, qui Vigelium Epiſcopum Epiſcopatu privavit, propter opinionem de Antipodibus, & idem fecerat Lactantius, & Sanctus Auguſtinus

ſtinus & plurimi alij: nimis moroſum eſt, ut ait Reverendus Pater Cauſinus, Coſmographiam, Aſtrologiam, Hiſtoriographiam, Phyſicas experientias ex Scripturis quærere, quæ tota magis fidem & vitam inſtruit, hoc eſt vivendo potius quam ſciendo inſtituit, curioſitatem vero non alit, idcirco non debemus temerè ſententias, aut Hypotheſes veterum Philoſophorum Aſtronomorum, Hiſtoriographorum ſcita, in fidei dogmata transferre, & conſcientiam ex ſcientia facere contra ipſius Eccleſiæ placita: pari ratione, cogitari poteſt de Hypotheſi mea de immanentia affectuum in cauſa, de progreſſu & converſione ad cauſam; juxta Proclum & veteres, tum experientias chemicas. Similiter dici poteſt de maculis illis lunaribus & ſolaribus, de ſatellitibus etiam Planetarum, de creſcentia & decreſcentia Veneris: quanta fuere ſuborta jurgia inter Theologos, & Galilæum, quem uſque ad mortem vexarunt, conſcientiam ex ſcientia facientes, imo contra ipſius Eccleſiæ placita: imo eo inſcitiæ ventum eſt, ut damnarentur etiam multi in exilium qui aliquid docere aut edere audent contra Ariſtotelis Placita, qui Mundum ab æterno, qui animam mortalem docuerat, & qui quam plurima Theologorum ſcita deſtruit, & ſi Hypotheſis illa R. P. Nicolai Cauſini, cum approbatione Doctorum conceditur, de infinitis Mundis, quare tot jurgia fuere contra Galilæum pro ſuis Hypotheſibus excitata? Sanè aut illi qui Galilæum vexarunt, aut qui illuſtriſſimum Hevelium, qui ipſas Hypotheſes Galilæi luculentiſſimè illuſtravit accuſare velint, injuſti nimis habebuntur, niſi etiam opinionem aut ſuſpicionem infinitorum Mundorum, inter ipſos approbatam, etiam condemnent: imo & Doctrinæ chemicæ volunt etiam eſſe arbitri, quamvis contra ipſius Eccleſiæ placita hoc faciunt: data eſt nobis ſcriptura ut hominem ad omne bonum inſtruat in juſtitia; non ut in chemia aut Phyſica erudiat, & ſi quàm plurima voluerat Deus è ſacris literis nobis abſcondere, debemus ne propter hoc concludere, vetitum eſſe nobis res naturales inquirere? imo plurima relinquit omnipotens occulta hominibus, ut in iis ingenii acumen exerceremus. Proinde noluerat Deus hominibus niſi aliquibus Judæis, poſt Adamum natis & ſelectis ſe ſe manifeſtare ad extra, idcirco obſcurius dicta ſua ſcriptis mandare curaverat: proinde firmiter tenere debent omnes Chriſtiani, Bibliis ſacris contineri quidquid conceſſit hominibus Deus vel de Myſteriis Divinis ut fidei, vel noſtræ ſaluti tradere: quæ ad ſalutem noſtram unicè ſpectant, conſtant paucis, & in illis tantum lucis adhibuit Spiritus Sanctus, quantum captui huma-

no conveniebat, quæ de aliis rebus tractabant, pluribus mandata fuerant, imo plurima ænigmaticè scripta fuisse videntur, ob rationes suæ gloriæ conformes, quæ forsan gentilibus enucleanda reliquit, proinde gentiles filij hujus sæculi vocabantur, & sapientiores filiis lucis à Salvatore nostro dicebantur: Filios enim hujus sæculi gentiles vocabat, qui istam scientiam externam à Deo infusam habebant, quam etiam nec filiis lucis denegare voluerat, proinde illis sed paucis ad hunc scopum electis, nempe septuaginta sapientibus duntaxat tradere voluit, ut ars illa externæ suæ scientiæ, qua mirabili illa Magia Mundum hunc condidit, aliquibus nempe septuaginta sapientibus duntaxat patefieret, & ut tempus illud quod in primo instructu, aut infusione didicerant, & longo observationum tædio perficiebant gentiles; aliquo pacto veteribus etiam Gentis Judaicæ scire non denegaretur, & ne in errores eosdem per quos gentiles à vero creatore aberrabant, inciderent, sapientibus solum illisque antiquioribus & electis, magiam istam, quæ nempe & sapientiæ fontem, & scientiæ flumen continebat, concedere voluit, & talis scientia à Deo ad Moysen fuit traducta, cum expresso mandato, ne scriptis illam consignarent, sed duntaxat septuaginta tantum sapientibus, qui ad legis custodiam electi fuerant ore ac verbis communicarent, à quibus sic deinceps ad posteros propagata fuit: tandem vero post captivitatem Babilonicam, ab Esdra Dei jussu, septuaginta libris conscripta, quos tamen nemini legere liceret, nisi sapientibus ad id munus electis: Rem autem ita habere ex ipsius Dei verbis Esdram hoc modo alloquentis probatur, ut est Esdræ, cap. *Revelans revelatus super rubum & locutus sum Moisi, quando populus meus in Ægypto inserviebat, & adduxi eum super montem Sinai, & detinebam eum apud me diebus multis, & narravi ei mirabilia multa, & ostendi illi temporum secreta, & præcepi ei dicens, hæc ne palam facias verba, & hæc abscondas*: in sequenti Capitulo ista sequuntur: *exactis quadraginta diebus loquutus est altissimus dicens, priora ista quæ scripsisti palam pone ut legant digni atque indigni, novissimos autem quinquaginta conservabis libros, ut eos sapientibus tradas de populo meo, in his enim est vena intellectus, sapientiæ flumen, & fons scientiæ.* Et ex his suspicari licet Philosophiam gentilitiam longè priorem Mosaica fuisse, imo & diversam, quamvis hoc haberent commune, ut homines Deo similes redderet, & ut in secretis & præclarissimæ artis Misteriis custodiret, ut quæ veteres longa experientia & observatione rerum, ex seminariis naturæ, incredibili temporis intervallo à posteriori addiscebant, illi Judæi, verbo in momento addiscerent, & hoc momentum,

tùm, per haustum alicujus liquoris, qui subito operabatur nobis explicatur, de quo loquitur Esdras, & de quo liquore postquam biberat, dicebat se profundissima *Sapientia repletum fuisse* sicut loquitur libro 4. cap. 14. ver. 39: *Aperui os & ecce plenissimus calix fuit mihi oblatus, plenus fuit quasi aqua, sed color fuerat igni similis, sumpsi & bibi, & quando in eo biberam, cor meum intellectu turbatum fuerat, & sapientia in corde meo accreverat*, & videntur istas aquas intellectas fuisse per aquas supercælestes, aut scaturigines aquarum vivarum, in Apocalyp. memoratas, & de quibus Salvator noster Samaritanam compellabat dicendo. *Qui sitim habuerit ipsi dabo de fonte vitæ gratis*, & ut est cap. 4. ver. 14. *qui biberit de aqua quam daturus sum vobis, nunquam sitiet, sed aqua quam ipse daturus sum vobis, fiet in ipso, fons aquæ salientis in vitam æternam*: in hanc igitur Philosophiam seu externam Dei scientiam, veteres tam in rebus Mundanis, hoc est in cognitione Mundi, ut in historiis præteritorum seculorum, & rerum in Mundo contentarum oculatissimi, sed in Divinis obcæcatissimi: Deus enim gentilibus abſconditus, occultatus & incognitus fuerat, proinde Gentiles, hujus sæculi filii vocantur, de quibus S. Lucas cap. 16. *filij hujus sæculi prudentiores sunt filiis lucis*, quo loco filii sæculi gentiles esse habentur. Filii lucis Judæi, quâ significatione vocatus fuerat Salvator noster, lumen eorum, qui in tenebris essent, Christiani Patres, qui primis à Christo sæculis vixerunt, quos & filios lucis appellare fas est, neque prudentiores fuerunt filiis sæculi, neque enim in rebus naturalibus disquerendis sagaciores & perspicatiores fuerunt, sapuere illi quæ Cæli erant, quæ autem Terræ erant neglexerunt. Patet quidem ex monumentis veterum, hoc est filiis hujus sæculi, ex divino Hippocrate, nempe fuisse medicinam eamque non nisi multorum sæculorum observatione & experientia hominibus traditam, sed præsentis sæculi ignavia satis testatur, à nobis omnia veterum Medicorum & Physicorum monumenta injuria temporum, & pravorum ingeniorum, per inundationes varias, per bella, per Civitatum & Regionum eversiones, prorsus deleta, & rudera solum nobis restare: Chemia enim quæ apud Ægyptios ex Diodori Siculi testimoniis, in tanta æstimatione habebatur, nunc autem inculta, tot fallaciis defædata, exosa & opprobriis obducta jacet, ut viros doctos tam pœniteat quam pudeat, sub ejus vexillo militare. Sic patet etiam fuisse inter Gentiles Theologiam, sed viribus tamen naturæ, hoc est ab ipsis etiam Astronomicis observationibus duntaxat, & non à revelatione acquisitam, & per varias Hypotheses mirabili ita ingenii ac naturæ

turæ lumine illuſtratam, ut non dubitarint Sancti Patres aſſerere Sybillarum Prophetias non fuiſſe abſque Divini numinis inſtinctu revelatas: & S. Auguſtinus ait, Platonem paucis mutatis eſſe Chriſtianum, imo apud ingenioſum Proclum in inſtitutionibus ſuis Theologicis, articuli noſtri fidei (excepta incarnatione) tam clarè demonſtrantur atque in concilio Niceno, nec cum minore certitudine, quam Euclidis demonſtrationes Geometricæ, unde ſtupenda Divinæ manus providentia Theologiam Gentilitiam Divinis revelationibus aliquo pacto conformem gentilibus per Aſtrologiam tradidit, & oculis mentis ab infimis ad cæleſtia, & à cæleſtibus ad ſupercæleſtia penetranda deduxit: inde quid mirum ſi Ovidium in Faſtis ſic exclamantem habeamus.

*Felices animi quibus hæc cognoſcere primis,*
*Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.*
*Credibile eſt illos, pariter vitiiſque jociſque,*
*Altius humanis exeruiſſe caput.*
*Non Venus & Vinum ſublimia pectora fregit,*
*Officiumque fori, militiave labor.*
*Nec levis ambitio, perfuſaque gloria fuco,*
*Magnarumque fames ſollicitavit opum.*
*Admovere oculis diſtantia Sydera noſtris,*
*Ætheraque ingenio ſuppoſuere ſuo.*
*Sic petitur Cælum, non ut ferat Oſſan Olimpus,*
*Summaque Peliacus Sydera tangat apex.*

Et ſicut gentilitia Theologia ab Aſtrologia ortum habuit; ſic niſi à Phyſicis & chemicis obſervationibus Medicina ſua fundamenta etiam hauriret, non video quin merito dici poſſit Medicinam quæ ſuper fundamenta Ariſtotelica fundata eſt, eſſe potius Empyricam ſeu potius Empirica deteriorem: Doctores enim ne videantur Empyrici, Phyſicam Peripateticam publicè profitentur, ſed in animo ſimplicitatem aliorum vident. Hypotheſes enim illorum ſunt ita contra experientias fundatæ; ut neſciatur an injuſtior ſit Mater, an ſævior ſit ipſis Noverca. Hinc ſuſpicatur Ariſtotelem Galeno ineptiſſima principia tradidiſſe, & veterum monumenta deſtruxiſſe, diſſimulaſſe, & digladiatores animo obviam iviſſe ut ſua nova in eorum locum introduceret. Proinde meritò ſuſpicatur Galenus, dum nobis ſuper ineptiſſima Stagiritæ dogmata fundatam tradiderit Medicinam,

quam

quam ab Empiricis ipse hauserat, & à Præceptoribus acceperat, nobis nec veram Medicinam nec Physicam reliquisse, similique modo ac venatores, qui dum leporem & cuniculum eodem tempore venari student, utrumque amittunt, sic ille neque veterum monumenta in Physicis, nec Empiricorum in praxi medica præcepta nobis tradidit, sed ficta sua eventilavit ut unusquisque hecatombos ipsi offerret, nec solum à malitia periisse multos præclaros authores crediderim, sed injuria temporis à nobis fuisse subreptos: quàm sæpè deliros nobis inducit Aristoteles veteres Phylosophos, insanum Democritum magni Hippocratis coætaneum, delirum Anaxagoram, omnes stultos & fatuos declarat, qui suæ doctrinæ statumina non tenebant, & nisi Divini Platonis, & Platonicorum opera aliquot nobis remansissent, quorum Sancti Patres æmulatores tantum credebantur fuisse, quantum hujus sæculi homines spretores esse videntur, actum jam fuisset de rebus Physicis, nec meliorem sortem habuerunt Medici: Galenus omnes Empyricos longè à se profligavit, sed quibus illi principiis uterentur nobis non apparent: quam sæpè contra Erasistratum insultat, sed quæ fuerat Erasistrati Hypothesis non docet. Itidem contra Methodicos, sed quæ fuerant vera illorum principia, præterquam simpliciter quod in stricto & laxo omnem medicinæ Theoreticæ Hypothesim fundabant, non apparet; Impossibilè videtur viros egregios, & in ista ætate tam præclaros, non habuisse alias hypotheses, magno medicinæ damno, aut nobis absconditas vel surreptas: ita revera non absque causa suspicantur multi, multa volumina veterum, injuria temporum fuisse nobis ablata, aut à sectatiorum principibus retenta. Ex relatione Reverendorum Patrum Jesuitarum, in Antiquissimo Regno Chinensi jam ad aliquot annos degentium habemus, Medicos illorum alia prorsus uti arte, quam nos, tamen in Diagnosi, Prognosi, & Therapeja, Europeos omnes, mille Parasangis antevertere tenentur, turpe est eodem lutò ignorantiæ semper inhærere, proinde suspicari debemus, nos non veras, sed ridiculas prorsus Hypotheses in morbis tam præsagiendis quam curandis obtinere, & optandum esset, ut curiosiores & versutiores essemus in aliis Hypothesibus inquirendis, forsan incuria nostra discendi, socordia exigui in arte & praxi progressus, à minimis artificibus, vix hodie objiceretur, & in ista suspicione non debet curiositas nostra culpari, sed laudandi erunt illi, qui quas habent veras experientias rerum, communicant, & ægris exhibent, quibuscunque videantur Hypothesibus inniti, neque ullum posse oriri incommodum in medicina arbitror, si auxilium sit bonum, & à prudenti Medico exhibitum, quamvis Hypotheses

non ſint ubique ſimiles Hypotheſibus Galenicis, & quamvis mixtionem humorum in animalibus non fecerit aliquis aſcendere ad numerum 80084. ut ex Galeno colligitur ſicut in commentariis hiſce oſtenditur, & quamvis alias Hypotheſes quæſiverit Author noſter affectibus conſentaneas, non ideo vituperandus, ſicut nec Aſtronomi condemnari debent de celeberrima quæſtione, de motu terræ: nam ſive cælos circumagi credamus, ſive terram ſubverti, proinde enim in ſucceſſu dierum & noctuum erit, ſi pariter ſtatis temporum, tempeſtas ſingulorum annorum apparuerit, ſi floreant ſegetes verè quæ æſtate maturari debent. Idem in medicina, ſi melius defendi poſſunt Phænomena Medica, cum additione Mercurii, ſolis & ſulphuris quare non addunt? cum illorum Phænomena ante oculos in omni reſolutione videamus: idem dici poteſt de motu circulari ſanguinis, idem etiam de mundis infinitis, imo & venis lacteis nuperrimè inventis, imo eodem modo, ſi nobis benè luceat & influxus ſuos demittat luna, quid intereſt, ut ſuſpicemur, Regiones, montes, eſſe in luna, fluvios, animalia, ut cum ſumma admiratione poſt Galilæum, beneficio tubæ opticæ detexit perilluſtris & mirabilis Hevelius in opere ſuo Selenægraphico? Sit lumen noſtrum lunare nihil præterquam ſplendor à verberatione radiorum ſolis, ſupra mare lunare: propter hoc forſan non corruet Aſtronomia: manentibus igitur ſtabiliter fundamentis Sacræ Religionis, quis jure poteſt laudabilem curioſitatem hominum redarguere, qui ſe non ſacrarum literarum arbitras, ſed veterum Hiſtoriographorum vindices potius haberi velint, dum venerandam antiquitatem undique abſque ulla ſacrarum literarum Authoritatis vel detractione, diminutionè, vel alteratione eruere ſtudent; itaque affirmat Reverendus Pater Cauſinus, nimis moroſum eſſe Coſmographiam, Aſtrologiam, Phyſicas experientias, ex ſacris quærere, quæ vivendo potius quam ſciendo vitam inſtituit, curioſitatem non alit: proinde Philoſophorum ſcita in fidei dogmata, conſcientiam ex ſcientia contra ipſius Eccleſiæ Placita faciendo, transferri debere omnino negat, at ſi quis effrenam multorum libertatem & temeritatem mihi objiciat, quæ in Sacræ Theologiæ ſcita liberius exſpaciari videntur, qui Authoritatem ſacrarum literarum tacitè effugiunt, aut minuunt, ſenſum evertant, aut ſuſpicione in authentica adurunt, riſui exponunt, contradictione, impoſſibilitate, falſitatis ſimilitudine, enervare conantur; ut facilius Atheiſmum aut Deiiſmum in Plebem incautam inducant, ut totum Chriſtianæ Religionis ordinem, tum totius Regiminis Politici cætum inde dependentes; quæ à Deo per Monarchas, Reges, Magiſtratus exercentur, diſſolverent, radicitus averruncarent, & pra-

vam

vam tum deteſtabilem Anarchiam & inde omnium rerum confuſionem in pulcherrimum hunc mundi ordinem inducerent: illis reſpondeo, me nunquam talibus patrocinaturum qui prava aliqua intentione correpti, Zyzaniam aliquam in terra Sacræ Sanctæ Eccleſiæ, cum puro ſemine ſpargere ambiunt. Sed tales intelligo qui nulla alia intentione affecti, quam ut veritatem Hiſtoricam, Aſtronomicam, Phyſicam, & Chemicam, aſſequantur, & ut in rebus dubiis certitudinem Reipublicæ literariæ neceſſariam prorſus adferant: itaque ut rectè ait Reverendus pater Nicolaus Cauſinus, non debere Theologos conſcientiam ex ſcientia facere, ſic ego Arbitror non debere Philoſophos ex articulis fidei ſcientias & Hiſtoriographorum ſcita metiri; ſed unicuique ſuum jus relinquendum eſſe; credendum enim eſt ut ait, Divinus Plato Filiis Dei, in rebus ad fidem ſpectantibus quamvis nullas attulerint rationes: Credendum igitur Hiſtoriographis fide Hiſtorica: credendum Theologis fide Catholica: ſicut fuerat nobis tradita in conſilio Niceno. Sed ut ad pleniorem cognitionem ſtupendi progreſſus obſervationum Aſtronomicarum uſque ad Moyſen redeam, ſciendum eſt Theologiam Gentilitiam (quæ ad Dei cognitionem ad extra ducebat) à terra initium ſumpſiſſe, fuerant enim filii illius ſæculi, oculatiſſimi, & ſeminarias omnium rerum ſcientias, in ſe in prima creatione & recenti artificis impreſſione acceperant, & proinde ex terræ cognitione, ad cæli cognitionem pervenientes, per verba, per Characteres, per traditiones & obſervationes magicas non Diabolicas (intelligo) tam mirabilia practicarent, imo & ea quæ boni Angeli virtute intellectus facere norunt, & talis etiam virtus conceſſa fuerat Divinis hominibus & ſenioribus de Populo Iſraël, Prophetis, Euangeliſtis, & Apoſtolis, ut ſupra dictum fuit: ſed dicat aliquis quare noluerit Deus hominibus aut filiis lucis, ita ſeſe manifeſtare ad extra: ſicut primævis? quare obſcurius dicta ſua ſcriptis mandari curaverat? Reſpondendus hanc quæſtionem me ſagaciorem requirere interpretem, ſed ſi cum Theologorum venia liceret aliquid proferre, dicerem veriſimile eſſe, ita factum fuiſſe, propter abuſum & converſionem primævorum hominum ad vitia, & converſio iſta peccatum fuit naturale, quo deflexerunt ad ingenium materiæ, quæ corruptibilis erat: nam poſtquam Deus hominem creaverat, ſummè bonum, rectum, perfectum, deinceps ita contigiſſe illis credere par eſt, ut ædibus factis & amuſſitata opera expolitis, in quas immigravit homo negligens, venit tempeſtas, quæ fregit tegulas, venit imber qui lavit parietes, putrefacta erant ligna, & opera fabri, ita vecordis illius hominis ignavia perierunt ædes totæ, ita homines primævos per ſe ſummè bonos

nos

nos & rectos, creatos reliquit, in manibus consilii illorum dimisit ingredi voluntates & vias suas, ut est 4. Actor. & in libero arbitrio constituit: præcipitati igitur fuerant homines ad illuvium illorum cum brutis, proinde illos in sensum reprobum tradidit Deus, ut facerent quæ indigna essent hominibus: lex igitur ista naturæ docuit ipsos terrestrem Astronomiam, & per illam cælestem, & per cælestem supercælestem, in terra enim cum sub oculis plantas tanto colorum decore, varietate odoris & saporis, cum summo naturæ commodo germinantes, & è terra alimentum attrahentes conspiciebant, aliquas stato & constituto tempore nunc pullulantes, jam silentes, alias singulis momentis, folia aut fructus exponentes, sed cum harum causas in rebus ipsis invenire non poterant, à terra ad cælum oculos elevarunt, & ubi plantas aliquas, contemporalem ortum cum quibusdam stellis fixis habentes observabant, sic plantarum istarum ortus & silentia stellis fixis tunc Cosmicè orientibus attribuebant. Ita Helleborus niger Mense Januario, etiam nive existente semel pro toto anno efflorescit: ita Leucois Mense Martio, sic violæ, ita arbor Amigdalus in principio Februarii, in fine Martii pruna & nucleata, Mense Aprili Pyra, Cydonia, Poma mense Majo, vitis Mense Junio & ita de similibus multis, quæ in Botanica versatis facilè expediuntur, & quia harum ortus, ortum & occasum stellarum fixarum, tunc temporis orientium concomitare videbantur, Plantarum istarum explicationem, seu ortum, implicationem, seu occasum, à similibus stellis fixis, tunc temporis orientibus, & occidentibus derivarunt, imo & apparet stellas istas Soli, quasi Regi illorum obviam ire, exultare, & quasi gaudio suscitatos, influxus & virtutes seminarias, plantis istis infundere & excitare; stellis istis fixis Analogos, & quod de potestate Periodi ortus & occasus Plantarum, ab ortu & occasu stellarum dependente observabant, non absimili ratione, vires & naturas mineralium & animalium etiam augendi, minuendi, conservandi, aut intereumdi ab iisdem statuebant, & sicut de Anniversariis plantis rationabantur: sic de Planetariis indicabant, & ex omnibus primo alimentum, diversum à visceribus terræ à plantis attractum examinabant: nempe amarum, salsum, sulphureum, acidum, insipidum, omnigenum, & in iis diversorum mineralium imitamina pro animalium nutritione, commoda fuisse animadvertebant, constare itidem animalia sicut & Plantas ex iis à quibus nutriebantur, & ita Plantas constare & nutriri ex Mineralibus, & ex Plantis ad animalia transferri, & cum quàm plurima mineralia ad vitam Plantarum fuisse necessaria judicabant, simili ratione etiam ex Plantarum numero, ad animalium usum, mul-

multis opus fuiſſe judicarunt: & ita diverſæ in animalibus facultates, à Plantis & Mineralibus procedentes excogitarunt: ſed cum multa à terra, ad Plantas, & ad animalium nutritionem tranſlata fuiſſe animadverterent; & à nutritione varias facultates, tam ad delectabilem ornatum quam ad neceſſitatem ſpectantes conſpicerent, denuo ad terræ viſcera redeunt, & ibi mineralium colores, quaſi Matres omnium aliorum colorum conſiderabant, unde tota ars pictoria, cruſtatoria & tinctoria, non ſolum materiam accipiebat, ſed & natura in animalibus, ut in lacte, & in ſanguine, avium plumis, papilionum alis, in vegetabilibus, ut roſis, Anemonibus, iridibus, ranunculis, infinitas varietatum ſpecies, tam exactè exprimit; ut aliunde deducere eſſet ſenſibus directè obluctari: quis enim non videt ex plumbo livido, albedinem inſignem ineſſe, rubedinem profundiſſimam in ejus minio, viriditatem & flavedinem in imperfecta calcitratione, nigredinem in uſtione, ceruleitatem in ejus Mercurio: ita de Mercurio vivo, de auro, argento, ære, & aliis metallis, ſed & idem de margaritis & lapidibus judicandum, cum & eadem gemmis, & lapidibus colores varios ſuppeditant: quid enim lapides & gemmæ dempto colore? quod vitra à Mineralibus tincta, hoc demonſtrant gemmæ artificiales, & quid vitrum niſi arena fuſa, & ſulphure ſplendido immalliabili diſperſa? & quid Margarita, niſi imperfectum & immalliabile metallum, & quid metallum, niſi malliabilis & fuſibilis Margarita? & in omnibus unde ſplendor, niſi à cæleſti fixo & permanente æthereo & cæleſti ſulphure: ad cælum igitur de uno aſcenderunt veteres Philoſophi & Theologi, Aſtronomorum diſcipuli, & ubi cæleſtes ignes in agmine, veluti acie ordinatos, radiis tanquam ſagittis, terreſtria ferire corpora, varias terreſtrium germinationes, occultationes, incrementa, & ſtatus in terræ viſceribus obſervabant, & tunc Deos fuiſſe finxerunt omnipotentes, tunc nomina illis impoſuerunt, à poſteriore, juxta vires quas in terreſtria exercent cogitata, vel ab aſpectu peculiari indita, quem in ſingulis geniturìs oſtenderent: proinde Saturnum moroſum & crudelem, Jovem amatorium, Martem trucem, Amatorium Venerem, attribuere, denique mundo ipſi Deum ſuum, & Genium quem Deorum inferiorum Principem Spiritum fuiſſe aſſerebant, & illum Pana vocarunt, & fiſtulam ei dederunt Septem circulis compactam, ad cujus ſonum Satyri & Panes alii, hoc eſt minores Dii omnes ſaltabant, in hac inferiori mundi regione, ſicut in ſuperiori mundo (quem Divus Auguſtinus campum veritatis vocabat) ubi Adraſteam Deam cum cimbalo & timpano ex pelle caprino compoſito Deos fingebant ſupremos, ad inferorum querelas audiendas & judicandas con-

convocantem. Et hæc Theologia mirabilis erat (ut videtur apud Proclum in institutionibus Platonicis) quæ Gentilium etiam Magiam peperit, & hujus Professores Deorum sacerdotes habiti sunt, & credebant rebus omnibus terrestribus vires inesse occultas, & cælo irradiatas, per virtutes disponentes, vel ab intelligentiis infusas, influentias enim cælestes potentiis naturalibus comites illos esse, qui in terris affectus mirabiles exhiberent, quorum causæ in cælo essent, credebant enim veteres Deos veritatem rerum per manifestas imagines explicare, solitos fuisse: & talis fuerat sapientia Moysi ab Ægyptiis tradita, quæ non fuere Dæmonum præstigia, ut hactenus dictum, sed stupenda artis magiæ ostenta, qualia fuerunt, ranas à lacubus deducere, virgas in dracones vertere, aquam fluminis in sanguinem mutare, Argentum vivum virtute lapidis Philosophorum in aurum transmutare, ita ut testante Diodoro Siculo, Romani sæpius bello devicti, non deficiente ære, novos milites contra Romanos, colligere credebantur, ob quam causam, provocati Romani tempore Diocletiani libros illorum transmutatorios Vulcano committere imperarunt, & illam artem sapientiam vocavit divus Augustinus Actor. Cap. 4. neque illam solam, sed omnem Ægyptiorum scientiam addidit Sanctus Martir, à quibus magia omnis ortum duxit, & illam artem si velit aliquis, quia in Historia Sacra non reperitur reprehendere, pari ratione & Arithmeticam, Geometriam & Physicam, & integram Philosophiam exterminare debet, conscientiam ex scientia faciendo, quia in sacris literis non deprehenduntur, & si ex Astronomiæ progressu, nata est Astrologia veterum, quæ etiam gentilium Theologiam peperit, certè mirabilia sua principia non ex satis & meris lucis naturæ seminariis primis hominibus infusis patefacta fuerunt, sed ex crebris plantarum & Mineralium inspectionibus, tum Astronomicorum observationibus, & si non inde quibus istorum studiorum tam vetustissimorum mirabilis successus attribui possit; nisi Ægyptiis merito dubitatur, illi enim causas rerum non ad cælestia tantum sydera, sed ad super etiam *cælestes intelligentias & mundum Archetypum referebant, de quibus cum non adhuc satis conveniebant, Mercurius Trismegistus dicitur lites illorum composuisse, de quo mira scribit Firmicus: Mercurius Ægyptius, ait ille, conscripserat viginti millia voluminum de variis substantiis & principiis & potestatum cælestium ordinibus, quæ aliæ atque aliæ traditæ fuerant, in quibus Astrologia & Theologia Ægyptiorum explicabantur, quas artes docuerat Esculapium & Emilium, quod ut plurimum authoritate confirmatur.* Hæc de libris illis Mercurialibus retulit Jamblichus, Mercurius inquit composuit libros centum de libris Empyreis, totidem de Æthereis, mille de cælestibus: conji-

cere

cere igitur hic datur, quam antiquissima fuerat Theologia Gentilium, sicut & Physicarum ex Antiquitate Mercurii ipsius ex primis Theologiæ Gentilitiæ Anthoribus, inter quos longè ante Mercurium de Diis suis non adhuc conveniebant. Unde patet Moysen data opera in initio Geneseos de essentia cæli Empyrei vel spatii infiniti & ejus incolis, tum etiam de incolis mundi cælestis, subticuisse & ad Historicos sui temporis (de illorum creatione & ordine, tum malorum lapsu) sicut erat Mercurius transmisisse: & si incolas mundi Empyrei intactos reliquerat, hoc non fuit nisi quod ad succinctam Judæorum Historiam sese accingere voluerat: proinde non erit dubitandum sacras literas nullam propemodum scientiam cæli Empyrei dedisse Theologis, sed reliquisse ab Historiis gentilium enarrandam, & hoc verisimile est, nam de defectu Historiarum Sacrarum, pro incolis mundi Empyrei aut cælestis, tota Theologia conqueritur, nam apud Sacros Historicos vix aliquid memorabile invenitur, nisi quæ succincta sunt, aut quæ articulos solum fidei respicere debent: Proinde Joannes de Lugo, qui ad examen & censuram doctrinæ Patricii Veneti delegatus fuerat, miratur unde veteres Philosophi sola naturæ luce, poterant aliquid de mundo Empyreo, aut cælesti, aut ejus incolis scivisse: nam quæ ante Theologi nostri de cælo Empyreo aut spatio infinito tum cælestis & finiti mundi incolis habebant, ea omnia ab Hierothreo Sancti Dionisii discipulo, qui Dionisius S. Pauli discipulus erat, qui & à pedibus Gamalielis insignis Philosophi educatus erat, qui forsan postquam totam Ægyptum percurrerat & Presbiteros consuluerit, didicerat, & Sancto Paulo communicaverat: fuit igitur Theologia veterum prorsus gentilitia, lucis naturæ filia, & per observationes Bothanicas, Chemicas, Astrologicas producta, & alia prorsus à nostra quæ sub fide, ex Euangelio nobis Divinitus revelata, & quam credere debemus, nulla allata ratione, nam in rebus Divinis credendum esse filiis Dei afferit Plato, etsi nullas adferant rationes, cujus Theologia quamvis nihil præterquam sapientiam humanam redoleat, tamen tam longo intervallo habebat omnia sua principia stabilitata, & à posteris sæpius reformata, ut non mirer Sanctum Augustinum de Platonicis loquentem dixisse, Platonicos paucis mutatis fuisse Christianos, sed non tantum Platonica Dogmata Sacris literis consona fuisse dicuntur, sed & omnes veteres gentiles, qui diu ante Platonis tempora scripsisse videntur: sub quorum numero illis multo antiquiores fuere Mercurius Trismegistus, Zoroaster Orphæus, Pytagoras, quibus successit Plato: tum recentiores ut fuerat Plotinus Jamblicus, tum ingeniosissimus Proclus, apud quem tota nostra fides Christiana Demonstrationibus

bus ſcientificis Euclideo more, tam bene atque in concilio Niceno (exceptâ Incarnatione) probatur. Sed qui velit perſpicacius rem cognoſcerc, Platone perlecto volvat & revolvat Divinas Procli inſtitutiones Theologicas, & ibi veterum Philoſophorum Theologiam, & Philoſophiam, in ipſo fonte è terra germinantem, & poſtea in cælum aſcendentem inveniet, & poſt ſæculorum calculum, è cælo in mentes hominum deſcendens. Proinde quis mirabitur Numevium Pitagoricum dicentem, Platonem nihil aliud fuiſſe, quàm Moyſen Atticè loquentē: quaſi ex ſcriptis Moſaicis quorum conſpiciendi copia nec Platoni nec alicui illius ſæculi Platonico forſan conceſſa fuit, doctrinam ſuam hauſiſſet: hic autem Moyſes erat Theologus & Propheta inquit: & hæc verba Numenii retulit Clemens Alexandrinus, & neque hoc tantum Pytagoricus ille Judæus, ſed etiam Chriſtianæ Theologiæ Coripheus, Clemens Alexandrinus, Cyrillus quoq; libris contra Julianum, & Theodoretus libris Græcarum paſſionum, idem comprobare annixi ſunt: & quamvis Platonis dogmata, ut volunt multi non ex Moyſis libris hauſta fuiſſe videantur, tamen non dubitatur, eandem doctrinam diu ante Platonis tempora inter gentiles & barbaros viguiſſe, & ad Platonem per Zoroaſtrum, Orpheum, Pitagoram, traductam fuiſſe: qui omnes in gentilitia doctrina fuerant imbuti: quod clarum eſt ex Strabonis Geographia, ſcribentis de Heliopoli, ubi oſtenditur ſacerdotum domus, & Platonis & Eudoxi habitacula, qui cum ſacerdotibus converſati ſunt annis tredecim, unde Myſtica ſua hauſit Plato: quæ non ſcriptis ſed voce duntaxat tradebat Diſcipulis, & hæc doctrina ab Ægyptiorum obſervationibus per Moyſen ad Hebreos, & rurſus ab illis & Ægyptiis ad Perſas & Chaldæos, unde ſapientia Jobi & Danielis. Abraamus nonne diu cum Zoroaſtro Gentile vixit? à quo ad Græcos per Orphæum tranſiit, qui teſtatur in Argonauticis ſe ad Ægyptios deſcendiſſe & ad Memphim uſque penetraſſe, Pitagoram etiam & Ægyptios vitaſſe, & ibi multa didiciſſe à Sanchideo Archipropheta Ægyptio, & Naſareo Aſſyrio, ſicut refert Alexander in libris ſententiarum Pithagoræ, & Hermolaus Pitagoricus ſcribit, Pitagoram multa didiciſſe in lege Moſaica, & hi omnes in Schola Mercurii Triſmegiſti Ægyptii educati fuerunt, & Plato in multis locis fatetur ſcientias à Gentilibus ad Græcos deductas fuiſſe, & talis fuit Ægyptia & Chaldaica Myſtica Philoſophia, ut erant Ægyptiorum Hierogliphica, ut fuerunt Zoroaſtri imagines Dei, cum accipitrino capite, ex quo Dii prodierant animi alati Hebræorum; Prophetarum Myſticarum typi, Salvatoris Parabolæ,

& Poë-

& Poëtarum Mysticæ fabulæ, præterea universa veterum Schola omnia abscondebat, partim diuturno silentio, partim per ænigmata Mathematica, partim per Symbola: atque Plato quæ ære atque obsequiis de veteri Hermetis Sapientia occultata fuere vix sibi obtinuit, ut aperirent, ne ea quæ multo prætio acquisiverant ignaris patefacerent, ut ipse multis in Epistolis fatetur: fuit igitur Platonis Philosophia non solum Gentilitia, sed etiam Ægyptia. Moyses enim à filia Pharaonis nutritus, in Schola Ægyptiorum educatus, omnia illorum secreta, & Magiam callebat, quæ coram Pharaone pręstabat, & talis fuit scientia prima nostro Parenti Adamo infusa, cum in statu innocentiæ erat (conformis illi quæ longo rerum usu & experientia, multorum annorum crebra observatione exculta inter Gentiles fuit) sed post lapsum maledictione superveniente, extincta fuit, & per consequens Adami filiis exclusa, tamen credi potest Seminarium aliquod istius scientiæ fuisse Adami filiis relictum, quod coluerunt Judæi usque ad captivitatem Babilonicam, ut videre erat in mirabili pectorali illo Aaronis, in lumine isto perpetuo, quod semper in altari lucebat, & cujus materia quanquam abscondita ad centum annos, in puteo tamen post reditum Gentis Judaicæ à Captivitate Babilonica, in eodem loco repertum fuerat, in consistentia liquoris cujusdem crassi, qui Soli expositus illico lucem effudit sicut prius, & hæc fuit scientia Dei ad extra, seu Mundi infiniti, de qua cum satis hactenus dictum fuit, ad ea quæ ampliorem textus explicationem desiderant properandum erit. Qui plura igitur de mansione, motu seu progressione causarum, tum de conversione causatarum, ad causas vel corporum ad incorpora per amorem magnum & summum illum Deum, vel Dæmonem, ut eum vocat in convivio Diotama Mulier, addiscere cupit, Platonem sæpius revolvat, & ibi Deorum mentales, intellectuales, & immutabiles ordines & progressiones & conversiones addiscet invenietque Platonem de Diis divinisque amoribus quatuor modis tractasse.

Primo Entheasticè, hoc est per afflatum Divini Numinis, sicut in Phędro.

Secundo Dialecticè, sicut in Sophista, ubi de Ente ipso & unius Hypostasi Dialecticè certans, demonstrat omnia entia ex sua causa & ab ea quod est primo ens, pendere, ipsum vero Ens, participem esse unitatis illius, quæ ex universis rebus est exempta: idem etiam facit in Parmenide & in Gorgia sicut in Symposio, de amoris ortu, progressu, unione, ibique sub Deorum omnium conversione & communione in virgulto Jovis uti fuerat

Porus abundantiæ Deus, repreſentans cauſam ſeu formam omnium rerum, & Penia Dea paupertatis ſeu indigentiæ, repreſentans cauſatum, ſeu primam materiam, ex quorum Deorum concubitu natus eſt amor, ſeu deſiderium, hoc eſt converſio ad incorporum, unde fit Elementorum Radicalium & concretorum uniculum, & ſic tota radicalium & ſeminalium ſeries dependet una ex alia, & omnia ex unitate, quaſi primo participato, & ad ultimos naturæ ordines per participantia deſcendit.

Tertio ſymbolicè & obſcurè ubi ineffabiles Deorum proprietates enuntiat, ut in Protagora & talis fuit Orphicus, & ille modus familiaris illis fuit, qui de diis fabulas ſcripſerunt.

Quarto à ſimilitudinibus, ad primarias in ipſis cauſis, rerum univerſarum cauſas inveſtigat, ſic in Timeo Geometricè & per ſimilitudines & imagines, in Politico itidem, & in aliis Dialogis identiter tractat, ubi etiam de quinque Elementorum formis agit, ubi ipſas rei adminiſtrandæ formas, rebus Divinis inſimulat, & ille modus Pytagoreus eſt: de hoc conſulatur tractatus, lectori nec injucundus nec inutilis, qui in Philoſophica mea Pyrotechnica reperitur, Capite de mutuatione Elementorum cum quinque corporibus Geometricis, per eaſdem ſimilitudines in fine hujus tractatus, inter animam & intellectum, Angelos & homines, lucem & umbras ſæpius digrediendi veritatem in propatulo collocavimus.

Nunc autem ut omnes ſpheræ entium ſeu Elementorum Radicalium effectiones, quæ ante hæc dicta ſunt, non ſolum præ oculis in tabula conſpiciamus, ſed etiam in mente ratas & certas teneamus propoſitiones οτι ſolum, quæ veritatem hujus doctrinæ, extra omnem dubitationis aleam, & more Euclideo demonſtrant, apponendæ erunt, & memoriâ tenendæ, quorum demonſtrationes pro commentariis ſunt reſervatæ, aut in Philoſophia mea Pyrothechnica, data opera ne opus in immenſum aſſurgat petendæ.

## *De primo Elemento Metaphyſico, nempe Ente creato.*

SÆpè apud Severinum mentio fit Elementorum Radicalium & vitalium & incorporeorum; ut lectori facile errandi, aut hærendi occaſio præberi poſſit; niſi Elementi Æquivocatio diſcutiatur: proinde ſciant, ut plurimum non intelligere Authorem per Elementa concreta, illa noſtra,

ſed

ſed illorum primas productivas continentes & diſtributivas cauſas, quas infinitas non eſſe affirmat, quamvis ab ipſo indeterminatas habeamus, talia enim reducit aliquando ad eſſentiam, vitam, actum, exiſtentiam, vires; quæ quidem ſunt facultates, in ſubjecto aliquo Metaphyſico inhærentes, quæ ab ipſo authore non exprimuntur, nec ad certum numerum reducuntur forſan data opera, ut obſcuritati ſtuderet, & ne ingratis quaſi perlas porcorum pedibus conculcandas objiceret, & ne alteri ſuorum ſtudiorum laudem, quam quæ ſagacitati debet tribueret; & quanquam Præceptorum ſuorum Platonicorum ſæpius mentionem faciat, tamen illorum in ſcholis principiorum, retentorum jam fatuitate quadam prępoſtera, quaſi ſepultorum, non explicat. Sed à lectore exculta & intellecta præſupponit, nam ubi plurima difficultatum enodatione indigent, tunc ad ſuum (qui poſſit capere capiat) nos dimittit. Proinde ut unuſquiſque poſſit capere, ex iiſdem authoribus è quibus doctrinam ſuam nobis compilavit author fundamenta & rudimenta, nempe principiorum Platonicorum, hic ſubjiciam, ut una fidelia duos parietes dealbare unuſquiſque poſſit. Primo medullam Platonicorum accipiet lector, deinde doctrinam & Philoſophiam veterum Philoſophorum, & demum Hippocratis & Chemicorum Philoſophiam, in tot ſectas diſperſam in unam colliget, ut deinceps ſupra vera & ſtabilia fundamenta, Medicina ut decet, exerceatur, & omnes in uno principio manentes, unuſquiſque alterum abſque difficultate intelligere poſſit: hoc igitur in loco ut apprimè commodo, Elementorum iſtorum radicalium numerum, ad ſeptenarium reduco, quæ erunt, *Ens, eſſentia, vita, intellectus, anima, natura,* & *materia*, & primò de Ente creato, ut primo elemento radicali agam, ſed cum Entis natura aliter hic tradatur, quam vulgo in ſcholis ſoleat, præcognita (quæ ex deſcriptionibus, diviſionibus, obſcuriorum locorum dilucidationibus, definitionibus, axiomatibus, Theoromatibus, propoſitionibus, demonſtrationibus, ad tractatum doctrinæ Entis poſitivæ intelligendum omitti non poſſunt) præponam, quæ certitudine Geometricà lectorem confidentem de qualibet re Phyſica extra ſenſum probabili reddere poſſunt; ne deinceps noſtro authori & chemicis, quod ſæpè multa ab illis dicantur, ſed pauca probata eſſe objiciatur: via autem tradendi hanc doctrinam per demonſtrationes triplex eſt, primò per definitiones eſſentiæ rei, quæ incerta eſt, longa, & incertarum æquivocationum plena, & magis in faſtu & ingenii acumine, quam in veritatis indagatione ſita.

Secun-

Secundo per demonſtrationem proprietatum eſſentialium rei.

Tertio per deductionem affectuum à cauſis, at his duobus demonſtrationum modis tota propoſitionum doctrina traditur, inchoando à deſcriptionibus Entis, & dicimus eſſe ſubtiliſſimum omnium quæ vel conceptus humani excogitare aut ſenſus repreſentare poſſunt, cum ſit rerum omnium primum, unde aliquid fit, nec niſi à poſteriori deſcribi poteſt.

*Definitio I.*

ENs eſt id quod eſt, ſive ſit rerum, ſive apparens, aut quod eſſentiam habet, & eſt genus generaliſſimum omnium, quæ intra ſe percipiuntur, nam ultra unam unitatem & unitates, quæ radices multo altiores & intrinſecæ ſunt; intellectus ſupra ſe nihil admittit quod mente concipi poſſit: tales naturæ ſunt unum, verum, bonum, quæ non diſtinguuntur niſi altereitate, aut origine, hoc eſt unum non eſt quid ex tribus, & tamen omne quod eſt Ens, eſt unum, verum, bonum, quæ ſunt vera Entia, & quæ attributa Divina appellantur, eſtque increatum nec ex ſe egrediens, aut creatum ex fine & infinita potentia, quaſi ex principiis ut intimioribus cauſis mixtione Metaphyſica compoſitis, & ita in effectum progrediens, & tunc eſſentia vocatur, quaſi ex vero Ente ita promanans, ut aliud quam prius fuerat concipiatur: aut Ens eſt plurium occultorum facultatum in unitate collectio, aut eſt effectus primus naturæ increatæ, & cauſa quæ producere poteſt effectum plurimarum cauſarum poſt ſe, aut ens eſt omne id quod agere poteſt aut pati.

*Definitio II.*

Unum eſt ens indiviſivum, & ſignificat ſubſtantiam ipſam indiviſam Entis, qua Ens eſt, & hoc ens quatenus eſt unum, eſt bonum & per hoc unum unumquodque unum nominatur.

*Definitio III.*

Unitates ſunt apparitiones originalis primi imparticipabilis.

*Definitio IV.*

Eſſentia eſt actus primus Entis, per quem Ens dicitur, ens in ſe manens, aut egrediens, ex ſe ut ſit principium genericum & ſpecificum producens univerſalitatem.

Defi-

*Definitio V.*

Principium ergo eſt unde principiata dependent, ſicut anima eſt principium corporis, & Mercurius eſt Elementorum principium, nempe incorporeorum corporum quæ dant eſſe corporeis, ſive ſint fixa ut ignis, ſive volatilia ut aër, & corporibus, nempe fixis, ſicut ſunt Sal & arena; & volatilibus, ut ſulphur & aqua.

*Definitio VI.*

Principium Entis eſt inſtans, in quo cenſemus rem ex cauſa progredi, ſicut eſt prima flamma ſulphuris ex re inflammabili.

*Definitio VII.*

Exiſtentia eſt principium individuificum (hoc eſt conſtituens individuum) & producens ſingularitatem.

*Definitio VIII.*

Cauſa eſt principium primum & omnium rerum creatarum cauſa Paradigmatica, conſtituens in ſe influxum neceſſarium, ad aliud principium, ſed ad principiatum ſibi ſimile producendum: & in tali productione quinque peculiares cauſæ requiruntur, nempe *exemplaris*, *Idealis, ſeu Archetypa, finalis, efficiens, formalis, materialis*; & finalis omnium cauſarum eſt cauſa, & prima in conceptione & ultima in exequutione, quando in opere finito extra operatur; & ſic cauſa finalis ſemper finem cum principio nectit, tranſiens enim à principio ad finem progreſſionem & emanationem facit, ut ſpatium finitum conſtituat, quo operi ſuo locum faciat: ad extra rediens autem à fine ad principium per converſionem, ſpatii infiniti ad intus, ut ſemper finitis infinita jungat, ut exemplaribus & originibus res conformes reddat, omnia in ſe requiſita ut finem ſuum acquirant, continens: ex aliis autem quatuor duæ ſunt internæ, nempe exemplaris & efficiens, una ut ſcientiam, alia, ut vires ſcientiæ, rei producendæ conformes ſubminiſtret, & ex internis exemplaris prima debet eſſe in ordine, quia præſupponit exemplatum ſubſequens; quod per illam ſcientiam quam efficiens ab exemplari accipere debet, produci debeat, ergo cauſa exemplaris efficienti tribuit, id quod finalis ante tribuerat; & efficiens ſecundùm cauſam iſtam exemplarem, producit ad extra, formam modificatam ad excipiendam, corporiſandam, & contegendam omnes ſui exemplati delineationes, in par-

tibus integrantibus & fluentibus in ſpatio finito: ſcilicet puncto, linea, ſuperficie & profundo, quæ materiam primam corpoream conſtituunt, & ſicut delineationes formæ ſunt incorporeæ, primo partibus ſpatii maximè naturæ ſuæ competentibus ſe ſe jungunt, ſcilicet partibus minimis ſpatii; quas atomos nominare licet, quæ per formæ duplicationem ſenſibiles ſe ſe reddunt, per fluxum linealem plurimorum atomorum, & deinceps ſuperficialem, & tandem per diverſas ſuperficiales connexiones, profunditatem corpoream acquirunt, ut Elementa Elementantia componant, V. Gratia materia & forma tabulæ depictæ demonſtrant, ſuper quo exemplo aut originali fuit delineata tabula: cauſa finalis eſt, ut formam ſpeciei præpoſitæ originali, conformem reddat: cauſa exemplaris eſt in intellectu operantis, ſive exemplari extra intellectum utatur, ſive non: ſic manus pictoris eſt efficiens, cauſæ formales ſunt exemplati delineationes, quas pictor delineat in tabula: materialis eſt fluor ſubtilis diverſorum colorum appropriatorum ut ſenſibilia reddant puncta, lineas & ſuperficies formales, quibus exemplatum exemplo, aut Typo quam ſimillimum, reddere poſſit, & ut uno verbo dicam, omnes cauſæ ſub Archetypo poſſunt, aliæ aliis eſſe cauſæ, cauſæ ſuperiores effectum magis & minus ſimilem ſuæ cauſæ producunt, quæ in ordine cauſarum poſſunt ſibi eſſe invicem cauſæ inferiorum uſque ad materiam, quæ nullam in ſe habet poteſtatem, præterquam mutualitiam, à ſuperioribus formis, ut materiam & locum ſuperioribus cauſis quibus ſe ſe veſtiunt, & ab hominum conſpectu abſcondunt, ſuppeditet; ut Mundi hujus harmoniam conſervet, & ſi quis cognitionem prædictarum cauſarum deſideret, adeat Caput 3. Partis 3. Pirotechnicæ, ibi inveniet, nec miretur aliquis cur hoc in loco materiam & formam ut cauſas externas ut ab exemplari Ideali & efficiente dependentes, & quæ immediatè cauſam finalem ſequuntur, externas vocem, cauſam enim Idealem & efficientem ſubſequuntur, quæ plus approximantur primæ eſſentiali cauſæ: cauſa autem exemplaris vocatur, Idæa per quam res Idæatæ conſiderantur.

*Definitio IX.*

Quemadmodum Entia creata conſiderantur habere ſua principia, nempe eſſentiam & exſiſtentiam, ſic etiam ut habent ſuas modificationes: modificatio Entis eſt quæ ex principiis fluit, quæ prima ſunt aut à primis deducta: prima ſunt tria, unum, verum, bonum, quæ immediatè promanant ab

ab essentia Entis primi, & increati, & non distinguuntur nisi per relationem Entis: quæ autem à prima modificatione derivantur, aut sunt unita, aut divisa: unita sunt quatuor, nempe ordo seu series, numerus, perfectio, & pulchritudo, quę cum Ente reciprocantur, omne enim Ens sicut est unum, verum, bonum, sic est ordinatum, numeratum, perfectum & pulchrum. Divisa etiam appellantur illa, quæ per accidens dicuntur, & vocantur differentiæ Entis: talia sunt potentia, simplicitas, compositio Entis, per se & per accidens, universaliter, & particulariter: ordo aut series Entis, nempe veri, boni, unius, aliter considerantur in Deo, aliter in rebus extra Deum, & omnes hæ res ipsi sunt posteriores, sive sint causa efficiens, aut exemplaris, aut finalis, quæ ab ipso proveniunt, & in ipso sunt: sic concipiamus res provenientes ab eo ut à causa efficiente, & sic vocantur Entia per participationem Entis, si concipiamus ut in exemplari secundum quas Deus produxit, appellari possunt veræ, vera enim vocatur imago Achillis, quæ ipsi Achilli est totaliter conformis: si res sese ad eum ut ad finem suum referunt, dicuntur bonæ, sed si unaquæque res æstimetur in se, dicetur in se una.

*Definitio X.*

Demonstratio est ratiocinatio promanans per delineationem præcedentium aut præmissorum ad fomandam conclusionem.

*Definitio XI.*

Finis omnium est unus, qui est Deus, omnium sublimissimus & supereminentissimus omnium quæ per conceptum humanum concipi queunt, continens vires & virtutes omnium quæ in hoc universo sunt.

*Definitio XII.*

Infinitum est virtus aut potentia inexhausta finis declarantis & explicantis distinctiones omnes generatrices & seriem infinitatis essentiæ & superessentiæ usque ad materiam primam.

*Definitio XIII.*

Materia est inexhaustæ potentiæ infinita collectio & limitatio.

*Definitio XIV.*

Vacuum est spatium quod admittit trinam dimensionem, aut generica naturæ non adhuc speciebus diffusa.

*Definitio XV.*

Omnis appetitus est proles sensus boni, sicut odium sensus mali.

*Divisio I.*

ENtia sunt increata ut unum, unitas & unitates, aut creata ut sunt incorpora, & talia sunt elementa radicalia, incorporea producentia corporea, qualia sunt spiritus & semina, & rursus corpora incorporea, qualia dici possunt accidentia essentialia, vel ultimi progressus qualitatum essentialium in corpus, quasi divisio intermedia ad progressus & emanationes rerum corporearum ex incorporeis manifestandas necessaria: & denique corpora incorporea ut sunt accidentia Categorica: per incorporea corpora, voco ea quæ immediatè ex incorporis egrediuntur, quasi magis ex incorporo quam incorporeo participantia, quorum proles sunt corporea, incorporea ut à causa ad effectus descendentia, per corporea incorporea intelliguntur ea quæ descendunt ad effectum & de corporea magis tenentia, & descensus à causa Methodum Syntheticam, Platoni, veteribus Philosophis & Chymicorum contemplationibus communem constituit, ascensus vero ad causam Aristoteli, Peripateticis, Sophistis & operariis chymicis familiarem reddidit, & Analytica dicitur; & tali in libris Meteorum, in Acroamaticis usus est Aristoteles, sed in hoc à Chymicis distinguitur, quod ille ex aliorum relatione falsas resolutiones mixti, pro fundamento veritatis constituit. Chymici vero ex ipsa inambulatione & ex resolutione sensibili, principia ut in natura conspiciuntur deducunt.

*Divisio II.*

Duo sunt Entis creati momenta, unum consideratur vel in actum exiens, quod essentiam vocamus, vel per quod Entia adhuc in suis causis sunt inclusa, sicut entia corporea in incorporis (parcat lector vocabulo incorporo) nempe sal & terra corpora in igne quasi in causa sua corporea incorporea contenta, & ut sulphur & aqua corpora in aëre ut in causa etiam corporea incorporea, & omnia Mercurio, hoc est fluori, & Mercurius in remotissima causa incorporea corporea, nempe Atomis & Atomi mediantibus aliis rationibus seminariis in incorporo.

Secundum momentum est quando concipimus ens aliquod existere in tempore & loco, & existentia dicitur: estque per quam res concipiuntur extra causas, sed tamen à causis dependentes & causis inhærentes.

*Consequentia I.*

EX his sequitur essentiam esse stabilem & internam, actiones producentem, priusquam mente concipi possint, & è contra existentiam esse instabilem, una interior est, ut intellectus & anima, altera corpori familiarior, & sicut existentia, & posterior essentia, sic etiam res corporeæ sunt posteriores incorporeis, spiritus animabus, anima intellectui, & sic de cæteris etiam dici potest, nempe quòd res sensibiles intelligibilium sint imagines.

## PROBLEMA.

*Omnia imperfecta à perfecto causam trahunt. Axiomata perpetuæ veritatis.*

1. NIhil in effectu est quod prius non fuerit in causa.
2. Omnis compositio præsupponit rem simplicem antecedentem.
3. Quanto causa est simplicior, tanto magis est prima, & eo magis plurium causarum causa.
4. Quod in genere Entis est primum omnium, est essentium reliquorum causa.
5. Causa causæ est causa causati, sicut Mercurius est causa ignis & aëris, sic etiam ignis causa est terræ & salis, causati per ignem, causam Elementi fixi salis & sulphuris volatilis, & aquæ causatæ per aërem causam Elementi volatilis.
6. Tot sunt causæ quot possunt fieri quæstiones propter quid.
7. Finis est omnium causarum causa.
8. Finalis causa prima est in conceptu & ultima in exequutione.
9. Qui ponit finem, ponit omnia requisita ad obtinendum finem.
10. Efficiens & finalis sunt sibi invicem causæ, sicut exercitium est causa sanitatis, & causa finalis exercitii est sanitas; & si efficiens causet finem, etiam debet causare formam, & forma materiam, ut ad finem suum perveniat.
11. Forma est actus efficientis.
12. Lineæ à circumferentiâ ductæ ad centrum, in centro sunt indivisibiles.

13. Res quæ per excellentiam inter priora ordinantur, eædem per defectum inter posteriora locantur. Verbi gratia Ens primo creatum quod per suam excellentiam inter priora Entia creata ordinatur, propter actum; idem propter defectum, hoc est passionem reducitur ad materiam quæ inter posteriora locatur.

14. Facultas delitescens in causa, est indeficientis multitudinis apparentis causa in effectu.

15. Essentia manet in fine, & progreditur, & materia in infinito & ab finito terminatur.

16. Progressus essentiæ denominationem à fine accipit.

17. Ea quæ non sunt mixta, priora debent esse mixtis, & totum debet esse prius suâ parte, & res quæ sunt in se, priores rebus quæ sunt in alio.

18. Incorruptibilia rebus corruptibilibus sunt priora.

19. Posito uno contrariorum in aliquo genere Entis, necessario ponitur aliud.

20. Omnes res bonum appetunt.

21. Omnis causa in quantum causa, est bona, est etenim productiva; quod autem productivum est, conservativum est; quod conservativum est æternum, verum & bonum est.

22. Propter quod unumquodque tale est, id ipsum magis tale est.

23. Imparticipabile est quod nihil supremum cognoscit & potestatem participandi inferioribus tribuit: participatum tradit participabili, quod ab imparticipabili acceperat, & ista est vis seminibus & aliis Creatis similia producendi à Deo in creatione tradita.

24. Omne quod habet dimensionem est divisibile, habens partes, & per consequens corporeum.

25. Omnis separatio unius est causa multitudinis.

26. Una res potest esse rerum diversarum causa, sub diversa consideratione, ut unum est causa separationis causarum secundarum, non in quantum unum, sed in quantum bonum, est enim bonum fæcundum, & in se manere non debet, sed esse sui diffusivum, & ista diffusio est separatio, & separatio est causa multiplicationis, multiplicatio est causa progressionis, aut progressus, & progressus est causa motus.

27. Ex nihilo nihil fit.

28. Vera principia non fiunt alia ex aliis, nec ex aliis principiis fiunt, sed ex iis omnia fieri oportet, & talia sunt Unum, Unitas & Unitates, seu Ideæ.

29. Sub-

29. Substantiæ magis & minus non recipiunt.

30. Omne producens producit sibi simile ante dissimile, & sibi magis simile quam adscitivum.

31. Rerum contrariarum causæ sunt contrariæ, rerum earundem eædem sunt causæ, & similium rerum similes sunt causæ.

32. Finis est ante finitum, & infinitum ante res infinitas.

33. Id quod ex se existere potest, & sine quo nihil existit, id necessario est primum, & principium, & principio nihil prius.

34. Ens est plurium facultatum unitas.

35. Omne quod terminat aut limitat aliud, per proprios terminos & limites terminat.

36. Quod mensurat & mensuratur de genere quantitatis est.

37. Quod latet in unitate manifestatur in multiplicatione.

38. Singula Entia sunt in quantum unum sunt.

39. Dum Ens desinit esse, unum desinit esse.

40. Infinito majus non datur.

41. Omnis integritas post se peculariores Hypostases habet.

42. Quod semper est, illud causa est illorum, quæ aliquando fiunt.

43. Omnia quæ ab alio moventur, progenies eorum sunt, quæ per se moventur, & quæ per se moventur progenies sunt æternorum.

44. Omnia quæ alia terminant, suis ea terminant terminis.

Novem propositiones de Ente quorum demonstrationes dependent ex præcognitis, & reservantur pro Commentario, aut remittuntur ad Philosophiam meam Pyrotechnicam, ubi dilucidè & more Euclidio demonstrantur.

*Propositio 1. Articuli 1. de Ente.*

Omnis multitudo quodamtenus est particeps unius.

*Propositio 2. Articuli de Ente.*

Omne bonum unitivum est eorum quæ ipsum participant, & omnis unio bonum, & ipsum bonum cum uno ipso idem.

*Propositio 3. Articuli de Ente.*

Omne productivum alterius, præstantius est natura producti.

*Propositio 4. Articuli de Ente.*

Omnia Entia proveniunt ab una causa prima.

Pro-

*Propositio 5. Articuli de Ente.*

Omnis causa ante causatum agit & post ipsum plurium est productivum.

*Propositio 6. Articuli de Ente.*

Omne imparticipabile producit à seipso participantia, & omnes participantes substantiæ in imparticipabiles existentias reducuntur.

*Propositio 7. Articuli de Ente.*

Omne imparticipabile qua imparticipabile est, hoc ab alia causa non substat, sed ipsum principium est, & causa participatorum omnium, atque ita principium omne in unaquaque serie ingenitum est.

*Propositio 8. Articuli de Ente.*

Omnes series universorum in imparticipabilem causam & principium referuntur; omnia vero imparticipabilia, ab uno dependent, omnium principio.

*Propositio 9. Articuli de Ente.*

Omne participans participato est inferius, & participatum imparticipabili.

## *Illustratio Obscuriorum Terminorum.*

Finis actionem & contemplationem causat, per quam omnia operantur & prima omnium causarum est causa, & omnes aliæ causæ, ab illa esse, causas habent, consistit in unitate, & unitatem repræsentat, & essentiam Divinam.

Infinitum plus est in re minimè terminata, aut quæ limitibus caret, proprium enim ejus est emanationes facere, quæ fiunt quatuor modis, virtute, naturâ, actione, & perseverãtia, & per has, omnis multitudo dici potest infinita, & quasi primi infiniti germen, & sicut indefessa & perpetua vis facultatis generatricis multitudini unitæ correspondet, sic finitum unitatem repræsentat, & ex his fit mixtum, & quod primo mixtum est, primo Ens est.

Locus ubi sunt vera Entia, est qui primis causis est repletus, interdum vocatur essentia, & interdum campus veritatis, interdum lumen intellectuale, alimentum Deorum, & intellectus cognitionis & essentiæ, ejus provisor.

Campus veritatis est, ubi explicatio aut demonstratio luminis intellectualis fit, & ibi habitat Dea Adrastea, quæ mensuras animabus vitæ innocentis determinat, aut res cui omnia obediunt. Orphæus appellat Deorum custo-

custodem, qui sumens claves æreas cum cymbalo & Tympano ex pelle hircino sonans tantum edit strepitum, ut omnes Dii se ad illum vertant.

Dum dicitur quod primum Ens sit ante numerum & gignere numerum Divinum, intelligitur de uno, quod non est numerus, sed initium numeri, & hic Divinus numerus gignit unitatem, aut verbum. Mira hic perspicitur veterum Philosophorum sagacitas: quomodo poterant luce naturæ addiscere aliquid de cælo Empyreo? Nam ipse Divus Augustinus Cap: 28. soliloquiorum explicat campum illorum veritatis, qui perfectè quadrat cum his ubi mentionem facit de luce antiquissima quæ ante omnem lucebat lucem; in montibus sanctis: æternitatis antiquæ, cui manifesta & aperta fuerant omnia antequam fuerant.

## De Ente Participante,

## *Et secundis Entibus aut imitaminibus Entium in genere.*

TAm est hoc nomen Ens generale, ut usque modò vix explicabile sit, nisi primo in suas species decidamus, & de qua loquamur explicemus, an de Ente increato, creato, aut mixto. Ens enim de illis tribus prædicatur, & idem est de Ente in Metaphysica, quod de verbo hoc conjunctivo, (&) inter alia verba sententias & locutiones in oratione vinciente: quid enim ex hoc verbo (&) in oratione intelligere possimus, nisi ex antecedente cum subsequente explicetur. Sicut dicere Joannem (&) nam usquequo per declarationem subsequentium, Joannem & Jacobum audiamus, nihil hoc (&) declarabit, & idem de Ente dici potest, nam nisi prius in species distinguas; non declarabis de quo Ente intelligas: sed sicut exempla claudicant, sic credendum erit, inter verbum conjunctivum (&) & Ens differentiam satis magnam esse: conjunctio enim (&) antecedentis conjunctionem cum sequente præsupponit. Verbum autem Ens, quatenus increatum & primum, in se solo omnium sequentium Entium virtutem continet, Ens enim primum & increatum nectit & unit ex se omnia creata, & mixta sibi inferiora; & ratione hujus unionis advenientis à principio imparticipabili, omnia præcedentia & ipsamet producta, ab hoc participabili Entis nomen assumunt, secundum Propositionem 6. præcognitorum hujus Capitis. Itaque primum Ens creatum continebit vires & potestates Trinitatis, & omnia Metaphysica principia, quæ sunt Hypostases & sustentacula omnium Physices principiorum; Principia Metaphysica

ſica voco illa Severiniana Elementa, in ſeptem ordines entium Radicalium contracta, quæ ſuppreſſa fuerunt à Schola Peripateticorum Ariſtotelis fraude, ut ſua in Divini Platonis Præceptoris & Platonicorum loco ſubſtitueret, quorum tamen apud venerabilem Antiquitatem tanta fuerit æſtimatio, ut omnia omnium penè Patrum ſcripta eorum teſtimoniis & laudibus ſit repleta, unde fit ut ipſemet Sanctus Auguſtinus tam egregia de iis teſtetur; quando profitetur paucis mutatis Platonicos Chriſtianos fieri, nec mirum, cum tota Platonis doctrina ex Brachmannis, Chaldæis, Ægyptiis, & ex ipſamet Zoroaſtri Schola, quæ extitit Abrahami tempore, hauſta fuerat, etenim longo tempore ſimul in Zur Chaldæorum vixerunt, qui ex Moyſi etiam Deo ita inſpirante, quandam Creationis Doctrinam, reliquerunt, quam etiam ab Ægyptiorum Presbyteris educatus didicerat, quæ omnia clare innoteſcunt ex vetuſtiſſimorum ſcriptorum fragmentis, quæ nobis injuria incredibili, & omnium Scholarum, præcipuè Theologiæ & Medicinæ detrimento, ablata ſunt; & particulariter Divini Hippocratis, ut videre eſt in libris ejus de Diæta & alibi, ubi nihil præterquam ſublimis & conformis antiquitati & veterum Philoſophorum ſcriptis, doctrina reperitur.

Quædam etiam ſunt Entia prima, quæ verè Entia vocantur, quæ ſunt Entia increata, quæ tempore non menſurantur, habent enim perpetuum eſſe, ſunt & erant, hoc enim verbum verum, non dicitur niſi de rebus æternis, quæ vera ſemper exiſtunt, nam id quod fuit & nunc non eſt ampliùs, aut quod eſt, & ampliùs futurum non eſt, non poteſt de vero Ente intelligi, ſed de exemplatis, & de exemplatorum imaginibus, & de imaginum imaginibus. Ita Entium quædam, ſunt vera magis Entia, quemadmodum ſunt increata, minus vera, qualia ſunt prima creata, & talis naturæ ſunt Entia radicalia aut Elementa radicalia aut vitalia authoris noſtri, quæ ſunt quaſi connexiones & lapides angulares, virtutes & vires utrique lateri angulum continenti communicantes, ſicut demonſtratur Prop. 47. primi Euclidii Elementorum, & adhuc minus vera, ſunt virtutes ſeminariæ productæ per multiplicationem uniuſcujuſque Entis radicalis cum prima Entium ſecundorum ſerie, ut reperitur in tabula Sphæræ Entium radicalium.

Agamus ergo primo de Ente increato, aut imparticipabili, & conſideremus increatum tanquam incorruptibile præcedere creatum, quod eſt corruptibile, ſecundum Axioma 18. Articul. de Ente; & hæc duo præcedunt corpora mixta, & ſunt multitudo, & per conſequens ab uno dependentia, quod eſt participatum, à ſuprema cauſa, ſecundum primam propoſitionem Articuli de Ente,

& om-

& omnes omnium rerum perfectiones, sunt in hoc uno, & omne quod ipsi est propinquius, est maximè perfectum, hoc unum erat in se, & intelligebat & consistebat in se, ab omni æternitate, & per propriam imaginationem, seipsum contemplabatur, & concipiebat & intelligebat, & cognoscebat, & quod à se concepit, per hanc imaginationem exprimit, dicit & producit in se, (quasi Palladem natam ex Cerebro Jovis) scilicet sapientiam Patris, & dictio illa producta intus stabiliter aut firmiter appellatur verbum Patris (sicut scriptum est Cap: 1. Joannis) Deus ergo Pater intelligebat & imaginabatur seipsum, & manebat in se, sicut res intellectæ in intelligentia, etiam Deus habet in se propriam imaginem, quæ & Verbum & Filius secundùm Sanctum Dionysium dicitur; etiam sequitur quod omnis natura Divina, Excellentia, Majestas & perfectio ejus, plenè contenta est in hoc unico verbo. Et quemadmodum in Patre omnes creaturæ continebantur, præconceptivè existente in prima causa, oportebat etiam, ut omne quod est in effectu primo, fuerit in ipso secundum axioma primum & quartum, & multa alia, & sicut prima & æterna generatio fuit generatio Filii in seipso permanentis, super hoc verbum & Filium omnia quæ concepta fuerant, in imaginatione Patris æterni producta sunt, etiam hoc verbum factum est, vis, fons, artifex Idæa & exemplar, omnium creatarum, etiam per hoc verbum septies prolatum, *omnia creata sunt, & sic testatur Sanctus Ioannes*, Cap. 1. quod omnia facta sunt, *per hoc verbum: Deus enim fecit omnia in sapientia, quæ est Filius, & quod nemo venit ad Patrem nisi per Filium*, & primum verbum Geneseos in principio explicatur secundùm Sanctum Thomam & alios pro *Verbo & Filio*, etiam dixit & facta sunt, nam ex Prolato Verbo & Filio glacies significata est, & emisso flatu, aquæ sunt divisæ, sicut habetur Psalmo 147. ita reprehendit mare, & illico desiccatum est, ut conduceret Populum Israëliticum, per abyssos suos, sicut per desertum, quemadmodum est Psal. 110. ita Christus verbum repressit ventum & mare, quæ ipsi continuo obediebant, sic testatur Sanctus Matthæus: videtur etiam quod antiqui Poëtæ in fabula Orphei intellexerunt, *hoc verbum quod ad se trahebat ligna, bruta & Saxa, hic est intellectus Domini* qui implebat totam terram, & qui est in omni genere rerum, sicut est libro Sapientiæ Cap: 12. ipse est in omni loco, in mari & in terra Syrac: 24. Deus per imaginem hujus æterni verbi, in omnibus existentis, per vim unitivam trahit & unit sibi omnes creaturas, secundùm propositionē secundam de Ente, sed ex omnibus iis creatis nullum tantum participat de verbo, nec tantum possunt participare quantum solus homo, nam per inspirationem hujus verbi vivit, & sicut ait Picus Mirandulanus, quod

homo naſcens accipit ab hoc verbo, omnium rerum ſemina generica, & germen omnium, quæ manifeſtè vivunt: nam quicquid exercere aggreditur, perficitur, & fert fructus in eo: ſi in ſenſibilitate & Brutalitate immergatur, fit beſtia, ſi in rationibus, fit animal cæleſte, ſi in intellectualibus, fit Angelus, & Filius Dei, & ſi ipſi conditio creaturam non ſufficiat, ad centrum ſuæ unitatis redit, & ſe Deo uniens ſpiritus, ut poſtea poſſit in profundo æternitatis Patris, qui eſt ſuper omnia, manere; & ſicut Galenus; omne quod reperitur in natura factum per actionem occultam, & abſconditam, ſpiritualiter perfectum in homine reperitur: ſed ipſemet Galenus, ſi melius in doctrina veterum fuiſſet imbutus, non tam multum cum Ariſtotele Præceptore ſuo dubitaſſet, de animæ immortalitate, ſed cognoviſſet verbum hoc æternum, quod eſt Idea omnium creatorum, & Archetypus operarius increati mundi, ut refert Sanctus Dionyſius: Deus enim inſpiravit in nobis vitalem ſpiritum, *ſicut eſt Sapientiæ 18. Capite: Spiritus Dei fortis me ſequitur, inquit Iob, & flatus omnipotentis mihi vitam reddit, 33. Capite. Item Iob Capite 7. memento Deus quod vita mea ſit ventus, quia ventus non eſt niſi flatus, æterni Patris*, ſimiliter dicit Job *: quamdiu eſt anima in me & flatus Dei in naribus meis*, & ita verbum eſt anima omnium viventium, & flatus omnis carnis in manu Dei eſt. *Iob Cap. 12.* & Chriſtus Cap. 10. apud Sanctum Matthæum *ait Apoſtolus, Spiritus Patris mei loquitur in vobis*; & ut eſt Jeremiæ, *ecce dabo verbum meum in ore veſtro, ſicut ignem & papulam, ſicut lignum ut comburatur. Propterea Sanctus Hieronymus ad Paulinum loquens, ait fortiſſimum eſſe præconem, qui fundatur in verbo Divino*, & David in *Pſal. 19. precatur Deum ſecundum verbum ſuum, ut ſapere faciat, ubi fatetur verba oris ejus, pluribus millionibus argenti & auri optabiliora eſſe.* Per verbum enim Dei oſtendit hominibus quæ ſit ejus meditatio, videns etiam quod ſit verbum imaginatio æterna, contemplans in ſe, quicquid in cælo & in terra continetur: & quicunque non cognoſcit hoc verbum, in naturalibus, indignus eſt ut nomen Medici accipiat: nam per hoc verbum, veteres & primi Medici αὐτοδίδακτοι ſecundum ſeptenarium inſtrumentum, contentum in rebus creatis, per ſolum Spiritus Sancti conductum, & luminis naturæ vim, virtutem uniuſcujuſcunque rei indagarunt, quod Galenus notavit libro 10. Epidemiorum Commentario ſecundo; & ſecundum dictum Fabii comparantis illos Rhetoribus, hi enim ſalubria quædam remedia & inſalubria videntes, ſub hac obſervatione artem ſuam acquiſiverunt, experientiam facientes per mortem, & pericula hominum, neſcientes quod verbum Æterni Patris eſſet, verum & certiſſimum medicinæ fundamentum, quod Salvator in diverſis locis confirmat, & per verbum & per factum,

ctum, ficut videtur in S. Matthæi cap. 8. *Sanavit leprosum per verbum, & puerum Centurionis*: ejecit spiritus immundos per verbum suum, sanabat Paralyticum Matthæi 9. dicit muto Ephata, id est, sis apertus, & loca remotissima aperta sunt, per hanc rationem, & per potentiam verbi æterni, per fidem, *plures Sancti & Divini homines, miracula fecerunt, sicut libro primo Regum*, cap. 7. farina cadi non consumebatur, & oleum in ampulla nunquam divastabatur, per verbum Dei prolatum, per Heliam: & in eodem loco, *resuscitabat à mortuis filium viduæ* ter super eum inclinando, ubi mulier ait *recognosco verbum oris ejus esse verum*: sic Elisæus per hoc verbum amaritudinem aquarum sustulit, per salem qui Symbolum est verbi æterni: similiter maledixit pueris, qui ipsum deridebant & in instanti quadraginta duo ab ursis devorati sunt, Libro 2. Regum Capite 2. in verbo ergo Medicinæ fundamentum est, & per hoc verbum Medicus multa efficere potest, quorum species impossibiles videntur. Medicus ergo observare & in corde imprimere debet, per quam rationem Christus, verbum, ex Patre Genitus ab omni æternitate ipsi concentratus fuerat, per æternam imaginationem Dei Patris, seipsum in seipso intelligentis; nam per sui scientiam genuit in se conceptum quendam, qui filius dicitur, & Pater & Filius, se invicem cognoscentes producunt & respirant, quendam amorem, qui spiritus Sanctus appellatur, sicut ait Sanctus Thomas; processio & emanatio in rebus Divinis efficit se secundum actionem emanantem & non egredientem extra: sic per quandam inspirationem Pater & Filius producunt spiritum Sanctum. Sic etiam generatio Filii concipi debet, secundum aliquem modum diffusivum, sicuti videmus splendorem à lumine effluentem; sed progressio spiritus Sancti se facit per modum voluntatis; Pater enim & Filius respirant, sed voluntas est per quam respirant, eodem modo, sicut Pater generat, sed per intellectum, fit generatio ista; & diffusio horum duorum est interior, substantialis, Hypostatica, indefessa, perfecta. Cum ergo voluntas est facultas per quam respirant, & voluntas propriè concepta in Patre, sit quasi Personarum unio, proculdubio hi tres per hanc unionem unum fiunt, sed distincti ratione officiorum manent, illa enim voluntas concepta, & est unitiva, & hoc velle excitat amorem, aut desiderium: nam hoc nomen amor, derivatur à verbo Græcis ἐρῶ necto & copulo, principium enim est amoris unire: & certè amor non est nisi virtus quædam unitiva, ligare enim & jungere est ejus genus; sic principium & origo amoris plus est in re amata quam in amante, amans enim quasi pauper & egens, desiderat effluentiis

tiis & abundantiis quas ante in principiis suis habuit, eodem pacto quo puer principium generationis, à Patre trahit, sic amans, copulatus est rebus amatis, & cum nihil sit in Patre quod non dat Filio, voluntas Filii huic aspectui correspondere debet, amor enim non fit simplici appetitu, sed appetitu cum voluntate, appetitu ut materia, voluntate ut forma, unio enim non facit unionem unius Patris, sed duarum extremitatum simul; & quoniam majus sit unire quam uniri, unio est primum quoddam principium repræsentans Patrem, sic fit quod forma habere debet voluntatem revelantem hunc appetitum. Sed omnia hæc ita sunt intertexta in diversis locis hujus operis, ut hîc nihil agere debeam, sed si quis originem velit inquirere, legat convivium Platonis Marcilii Ficini & librum amoris Leonis Hebræi; aliquo modo igitur jam explicatis per præcognitorum doctrinam divisionibus, & expressionibus Entis increati, aut imparticipabilis creati, aut participati seu participantis, & mixti, tandem ad inferiores explicationes descendam, dicens generaliter quod Ens est quicquid existit, aut existere potest, aut est omne quod agere potest aut pati, & hæc actio est interior Enti, passio autem exterior, saltem primo Enti creato, aut participato: & sicut hoc Ens appellari potest, materia prima Metaphysica; sic ultimum in ordine & serie Entium radicalium vocatur materia prima Physica, & sicut verbum (&) est nexus verborum & nominum, sic Ens est nexus omnium formarum, & radix ex qua uniuscujusque rei forma nascitur, excepto uno, unitate & unitatibus increatis, quæ sunt interiores & magis simplices radices quam Ens, secundum tertium Axioma hujus Artic. aut Ens non est aliud quam plurium facultatum unitas, pro cujus unitatis uno, Ens habet facultatem, ut sint plura, sed pluritates facultatum absconditæ, & non separatæ, sunt aut manifestatæ in uno, sed magis distinctæ, & manifestatæ in unitate. Aut Ens dicitur quicquid agere aut pati potest; & sic Ens fert secum actum & potentiam: nam hoc verbum potest, denotat potentiam, & omnis potentia denotat actionem, & omnis actio exigit vires aptas & natas: hunc actum comitari, & vires illæ non sunt nisi quædam extensio Entis, sicut actio est extensio virium, & actio illa posita extra Entia, nominatur essentia, sic ens & essentia non diversificantur, per originem, sed per ordinem, Ens enim præcedit, & actio sequitur, & illa actio modificata, & determinata essentia est, & qui dicit unum in Entibus increatis, non dicit nisi unum & idem, sed in Entibus creatis præcipuè in Entibus secundis aut rebus sensibilibus

secus

secus fit, nam inter res sensibiles multæ sunt, quæ sunt accidentia: idcirco quidquid comprehenditur sub Entibus creatis, non est nisi unum Entium Radicalium, & germina & Embryones sunt producentes Entia falsa, quæ tam vera quam falsa sub nomine substantiæ comprehenduntur, sed non omnes substantiæ, sunt vera Entia; nam res sensibiles, corporeæ & corruptibiles, privantur hac dignitate, & à veris Entibus sunt abstractæ, & positæ inter vera Entia, & nihil: nam verum Ens est id quod est vero conforme, sed de vero dici non potest, quod fuit vel quod erit, sed quod semper est, quod de rebus sensibilibus dici nequit: de quibus falsum est dicere quod sint antequam sint extractæ à potentia subjecti sui, hoc est quæ post progressiones è potentia in actum considerantur; ab Orphæo Dies appellantur, sicut reditus nox vocatur, & secundum Hippocratem lumen & tenebræ vocantur: & sic potest dici de omni Ente quod est in alio, & non in seipso: sed de rebus insensibilibus totum est contrarium, per Axioma 19. hujus Articuli, & in istis Entibus quæ Aristoteles vocat substantias, nempe forma, materia, & compositio; non est unum, quod non est æquivocum substantiæ, unumquodque enim eorum est substantia per diversas rationes. Compositum enim corpus vocatur, forma autem non; materia autem vel non est corpus, aut est mixtio, inter corpus & non corpus, & si non corpus, non habet eandem definitionem, quam forma, materia enim præsupponitur, sustentans formam, & forma juxta Aristotelem, divaricatis cruribus super materiam insidens, quasi equo decursorio. Et si dicas quod materia sit medium inter corpus & non corpus, adhuc materia non erit ejusdem definitionis cum forma, quia forma simpliciter non est corpus: si ergo illa tria non ponantur sub eodem genere univoco substantiæ, necesse est ut ponantur sub æquivoco, qui infamis error est in Philosophia, & sequeretur quod substantia, contra dictum ipsiusmet Aristotelis & Philosophiæ axiomata, reciperet magis & minus, id est esset magis & minus substantia; & contra id quod dictum 29. Axiomate Articulo 1. nam tunc mixtum magis esset substantia, quam materia, quia illud accidentia sustentat, & materia esset minus substantia, quia nihil sustentat nisi formam. Sed forma esset omnium minime substantia; quia non est corpus & in nullo alio subsistit, ex quibus concludendum est non esse veras substantias, sicut quæ nihil habent de materia, & in quibus omne quod habent in se & non in alio habent. Illa tria igitur non sunt veræ substantiæ, nam materia quæ est æterna, secundum ejus doctrinam, debet esse vera sub-

ſubſtantia, & forma, quæ it & redit, ſine detrimento materiæ, debet eſſe accidens, compoſitum fit una ſubſtantia, & eſſet factum à ſubſtantia & accidente, quod eſt abſurdum: hæc enim doctrina Ariſtotelis de natura ſubſtantiæ, ſuper quam tota Phyſica ejus fundatur, nimis falſa & periculoſa eſt propter falſa principia, quæ tribuit iis qui Medicinæ incumbere debent, & præcipuè quia Doctrinæ Hippocratis è Diametro, & reſolutioni corporum mixtorum, quæ per chemiam docetur, ſe ſe opponit. Inquirenda ergo eſt natura verarum ſubſtantiarum, quæ tales ſunt quæ materia non indigent, ſed enim ibi eſt ubi omne quod eſt in ſe eſt. Nam in hoc Mundo ubi materia ſuſtentat formam, & compoſitum ſuſtentat accidentia, cauſæ ſunt, quod nulla res quæ eſt in hoc Mundo ſit verum ens, nec vera ſubſtantia: neceſſario ergo procedendum erit per rationes omnino contrarias, affirmando, quod ubi non eſt ulla materia ſuſtentans formam, nec accidens ſtabiliens compoſitum; ubi ſunt vera Entia, poſito enim uno in natura contrariorum, oportet neceſſario, ut aliud ſequatur, *per Axioma* 19. *Articuli de Ente*: tantum ergo abeſt ut ſubſtantia Ariſtotelis eſſet verum & primum Ens, ut ne quidem ubi ſunt vera Entia, ibi ſit ſubſtantia ſubſtituta formis, aut accidentibus, ſed ubi nulla eſt materia, cum non eget vera ſubſtantia ſubjecto, ſed vivit in æternitate, per quandam vitam, maximè perfectam & ſufficientem, in primo Ente, in prima Eſſentia, ubi omnis materia eſt forma, & ibi eſt Idæa alterius materiæ, & ubi primum Ens, & prima eſſentia, ſunt locata in unitate, regnando per mediationem unitatum: & ſic oportet quod ita adveniant, ad evitandum vacuum, in ordine verorum Entium, aut deſcenſum unius cauſæ ab alia; nam omnis natura producens ſibi ſimile ante diſſimile producere debet, per propoſitionem tertiam, Articuli 1. de Ente; ſic fit ut omnis unitas producat numerum ſibi maximè ſimilem, ante diſſimilem: cæterum nullum magis ſimile dari poteſt, unitati, quam unitates, res enim quæ occultæ & abſconditæ ſunt, in unitate producente, eædem manifeſtantur in effectu, per axioma 14. præcognitorum, quod in unitate numerorum patet. Unitas enim continet primo & veriſimiliter, omnes effectus numeri, qui egrediuntur, qui alias vires & proprietates numero tribuunt, quæ ex illis egrediuntur, ſic multitudo egrediens ex unitate, oſtendit ea quæ ex illis egrediuntur, quæ indiſtincta erant in ea, ſed diſtincta in multiplicitate: certum ergo eſt, quod cum unum ſit principium omnium ſubſtantiarum, & ex quo omnes ſubſtantiæ egrediuntur, oportet quod unum produxerit multitudinem unitam,

unitam, quasi numerum, qui est plus familiaris & unita, sicut sunt omnes unitates; sic omnes numeri materiales, producunt multitudinem materialem. & numeri naturales producunt naturalem, & numeri animæ, producunt multitudinem animarum, & intellectualis numerus, multitudinem intellectus, & numerus vitalis multitudinem vitalem,& numerus omnis essentialis, multitudinem essentialem, sic etiam similem sibi, sicut credere par est: igitur ex potiore parte unum producere debet multitudinem juxta Propos. 1. Artic. de Ente, & ista multitudo fuit uniformis facta, per hoc quia omnis multitudinis numerus, fuerat unitas, & sic unitates factæ sunt persimiles uni. Unum ergo produxit ante Entia, quæ sunt ipsi dissimilia, unitates quæ ipsi sunt persimiles, & inter alia unum quod ipsi maximè est simile, ex quibus Entia progrediuntur, & sensus dependent: & unitas ista & unitates, vocantur per Socratem finis, & infinitum, productum per hoc unum, nempe per veram & imparticipabilem causam, omnium Entium, producentem & convertentem in se omnes res; quam Socrates appellat etiam in Republica Platonis Bonum, & in Parmenide Platonis appellatur, solum, unum: & in diversis aliis locis, vocatur causa circa quam omnes res se vertunt: & quod nominatur causa pulchritudinis, Socrates in Philebo Platonis, nominat causam fundatricem universi; ab hac enim causa, omnes aliæ causæ facultates habent, ut sint; & sæpe vocatur illa causa fons bonitatis, aut Regnum Entium, aut unitatis, aut bonitas procreativa veritatis, supra omnes causas; & principia quæ ab iis principiis fluunt, à veteribus Philosophis & præcipuè à Zoroastro, vocabantur dualitas: *Nam dicit ampliata est monas, quæ duo generat, duitas enim apud hanc sedet, & intellectualibus fulget Sectionibus*: & Plato faciebat duo principia, post unum; & Socrates in Philebo dicit, quod Deus sit fundator & sustentator finis & infinitæ potentię, & per horum duorum administrationem, producit omnia Entia: sequitur ergo quod omnia posteriora huic erunt, & à fine, & infinito proveniant, & quod finitum vel infinitum sit ante Entia: progressus enim rerum Divinarum, initium sumit, non à rebus subordinatis, aut quæ sunt in alio, sed ab iis quæ sunt à seipsis: & sicut multitudo participat unum, per primam Propositionem Arti. de Ente, sic etiam finitum & infinitum, tanquam duo Entium principia, sunt ante communionem & commixtionem cum Entibus; & per ipsa, omnes multitudines, quæ ipsa sequuntur, sunt causatæ. Oportet enim ut finis (propter similitudinem rerum egredientium ex ipsomet uno) sit ante finitum,

& ipsum infinitum, sit ante res quæ sunt infinitæ, secundum axioma 32. Artic. de Ente, est ergo aliquid quod unum est, ante Ens, & quod sustentat & efficit Ens, & est causa Entis, & secundum quod inter omnes oppositiones generis Divini, illa quæ maximè est excellens ad finem refertur, tanquam præcedens, & ea quæ minus est excellens, refertur ad infinitum, & duorum istorum principiorum, tertium provenit, quod est ens. Nam ætas quæ perpetuitas sæculi dici potest, aut temporis æternitas, quam Plotinus definit, quod sit vita infinita, ab hoc fine & ab hoc infinito participata. Nam in quantum ævum est mensura facultatis, nunquam in actione sua fallentis, in ea participans est infinitatis, sed in quantum intellectus est uniformis & integer, continens mensuras Paradigmaticas aut exemplares, rerum faciendarum, demonstrando res per plurimorum exemplorum congeriem, finis ipsius est Soboles; sed in quantum hoc ævum, omnia ab æternitate deducit, viam æternitatis demonstrat. Eodem pacto in rebus naturalibus, res quæ per formam est, similis fini erit, & quæ per materiam infinitati, juxta axioma 15. Artic. 1. sic etiam habebis pro certo quod omnis multitudo secundum suam naturam sit infinita & soboles primi infiniti. Idem dici potest de anima, per quam mensuratur via, per aliquam periodum, & reditum temporis in statum in quo erat ante, & sic terminum adfert in suum motum, & ad causam finalem reducitur ad unum infinitum. Non ergo absque ratione dixit Socrates quod omnia Entia originem à fine & infinito sumebant, & duo illa principia, directè proveniunt, ab ipso Deo, qui est primum unum, nam quod accumulat, cōgit, perficit finitum, est infinitum, & ita demonstrant, per omnia Entia, & hoc unum est illud, quod ante dualitatem & numerum binarium est: & unitas & unio omnium Entium fluunt, ab hoc uno primo: sed divisio, aut separatio duorum istorum Elementorum, scilicet finiti & infiniti, generatæ sunt à primis istis causis, & se ad id ineffabile principium referunt. Satis ergo mihi videtur explicatum, quæ sint hæc duo principia Entium, quæ immediatè promanant ex uno, & hæc juxta regulas Philosophiæ Platonis: sed nunc determinandum est de iis quæ spectant ad duo ista Elementa, scilicet de finito & infinito, & ratiocinandum erit sicut in Physica, quod quemadmodum combinationes Elementorum concretorum, componunt mixta Physica, sic in compositione Metaphysica, finitum & infinitum componunt Ens, quod est compositum Metaphysicum; si enim finitum sit ipse finis entium, etiam infinitum esse debet, entium infinitas, & Entia talia sunt, quæ substituunt,

ſtituunt, & ab illis duobus ſunt alia compoſita, & ſunt mixta; & omnia mixta ſecundum Socratem eſſe debent, ſecundum veram naturam mixtorum, ſcilicet pulchra, vera & ſymmetrica. Deforme enim nunquam exprimere poteſt veram mixtorum rationem, cùm ſit cauſa peccati & deſiderii inordinati, amoris plurium rerum, tendentium ad ejus compoſitionem; & veritas nunquam niſi quę vera ſunt ad mixti naturam concurrere ſinit, imagines mixti ſemper removens, nempe ſymmetriam, quia ſine ea non poſſet eſſe vera communio Elementorum. Symmetria ergo eſt cauſa quòd mixta aut Entia ſint unum, veritas ut mixta ſint vera Entia, pulchritudo ut mixta ſint ordinata aut regulata.

## Finis Doctrinæ Poſitivæ Entis.

### *ARTICULUS II.*

### De Eſſentiâ, ſecundo Elemento Radicali, præcognita.

*Definitio I.*

UNum eſt quoddam tranſcendens, quod in nullis Categoriis ponitur: Enti enim participatur.

*Definitio II.*

Veritas eſt conformitas, & accommodatio rei cum intellectu.

*Definitio III.*

Bonum eſt quod omnia appetunt, unum, bonum eſt per eſſentiam, quale eſt Deus; alterum per participationem, quales ſunt creaturæ.

*Definitio IV.*

Ordo eſt modificatio Entis per quam Ens intelligitur ſine confuſione eſſe.

*Definitio V.*

Pulchritudo eſt modificatio Entis, qua res intelligitur ordinata.

*Definitio VI.*

Idea eſt exemplum æternum & immutabile rerum quæ ſecundùm naturam ſunt.

*Definitio VII.*

Infinitum eſt quod nullo pacto menſurari poteſt.

*Definitio VIII.*

Finitum eſt quod per menſuram à capacitate noſtra accommodatam, determinari poteſt.

*Definitio IX.*

Principium eſt id à quo principiatum dependet.

*Definitio X.*

Actio eſt extenſio virium.

*Definitio XI.*

Eſſentia eſt centrum Entis, quaſi pars Entis ſtabiliter permanens, & quæ principiis ſuis intexitur.

*Definitio XII.*

Primum Entium dicitur id quod mixtum eſt ex primis principiis, quod eſſentiam vocamus.

*Definitio XIII.*

Actio eſt virium eſſentiæ extenſio non ſolùm in uno; ſed in omnibus qualiumcunque entium ordinibus.

*Diviſio I.*

Unum eſt continuitate, & unum aggregatione.

*Diviſio II.*

Conceptio aut eſt Archetypa aut Ectypa: Archetypa eſt quædam proprietas Dei per quam Deus ſeipſum in ſe cognoſcit; & per eſſentiam ſuam omnia extra ſe.

*Subdiviſio I.*

Est autem Archetypa quæ in mente Divina eſt, Ectypa ut eſt in natura.

*Subdivisio II.*

Consistentia talis est uni, qualis essentia Enti ; & est aut obliqua aut recta. Obliqua est per quam Deus se cognoscit , & per se tanquam unum verum & bonum : rectum est id per quod Deus omnia extra se , in essentia sua cognoscit tanquam in Exemplari , aut in speculo , res quæ distinctæ sunt , & simul extra se : cognoscens enim in causa cognoscit omnia illa , quæ ab eo sunt , aut quæ fieri nequeunt. Conceptio Ectypa est illa , qua mediante , creaturæ intelligentes concipiunt res : & hæc Angelis est & hominibus propria. Conceptio Angelica est aut circularis , in qua Angelus se, aut recta, per quam alia, nempe creatorem & creaturas, agnoscit.

Conceptio humana aut veras res extra intellectum repræsentans , aut falsas , quando non concordat rebus à concipiente conceptis ; sicut dum Angelum sub forma fluminis , aut Deum sub forma senis concipimus. Bonitas est modificatio respectiva Entis , per quam , Ens voluntati creatoris aut creaturæ convenit, & propter hoc desiderabilis.

*Explicatio I.*

Sicut essentia dat esse universale rei , quæ pluribus attribui possit ; sic existentia, quæ Entis est postremus modus , per quam res est extra causas , facit esse particulare, & tale cujus essentia vel digito monstrari potest.

*Explicatio II.*

Quemadmodum existentia est essentiæ proportionata , sic duratio existentiæ ; uti enim existentia essentiam , sic duratio essentiam præsupponit.

*Explicatio III.*

Essentia dicitur tot modis quot Ens.

*Explicatio IV.*

Vesta est facultas rebus per illuminationem fœcunditatem tribuens : aut est talis facultas , quæ essentiam conservat ; & actus ejus talis est , quæ propter permanentiam & stabilitatem quam in se habet , causis primis est conjuncta ; & inter concreta Elementa igni præsidet.

## *Axiomata.*

1. POtest esse essentia sine existentia, existentia non sine essentia.
2. Modificatio Existentiæ, Essentiæ modificationem sequitur.
3. Modificatio potentiæ, Entis modificationem sequitur.
4. Actiones particularium non sunt sc. suppositorum.
5. Unum multitudinis est mensura.
6. Veritas in intellectu Divino est Archetypa, in rebus naturalibus Ectypa, in artificialibus respectu intellectus humani est Archetypa, respectu rerum per artem factarum, Ectypa.
7. Nullum est verum ens sine ordine.
8. Universale virtualiter in se & potentiâ omnia particularia continet.
9. Universale est in particulari non actu sed potentia.
10. Prima aliquo modo esse possunt sine secundis, non secunda sine primis.
11. Nihil est in re aliqua quod primo non fuit actu in suis principiis.
12. Ens simplex compositum, præcedit, & quando concipitur Ens simplex extensum, inde quantitas primo convenit scilicet extensio Entis, & ista simplex extensio portio materiæ corporeæ appellatur.
13. Omnis materia in mundo incorporeo est formalis, sed in corporeo ipsa forma fit materialis.
14. Nihil generat extra se, quod ante non in se generaverat.
15. Compositum mutationi est obnoxium: quod autem mutationi subjicitur, instabile est & non permanens.
16. Ens per potentiam est in uno antequam actu in se.
17. Nihil ex se producit, nisi producens & productum actu sit in utroque: nihil enim agit nec producit, nec patitur, nec producitur, nisi sit in actu: sic homo actualiter est in semine, nempe actu seminario, qui actualiter hominem producit extra semen, & non per potentiam (ut vult Aristoteles) quæ nec producit nec agit aliquid; nihil enim agit nisi quod agere potest: & hæc potentia non ab actu & essentia provenit: & essentia uniuscujusque rei est existentia in actu, continens vires & actiones, provenientes ab essentia: & omne quod est, & omne id quod existentia est, per actum & vires Entis est, & ista omnia ex essentia firma & stabili proveniunt, & sunt in ea quasi extensiones ejusdem, & internæ actionis præparationis, sicut actio est expulsio virium ad extra, ad sui operis completionem: illa actio etiam appellatur, actus per quem unumquodque producitur, mediantibus viribus, ita etiam illa quæ per

actum seminarium erant in essentia seminis: potentia ergo nullum actum habet, sed respectum duntaxat actus futuri, per quem res ex semine exire & actum hnnc extra semen habere debet. Est ergo hæc potentia rejicienda; aut si admittatur, erit per respectum: ergo quidquid est in semine, egreditur per actum seminarium, qui in semine prius erat, & actum formalem suæ speciei, extra semen accipit, & actus iste non est ex materia productus, (ut Aristoteles ait) nec in primam nec in secundam introductus, sed dum in egressu suo sese format, alimentum suum trahit, quo vivat oportet, scilicet alimentum aut humiditatem, instar salis æterni, quem in propriam substantiam suam mutat. Omnia ergo more quodam seminario, sunt in semine, per actum seminarium, & postea post actum formalem egrediuntur. Sed omnia hæc ita interius sunt unita; ut distincta & separata prodeant, ad extra; & è contra, ita sunt distincta ad extra, ut appareant unita ad intra, & omnia hæc in uno & eodem sunt actu, & si in uno sint actu, simul omnia miscentur, & unum fit in alio, & omne in omni, & omne in uno, & multa simul nempe actu seminario.

18. Omnia entia & essentiæ facultates persimiles habent, ens enim essentiam à fine, facultatem ab infinito accipit.

19. Id quod Enti approximatur, aut maximè simile est uni, id in similitudinem sese abscondit.

20. Si omne Ens sit mixtum, id quod est Ens per se, erit essentia.

21. Quod majus se non habet, est omnium maximum, & è contra, quod minus non habet, minimum est, & ipsum indivisibile est & atomus.

22. Omnis actio ab incorporo & incorporeo provenit.

23. Potentia est actualis virium & virtutum, ad productionem præparatarum præsentia.

24. Existentia est essentia habens vires & actiones ab ista essentia provenientes.

25. Passiones sunt actiones corporum.

## ENUNCIATUM.

*Perfecta agunt per suam Essentiam: Imperfecta instrumentis utuntur.*

SEptem propositiones de essentia, quarum demonstrationes dependent ex præcognitis, & reservantur pro Commentario, aut remittuntur ad Phi-

Philosophiam meam Pyrotechnicam, ubi dilucidè & more Euclideo, demonstrantur.

*Propositio 1. Articuli 2. de Essentia.*

Omne quod esse aliis largitur, ipsum primo est id quod tribuit donatis.

*Propositio 2. de Essentia.*

Omnis productiva aliorum causa, manens in seipsa producit ea quæ post se & quæ deinceps.

*Propositio 3. de Essentia.*

Omne producens ob perfectionem & potentiæ abundantiam, productivum est secundarum.

*Propositio 4. de Essentia.*

Omne quod fit ab immobili causa, immutabilem habet existentiam, omne verò quod à mutabili, mutabilem.

*Propositio 5. de Essentia.*

Omnibus mentem participantibus, Dux est imparticipabilis mens, ex iis quæ vitam vita, ex iis quæ Ens, Ens; horum vero ipsorum Ens ante vitam est, vita ante mentem.

*Propositio 6. de Essentia.*

Omnia quovis modo Entia, ex fine & infinito, per primum Ens, omnia vero viventia sui motiva sunt, per vitam primam, omnia vero cognoscentia cognitionem participant per primum intellectum.

*Propositio 7. de Essentia.*

Omnium participantium divinam proprietatem primissimum & summum ipsum Ens.

## *Doctrina positiva de Essentia.*

IAm autem veniendum erit ad primum ordinem Entium, per se subsistentium, quem nos essentiam vocamus, quæ nihil aliud est quam potentia, virtus & actio Entis, ut apprimè exprimit vocabulum essentiæ, quasi diceret essentiam, esse emanationem ab Ente & uno, sed omnis separatio ab uno, est causa

causa multitudinis, cumque multiplicatio in uno incipit, manifestatio sequitur, si autem unum non sit, id quod separationem facit, multiplicatio, unde pervenit,& exinde manifestatio. Sed quid erit nisi ista potentia, quam ut medium inter unum & Ens statuimus; si enim non interveniret, non esset productio, sed bonitas potentiam illam movet, & separationem facit. Bonum igitur non in quantum unum, sed in quantum bonum, causa est separationis secundorum,& separatio est causa multiplicationis, & multiplicatio causa progressionis, aut processus; & processus est causa motus, sed motus est actio, & omnis actio, aut est in se, aut in essentia, aut manet in causa seque conservat in causa, aut egreditur ex causa & fit effectus, id est ignobilior suâ causa, per propositionem secundam Articul. de essentia: hujus naturæ sunt creaturæ, sic mundus conditur, qui ad creatoris essentiam non magis accedit quam umbra ad corpus. Omnis enim effectus aliquid de natura causæ retinet, per quem effectus incipit esse causa, in ordine inferiore aliquo Entis, amittens etiam aliquid per quod devenit effectus, gradus superioris; & quo interius est opus, eo magis & tanto est causæ simile, & quanto plus exterior, tanto magis à vera causa dehiscit; & sicut effectus differt à causa, sic essentia ab Ente, & originem habet ab *Ente*: & sicut hoc verbum *est*, est connexio nominum & verborum, ita Ens est scaturigo à qua omnes essentiæ & formæ fluunt, exceptis uno & unitatibus, quæ sunt origines multo simpliciores & priores quam Ens; sed omnes formæ quæ agere & pati possunt, nomen dare possunt Enti; & proinde quidquid agere & pati potest, Ens nominari potest. Per agere intelligimus actum Entis, & per pati potentiam Entis; & ita Ens secum differt non solum actum & passionem, quin etiam per verbum potest, ex qua supponitur potentia. Itaque omnis essentia habet potentiam quasi primam genituram Entis, actum & vires, quasi extensionem Entis, correspondentes suo Enti: & si potentiam habeat, vires etiam habere debet, vires nempe promptas ad motum; & si vires habet, etiam actionem, quæ non est nisi extensio virium; & si actionem habet, etiam motum, externum, & internum; externum, per quem communicat se ad extra, & fit essentia, & constituit alia entia sub se, de omnibus viribus supra se, quippe unius unitatis exemplarium, & Idearum rerum creandarum; internum vero habet motum per quem sese conservat in suo esse; & si habeat motum, vitam etiam habere debet; nam vita nihil aliud est quam internus motus essentiæ, & in quantum motus hic provenit ex viribus, potentia & actione infinita, & interna sui Entis; oportet etiam quod motus procreatus ab extra habeat etiam alias potentias, vires & actiones multiformes,

formes, correſpondentes multitudini omnificæ, & omniferæ ſui principii: quod extra eſſentiam vocamus: & ſi concipiamus talem motum, ita talem quoque operationem concipere debemus, nempe operationem multiformem, ſcientia perfectiſſima primi artificis ornatam; omnia igitur Entia fluunt ab iſta ſcientia, & talia ſunt, quæ materia non egent; ſed in ſeipſis ſunt quod ſunt. Et ſi materia ſubſtrata formis, & ſi formæ inſertæ materiæ, & compoſita ſuſtinentia accidentia, ſunt cauſæ quod talia Entia non ſint vera Entia, nec eſſentiæ, debemus ne ex contraria ratione affirmare, quod ubi nulla eſt materia, & nullum compoſitum, ibi ſint vera Entia, & talia quæ non ſunt in aliquo ſubjecto, ſed in ſeipſis, & per ipſa ſimpliciter ſubſiſtunt? Utique omnes eſſentiæ ſunt veræ, quæ à vero Ente proveniunt, ita verum Ens & vera eſſentia ſunt tales naturæ: nam inde naturam ducunt & originem, ubi nulla eſt materia, forma, nec compoſitum, nempe à mundo intelligibili, à primo Ente, à prima eſſentia, ubi forma eſt Idea materiæ; ſed Ens & prima eſſentia non ſunt à ſeipſis, *nam tunc fuiſſent, antequam fuerant, ſed ſunt ab alio nempe à prima unitate. Omne enim producens producit & conjungit*, quod ſibi ſimile eſt, antequam producat & conjungat, quod ſibi eſt diſſimile; alioqui productiones Entium non eſſent continuatæ, & inter productum & producens eſſet vacuum: hinc ſequetur, quod omnis numerus ſimilem ſibi prius, quam diſſimilem producit numerum. Res enim quæ implicatæ & occultatæ latent in unitate, unitas producens, explicat & manifeſtat in producto, quod manifeſtum eſt unitate numerorum. Nam unitas primo in ſe ſeminaliter continebat omnes ſpecies numerorum, quas attribuebat & attribuit aliis numeris, alias virtutes & facultates: quamobrem manifeſtum eſt, quod unum nullo pacto ex unitate provenire poteſt, ſed è contra, eo fine ut progrediens oſtendat eſſe diviſim, quicquid unitas prius erat indiſtinctè: & unitas eſt principium omnium ſubſtantiarum; & de neceſſitate oportet unitatem progignere multitudinem unialem, ſicut numerum ſibi maxime proximum & aſſociatum; & multitudo iſta ſunt omnes unitates, quæ ligant Entia cum uno, & quæ convertunt ad unum: igitur de bono venit bonitas quæ eſt natura fæcunda, quæ ſupra Ens & eſſentiam eſt; bonitas igitur provenit ab uno, & unitas & unitates ſunt vera Entia in primo gradu poſt unitates & Ideas; & deinde primum Ens eſt, & prima eſſentia poſt veram & primam unitatem; & quot ſunt unitates, tot ſunt Entia; & quemadmodum omnes unitates fuerant primo in prima unitate, ita omnia Entia debent eſſe in primo Ente, & omnes eſſentiæ in prima eſſentia; & ſi ita non eſſent in ordine, in natura eſſet maxima rerum

con-

confusio. Nam quemadmodum ex uno primo prima unitas genita fuit per vires unius, quæ secum omnia Entia detulit, quæ in uno gignente continebantur, ita per vires primæ unitatis primum Ens productum est, deferens secum omnia alia Entia, unitatibus correspondentia: proprietas enim est omnium primorum Entium, continere & comprehendere in se, seminaliter, res quæ postea generari debent. Primum igitur Ens continet omnia, cum plenum sit omnium Entium; & primum Ens debet producere ex prima unitate, & alia Entia ab aliis unitatibus. Nam prima bonitas est Idea boni; & cum necessarium fuerat, omnia bona producere, quia ipsa prima unitas fuit, omnia necessarium fuerat, non solum hoc vel illud, sed omnia producere, ne culpam impotentiæ aut invidiæ incurreret, sicut supra probatum fuerat: *& quia omne producens producit sibi simile, ante dissimile; ut probabitur propositione quarta Articulo tertio de vita*; produxit ergo Ens & essentiam, quæ primo fuerant & consistebant in seipsis, & postea dispersa in alia, quæ ab uno immediatè dependebant. Nam omne illud quod est primum, de necessitate oportet ut sit unum, vel plura. nam nisi de uno non proveniret, nisi una res, perirent omnia; nam per unum aut bonum est, aut unum vel plura, quia non potest esse idem quam unum, nisi idem essent prorsus omnia: aliud ergo est, *& hac ratione multitudo ab uno provenit*, juxta propositionem 1. Articuli de Ente. Omne igitur Ens provenit de uno mediatè, sed immediatè de unitate, & Idea, quæ illi tribuit, ut sit unum vel plura; nam neque solum unum est, nam omne bonum imitans, omniferum & omnificum est, quod de necessitate debet esse fertile; sed fertile est non de alia re quam multitudine tam intra se quam extra se. Namque omne Ens de se & in se est substantia; illud quod est Ens, est de seipso, & oportet de necessitate quod unum sit in primo, per totam suam latitudinem, idque per quatuor modos, nempe unum per essentiam, unum per totum, unum per formam, & unum per subjectum; & è contra plura proprietatibus, plura partibus, plura viribus, & plura mixtione. Unde accidit, ut omne Ens non possit esse unum & plura; nam quoniam est, & quoniam existit in statu & motu in se, non potest existere nisi primo & sit & existat. Igitur in quantum est, & est unum, & subsistit unum & manet. Sed in quantum est plura, de necessitate ut moveatur intus & extra; at intus motu essentiali, & in essentia ad extra motu proveniente ab essentia; sed motus ille est internus, & propter suam fecunditatem, de seipso præparatur & accelerat, ut separet se à producto suo. Omne enim unum est omne quod est fæcundum, quia imitatur primum unum, quod non potest esse sterile; appellamus vero motum internum,

ternum, vires & potestates illius motus, unde actio & operatio secunda, quas dicimus esse ab essentia ad extra; sed cum multæ sunt vires, & quia ex illis procedunt plures actiones, nempe tot quot sunt vires, inde fit quod multitudo externa & peregrina quæ producitur, respondere debet necessariò multitudini internæ: & ita hæc essentia, est integra, quæ quidem ipso momento quo est, vires habet, & operationes producere potest: & appellari potest, tertium principium post unum, cum unitas sit secundum, ex primo uno proveniens. Et ita diversæ erant essentiæ post unum, & ab uno procedentes, & per diversos gradus distinctæ. Et primo est essentia simplex, quæ est essentia simplicissima, quæ est in mundo intelligibili post unitates & Entia: est etiam altera essentia vitalis, quæ immediatè procedit per essentiam simplicissimam, & quæ ab ista simplicissima dependet, & in ipsa existit, sicut essentia simplicissima existit in prima unitate: & de essentia vitali procedit & dependet essentia intellectualis, aut mentalis, post quam est essentia animæ, quæ ab anima provenit, essentia naturæ seu spiritus, quæ à natura provenit, essentia Materiæ primæ Physicæ, quæ ab essentia materiæ; & hanc seriem vocamus seriem septem Elementorum Radicalium: quæ seminaliter in se continent, hoc est actu seminali, semina principiorum corporis, quæ postea actu formali fiunt Elementa concreta: & sic septem hæc Elementa radicalia producunt septem rationes seminarias, ut vincula corporeæ & incorporeæ naturæ, hoc est principiorum incorpororum, corporum aut Elementorum concretorum. & prima ratio seminaria depingitur in Sphæra Entium Radicalium à latere Entis, & dicitur Spacium. Nam sicut in primo Ente creata fuerant omnia alia Radicalia Entia, ita in spatio, ut prima virtute seminaria, concipiuntur omnes aliæ virtutes seminariæ contineri; sicut videre est in tractatu de Spatio: secundum seminarium erit lux primæva, à latere essentiæ, splendor primævus, à latere vitæ, lumen primævum, à latere intellectus, calor primævus, à latere animæ, scintilla sulphuris fixi, à latere naturæ, Atomi, à latere materiæ: & ita à latere rationum seminalium sunt principia corporum, & Elementa concreta; pari ratione per emanationem virtutum seminalium, fiunt principia corporum: & primo producitur fluor, à latere spacii primum concretorum Elementorum phænomena, & ignis productor, à latere lucis primævi: aër à latere splendoris primævi, sal fixus à latere luminis primævi, sulphur volatile à latere caloris primævi, terra seu arena à latere scintillæ sulphuris fixi, & aqua, à latere atomorum: & ita septem illa Entia creata producunt in se suas essentias, ut sese conservent in sua stabili, æterna & non peritura essentia; producunt

cunt

cunt etiam extra se septem naturas; & hæ rationes seminariæ producunt etiam ad extra septem naturas mixtorum caducas, instabiles & momentaneas: quorum series totam replent Sphæram Entium; & septem illa radicalia Entia, sive Elementa radicalia, sunt circuli circa centrum, juxta intimitatem naturæ, aliæ aliis centro proximiores: alia autem posteriora Entia, concipiuntur sub forma radiorum, à peculiari quoque ordine circulorum promanantium. Et quoniam infinita sunt Entia secundaria, ratione sensus nostri, & non essentiæ; itaque eodem pacto concipiuntur tot radii, extimam circumferentiam attingentes (quam materiam Physicam vocamus) quot puncta in primo circulo materiæ concipi possunt: & à singulis punctis tot radii qui replere possunt totam Sphæram Entium radicalium; & quia internæ partes hujus Sphæræ, sunt causæ, quæ effectum suum sibi ut causatum, in se retinet, & manere in suo esse cogunt, sicut centrum circuli: Sic concipimus etiam prima secundaria Entia, sive rationes seminarias progredi ab Entibus, sicut radii à circulis, & se se convertere ad centrum, sicut ad causam, ut juxta Propos. 18. Artic. 3. de Vita probabitur. Ita concipimus omne causatum, *manere in sua causa*, ut se se conservet in causa, *progredi* ut se manifestet extra causas, *& se convertere ad suam causam*, ut vires novas & motum à sua causa desumat.

## ARTICULUS III.

### *De Vita, Tertio Elemento Radicali, Præcognita.*

*Definitio I.*

Unus est modus, à quo Ens denominatur unum.

*Definitio II.*

Numerus est modus Entis, quo Ens numerabile esse intelligitur: & est vel protypus & transcendentalis; vel Ectypus, & cadit in creaturas.

*Definitio III.*

Actus est qui dirigitur ad potentiam perficiendam; potentia quæ dirigitur ad actum, ut ab ipso perficiatur.

*Definitio IV.*

Ordo est ratio formalis proportionis essentialis unius rei ab alia, res simul

mul cunctas distinguens & dispersa conjungens, superiora cum inferioribus separans, sensibilia & corporea ab insensibilibus, & incorporeis, sensibilia dividens in cælum, aërem, & elementa; & insensibilia in spiritum, Angelum, animam & naturam; Mundos in Empyræum cælestem, æthereum & Hylæum.

*Definitio V.*

Pulchritudo est modus Entis per quem Ens participare videtur pulchritudinem primam; quæ est finis & infinita potentia.

*Definitio VI.*

Pulchritudo est flos, bonitas aut splendor supremi boni, circumcincti quasi Divini luminis radiis, aut Dei circulis, ex bono proveniens, in bono residens, ut reflexus perpetuus à bono per bonum, & à bono in bonum refluens.

*Definitio VII.*

Proprium bonitatis est, pulchritudinem & appetitum allicere.

*Definitio VIII.*

Amor est desiderium unionis, cujus gratia fit species aut actus, & repræsentatio & forma cadens in intellectum, ut creet in illo unionis dispositionem.

*Definitio IX.*

Appetitus est motus & certa quædam inclinatio à natura necessaria.

*Definitio X.*

Motus est transitus unius ab alio, & sic amor nexu aliquo ligatus, mediante appetitu, extremitates; nempe, pulchrum deformi, inferiora cum superioribus, superiora quæ attrahant, ut ascendant, media; quæ in circuitu ducunt, & inferiora, quę ab aliquo ordine descenderunt; cum superioribus ligat, & sunt, essentia, pulchritudo; medium est amor, intellectus Phantasia, & ratio est lumen, & origo formarum, inferiora; ut obscuritatem aut materiam,

*Definitio XI.*

Vita est motus in essentia, & extra se; aut vita est essentia imprægnata ab actione, producens actionem extra se.

Divi-

*Divisio I.*

Pulchritudo aut est increata, ut Deus, aut creata, ut creaturæ Dei.

## *Axiomata.*

1. Omne bonum est appetibile.
2. Omne bonum, quale sit, est tale in esse, in potentia, in habitu, & operari.
3. Unum, verum, bonum, cum Ente convertuntur.
4. Superiora colligunt in se unita, quæ in inferioribus sunt dispersa.
5. Si totum movetur, necesse est partes moveri ad motum totius.
6. Quicquid est pars partis, etiam est pars totius.
7. Appetitus dispositionem sequitur.
8. Quanto plus unaquæque res cognita & perfecta, tanto est simplex.
9. Cognitio præcedit desiderium.
10. Omne totum est majus suis partibus.
11. Omne continens est prius contento.
12. Unum quodque appetit & amat sibi simile.
13. Nihil agit ultra vires suæ substantiæ.

## *Viginti septem Propositiones.*

DE essentia, quorum demonstrationes dependent ex præcognitis, aut reservantur pro Commentario, aut remittuntur ad Philosophiam meam Pyrotechnicam, ubi dilucidè & more Euclideo demonstrantur.

*Propositio 1. Articuli 3. de Vita.*

Omne sufficiens, hoc est suâ sorte contentum, vel secundum essentiam; vel secundum actionem; præstantius est insufficiente, ab alia causa habente perfectionis dependentem causam.

*Propositio 2. de Vita.*

Omne Ens vel immobile est, vel motum, & si motum, vel à se, vel ab alio.

Pro-

*Propositio 3. de Vita.*

Superior omnibus corporibus est animæ essentia, & omnibus animabus superior est intellectualis natura, & omnibus intellectualibus substantiis superius est ipsum bonum.

*Propositio 4. de Vita.*

Omne producens similia, ante dissimilia procreat.

*Propositio 5. de Vita.*

Omne ab aliquo productum immediatè & manet in producente, & progreditur aut fluit ab ipso.

*Propositio 6. de Vita.*

Omnium quæ in progressu aut fluxu multiplicantur, prima secundis sunt perfectiora, & secunda his quæ post ipsa, & deinceps similiter.

*Propositio 7. de Vita.*

Omnia quæ ab alia causa progrediuntur, aut fluunt, præcedunt ea quæ à seipsis subsistunt, & essentiam per se subsistentem habent.

*Propositio 8. de Vita.*

Omne à pluribus causis productum, compositius est eo quod à paucioribus producitur.

*Propositio 9. de Vita.*

Omne perfectum in proles progreditur aut fluit, quas ipsum producere potest, imitans unum universorum principium.

*Propositio 10. de Vita.*

Omne quod in alio est, ab alio tantum producitur, omne autem in se existens, per se subsistens est.

*Propositio 11. de Vita.*

Omne per se subsistens, incorruptibile est.

*Propositio 12. de Vita.*

Omne per se subsistens impartibile est & simplex.

Pro-

*Propositio 13. de Vita.*

Omnis plurium causa præstantior est eo quod ad pauciora potentiam est sortitum, & partes producit quarum alterum totorum seu universorum est productivum.

*Propositio 14. de Vita.*

Omnis multitudo vicinior uni existens, quantitate quidem est longinquioribus minor, potentia autem major.

*Propositio 15. de Vita.*

Omne progrediens aut fluens ab aliquo, secundum essentiam, convertitur aut refluit ad illud à quo progreditur.

*Propositio 16. de Vita.*

Omnis conversio efficitur per similitudinem convertentium se, ad id quod convertitur.

*Propositio 17. de Vita.*

Omne progrediens aut fluens ab aliquo, & conversum, circularem habet actionem.

*Propositio 18. de Vita.*

Omne causatum manet in sua causa, & progreditur aut fluit ab ipsa, & convertitur ad ipsam.

*Propositio 19. de Vita.*

Omnia quæ secundum conversionem subsistunt, prima imperfectiora sunt secundis, & secunda his deinceps; quæ ultima verò, perfectiora.

*Propositio 20. de Vita.*

Omne Ens vel essentialiter convertitur solum, vel vitaliter, vel etiam cognoscenter.

*Propositio 21. de Vita.*

Omne per se subsistens, ad seipsum est conversivum, & è contra omne ad seipsum conversivum, per se subsistens est.

*Propositio 22. de Vita.*

Omne quod in se convertitur, incorporeum est.

*Propositio 23. de Vita.*

Omne quod in se convertitur, separatam habet essentiam ab omni corpore.

*Propositio 24. de Vita.*

Omne in se movens, primo in se conversivum est.

*Propositio 25. de Vita.*

Omne quod secundum actionem ad se est conversivum, etiam secundùm essentiam conversivum ad se est.

*Propositio 26. de Vita.*

Omne quod sui ipsius cognoscitivum, ad se omnino conversivum est.

*Propositio 27. de Vita.*

Omnes intellectuales formæ & in seipsis ad invicem sunt, & extra per se singulæ.

## *Positiva Doctrina de Vita.*

QUanquam sacræ literæ homines, ut credant Deum immediatè absque ulla materia creasse omnia, adstringant, attamen absque sacrorum fundamentorum destructione, affirmare forsan licet, omnia creata à primo increato, per intermedias illorum nativitates dependere, quo magis aut minus, à primo illo & increato principio approximare censentur; ita ut ratiocinari liceat, cuncta viventia præsupponere Ens simplex ante determinatum, & specificum. Idcirco positis fundamentis in præcognitorum doctrina, quæ de Entis Unius, Boni, Veri, & essentiæ natura tractabant, modo de vita ortum suum immediatè ab essentia accipiente agemus. Quapropter definitionem essentialem Vitæ tribuemus, dicentes, *vitam esse essentiæ effervescentiam, actionem producentem*; simul enim ac una & essentia se præparant, & ad actionem internam se festinant, per vires sibi innatas, hanc accelerationem appellare possumus motum internum, quem motum, hic ante, motum in essentia appellabamus; utque paucis dicam, motus ille vita ipsa est; de se enim & in se ipsa se movet; & talis est motus dissolventium, supra metalla, & vita tam varia & diversa est, atque essentia, ex qua originem trahit; illa enim inter Ens & intellectum quem producit medium

medium tenet. Quemadmodum enim Ens vita & intellectus ubique sint, idcirco primo & essentialiter sunt in Ente, in quo est essentia, vita & intellectus, & Entium summitas; sic vita, Entis centrum est, Entis nempe intelligibilis, quæ ipsamet intelligibilis est, imo in ipsa intelligibili in Ente, in Mundo, participans essentiæ & participatum intellectus, & ab Ente producta; intellectum producit: sed id quod omnia producit, omnium producentium proprietates secum ferre debet, & cum primum movens, motum extra se, & intra se habuerat; oportebat vitam etiam in se motum habere; intra, per quem, se, & extra se alia moveret; similiter res vivere æstimamus, quæ aliquo horum motuum modo movere censentur; & quæ in se principium motus habent. Sed principium omnium motuum, anima dicitur; nam per hoc omnia Entia animantur: & maxima pars veterum asserebat, animam rem talem esse, quæ per præsentiam suam, & actionem, vitam, & harmoniam corporibus dabat: & propter id in quatuor dividebant gradus, in intellectualem, motivam, sensitivam, & vegetativam. Et certè videtur vitam per animam in corporea, quasi instrumentum derivari; tamdiu enim vivunt corpora, quamdiu anima ipsis præsens est: post cujus abitum vita etiam in animalibus & plantis discedit, sive in nutrimento, sive in semine, sive in motu consistat. Ista enim vita illis magis est essentialis, per quam maximè vivere percipiuntur, quamvis ordinario modo non nascantur, neque sentiant, nec sibi similia generent, nec nutriantur: apparent autem vitæ, ab hac anima progredientes, esse inferioris longè generis quàm vita quæ est in vita maximè perfecta, cum illa longè sit nobilior, & anima supereminentior; imo & ipsa anima vivente, qui cum essentiam rei superioris contineat, vitam superiorem etiam habere oportet; nam intellectus animæ datus, vivens potest dici; cùm motum habeat in intellectu; quia per rationem recognoscitur, quæ dici potest transitus aut discursus ab uno in aliud; denique intellectus est aut vivens, aut mortuus: sed viventis perfectionem, mortuo tribuere, absurdissimum esset. Ergo ab anima intellectus participatus, vivens est; multò magis ergo supremus & imparticipabilis, vivens dicetur: Qua enim ratione rem mortuam vocabimus, quæ excellentior, & anima intellectuali nobilior est; & quæ in & de se intellectus tum etiam causa est. Sic Deus verbum quando inter nos versabatur, ajebat, *vivo ego*; ut pluribus locis sacrarum literarum invenitur: Sic, *Ego sum vita, veritas, & via recta hominum ad Patrem reditus*; *veritas, quia in ipso nunquam fuit, nec erit, error, aut falsitas*,

*tas, nulla fraus*, nec facti, nec dicti, ſed in ſeipſo eſt veritas ipſa, & ſcientia omnium veriſſima, & ſapientia Patris certiſſima, & rerum omnium eſſentia ſimpliciſſima, & omnium Entium communio: ſed interea eſt *vita*; cùm enim ſit ſuprema veritas; cum dixerit, *ſum vita*, nec non ipſum, veriſimiliter vitam eſſe quis dicet in tantum, quia quicquid in eo eſt, vita eſt; Spiritus enim ejus dixit, *quod in ipſo factum eſt, erat vita*: nec aliter fieri poſſet, quemadmodum ratio Philoſophica affirmat: quomodo enim fieri poſſit, ut vita aliquid non vivens habeat? Neceſſe enim eſt, ut omnes res in vita ſint vita, & viventes; nam aut aliquæ habent vitam, aliquæ autem non; aut omnia non; ſed ſi omnia vitam non habeant, quomodo poteſt eſſe ſupereminens ſufficientia, abſente vita, ubi monſtratum eſt ibi eſſe; & nullus dubitat vitam eſſe morte nobiliorem. Sed ſi omnia vitam non habeant, ſed careant, denuo quæritur quomodo perfectio aut imperfectio partem teneat, ubi perfectio & ſuprema ſufficientia eſſe debet? In iſta ergo vita, alia erit pars vitam habens, & alia vita carens, ſed omnia vivent: nam vivere, & eſſe viventium, & eſt vera vita, & omnes partes, quæ vera Entia ſunt, vivunt, & unaquæque vivit. Idcirco rectè dicitur, quod omne quod in eo fuerat, vita erat. Videtur autem vitam, duo in ſuo genere denotare, ſcilicet viventis eſſentiam, per quam vivens eſt; & actionem viventis: quæ duo Ariſtoteles cognovit, dicendo vivere eſſe actionem viventis: ſecundo quod vivere ſit ſentire & intelligere. Ex his duobus dicemus, primam vitam eſſe in prima eſſentia; vita enim prima cùm ſit radix & primæ eſſentiæ ſoboles, etiam eſt prima eſſentia vivens; impoſſibile autem eſt concipere primam eſſentiam mortuam; & certè vivit & eſt ipſa vita, id eſt ſeipſum movet, & inſtar effervescentiæ facit, & ita à Græcis vocatur ζωὴ quaſi ζέουσα h. e. effervescens & bulliens; eſſentia τὸ ζέον τῆς οὐσίας, eſſentiæ bullitio. Nam quemadmodum quod in fervore eſt, movetur; ſic eſſentia quæ ſe movet, bullienti ſimilis eſt. Ideo fit ut vita eſſentia bulliens, aut eſſentiæ ebullitio vocetur; quia eſſentia illa otioſa non eſt, ſed ab actionibus incitata: quemadmodum enim eſſentia rem ſimpliciter conſtituit, & ſubſiſtere & exiſtere facit; ſic vita eſſentiam reſuſcitat, & incitat, ubi eſt illius eſſentiæ motus, & in ſe cauſa motus eſt. Sic id quod movetur, movetur quia participationem vitæ habet: cur ergo non poſſemus veram vitam vocare motum eſſentiæ in ſe? Si ergo ens & eſſentia ſeſe moverit, per vitam ſibi innatam ſeſe movebunt: ſi quod etiam corpus ab anima moveatur, motum illum principium tenemus, ſumpſiſſe per vitam, quæ

in anima est; & certè sive in intellectu, sive in sensibilibus, inter se non sunt, nisi motus interni, & certa quædam vita; & vita motus quidam internus est, sed hæc melius in prima, quæ vera vita intelligitur, in qua omnes aliæ vitæ intelligibiles sunt, eodem modo quo in primo ente aut essentia. Omnia alia Entia aut essentiæ comprehenduntur, & in prima unitate, omnes aliæ unitates; post quas vitas intelligibiles, aliæ vitæ multifariæ sunt: sic etiam post simplicem essentiam, plures aliæ essentiæ; sic etiam plures vitæ sunt, vitam primam subsequentes, per quam intellectûs vivunt; & post intellectus vitam, sequitur animarum vita, per quam animæ vivere dicuntur: Altera vita est naturalis, per quam natura vitam & vivere habet. Sic in omnibus vita non est, nisi essentiæ effervescentia, & actionis parturitio, & omnium ex se provenientium essentia, vivens, bulliens, & cognoscens, neque possunt esse aliquid, nisi inferius essentiæ similiter participem esse oportet cognitionis; omnis enim cognitio ab intellectu est; & ut omnia ad unum colligamus, admittere oportet in Regina unitatum, non tantum esse unitates Ideas & rerum exemplaria, sed etiam omnes veras essentias; & similiter in prima vita omnes alias veras vitas, inter se distinctas; & sic sequetur omnia esse in omnibus, & unumquodque in seipso.

*Finis de Vita.*

## ARTICULUS IV.

### *De Intellectu, Quinto Radicali Elemento.*

QUinque Propositiones de Intellectu, quarum demonstrationes dependent ex præcognitis & reservantur pro commentario, aut remittuntur ad Philosophiam Pyrotechnicam, ubi dilucidè & more Euclideo demonstrantur.

*Propositio I.*

OMnis intellectus seipsum intelligit, sed primissimus quidem seipsum solum, & unum numero in hoc est intellectus, & intelligibile: singuli verò sequentes, seipsos simul, & quæ ante ipsos sunt, & intelligibile, & huic partim quidem quod est, partim verò id à quo est.

*Propositio II.*

Omnis mens omnia simul intelligit; sed imparticipabilis quidem mens, sim-

simpliciter omnia, illarum verò mentium, quæ post ipsum sunt, imparticipabilem mentem, unaquæque res aliquo modo; sed non perfectè, nec simul omnes cognoscit.

*Propositio III.*

Omnis intellectus imparticipabilis est essentia.

*Propositio IV.*

Omnis intellectus intellectualiter est proximè & immutabilium secundùm essentiam procreatorum.

*Propositio V.*

Omnis intellectus intellectualiter est, & ea quæ ante ipsum, & quæ post ipsum.

## De Intellectibus & Ideis.

IN præcognitis demonstratum est omnia Entia fuisse in primo, & in prima unitates omnes essentias esse, & vitam & intellectum primum, & in ea omnes alias; nunc igitur satis explicatis iis quæ ad naturam Entium, essentiarum, & vitarum spectant, aliquid de Intellectu agemus, qui etiam Intellectio dici potest; dicendo (sicut jam diximus) in Verbo & prima unitate, omnia fuisse, quæ in Patre fuerant: omnia enim habet, quæ Pater genitor habet in se, & quemadmodum de se testatur; *omnia mihi data sunt à Patre meo.* Omnia ergo quæ sunt in Patre unita, sunt in Filio aut Verbo, quod primam unitatem nominamus; eadem sunt, sed distincta inter se, non per subjectum aliquod, cum habeant unum solum subjectum in unitate; distinguuntur autem per proprietatem; & illa unitas tandem facta est intellectus; & omnis alia unitas & essentia, & primum Ens, & omnia Entia, & prima omnium vitarum vita; & si sic; cur tali modo non esset primus intellectus, & omnis, sicut ante demonstravimus, quo pacto hæc unitas facta fuerat essentia, & vita: restat ergo hoc capite demonstrare quomodo facta sint intellectus, & intellectualitas: unitas à Patre uno emanavit, & genuit Filium, aut verbum, secundùm modum sequentem. Dum verbum emanationem ex Patre faceret, verbum hanc ex Patre sentit emanationem; cum enim sit vera sapientia Patris, si emanationem

nem suam non sentiret, inde certè maximam haberet imperfectionem: sentit ergo & cognoscit emanare ex Patre, & inde in essentiam & vitam devenire: sensus ille (si ita loqui liceat) aut cognitio, reflectionem aut conversionem fecit ad se, & sic ad Patrem convertit se per amorem ardentissimum; per hanc conversionem se & Patrem cognoscit; cognitio autem quæ in perfectione vitæ est, nihil est aliud quàm actio intellectus: cognitio autem intellectus, certus quidem est ad Patrem respectus, nec alicujus actio esse potest, nisi intellectus; non enim est aut vitæ aut essentiæ, nec unitatis; sed operatio propria, intellectus ope parata, ut redeat ad se; & causam suam, & per essentiam suam, alia contemplatur; dum igitur se respicit, & procedit, & convertitur, fit intellectus primus: nullus enim alius erat hac actione ornatus, sed per hanc conversionem, & amorem ad Patrem processit. Secundus intellectus, quem tertiam personam nominamus, quæ est facta eadem cum Patre, per altereitatem ineffabilem: processio hæc aut emanatio, propriè non potest dici egredi; mansit enim in Patre, ut ait Zoroaster. *Omnia enim perfecit Pater, & tradidit intellectui secundo*: quicquid ergo habuerat Pater ab ipso, est infusum Filio; & distinctum in unitates & essentias, & vitas, & intellectum, & sic à Filio in Sancto Spiritu, sed per apparatum plus distinctum, & progressui ejus proximum. Nunc autem de intellectu dicemus, quòd per hunc omnia intelligunt: nisi enim haberent de intellectu; nihil de intelligentia haberent; proprium igitur intellectus est intelligere; & intelligere nihil aliud est quàm cognitio, & cognitio nihil aliud est quàm conversio cognoscentis ad res cognoscibiles, ut scopum suum attingant. Prima igitur cognitio, quæ est in rebus cognoscibilibus, intellectus primus appellatur: Idcircò quia primò hanc actionem aut conversionem facit, per quam factus est intellectus, & actum intellectus attigit. Cùm enim illa prima essentia taliter sit in se unita, ut nihil separatum percipi possit, ut id quod ex se egreditur, sit distinctum secundum, & distans à se, quæ ad originem redit, quasi ut quærat remedium divisionis, & tandem declaratione veritatis repletus, & primus fit intellectus, tum verò recipiens ad se, & tum ex quo emanavit contemplans, redire & fieri rursus ut ante fuerat appetit; unde fit ut cognitio nihil aliud esse videatur, quam quod in Græcis apparet, γνῶσις intellectus, nempè certus quidam ad ipsam essentiam reditus: etiam intellectus & cognitio hoc inter se commune habent, quod & unus & alius non sint nisi reditus emanantis ad eum, ex quo emanarunt; & quemadmo-

admodum effectus qui ex causa processit, ad eandem redire desiderat, qui reditus tamen totaliter distantiam à causa non destruit, sed progressum suum servans eodem tempore, & procedit & convertitur ad causam, quærens progressionis suæ remedium; in hac conversione intellectus illuminatur. Et hæc illuminatio quædam infusio appellari potest luminis cognoscibilis in cognoscente; sic ut hoc lumen perveniat ad cognoscentem essentialem, & cognoscibile fit. Quemadmodum Ens est hypostasis aut substantia, quæ nihil aliud est quam hypostasis hujus cognoscibilis aut substantiæ splendor; eo enim modo ut in formis materialibus aliud est substantia, aliud res sensibilis; & quemadmodum sensibilia à substantiis derivantur, sic splendor cognitionis non est nisi rerum cognoscibilium effervescentia; sic entium splendor plus est ex ente egrediens, illuminans cognoscentem; quousque satis imbutus lumine rei cognoscibilis fuerit. Intellectus ergo non cognoscit Entia in quantum entia, sed splendorem aut claritatem eorum; aut melius, intellectus ens per suam claritatem cognoscit; & quia cognoscibile est, cognoscit; intellectus enim Ens appetit & reditum ad idem, & conjunctionem cum eo, ut producat cognitionem, quam nisi splendori & lumini solis vix comparare possimus; & quemadmodum respiciens solem, eundem contemplari imaginatur, non superficialiter, sed interne, & omnia in sole contenta inspicere; sic intellectus non respicit nec Ens, nec partem ejus, sed omne Ens & splendorem ejusdem; in Ente enim quædam est naturalis & essentialis claritas, per quam Ens cognitum est; ex se etiam factus est intellectus rerum, à quibus emanavit mediante vita: & cognoscens, & cognitio actualis ad Ens se convertit, & ab eo quod appetebat; & satiatus, per cognitionem ejus quam intellectum vocamus, & sibi unita, & in se existens cognoscere efficit. Concludendum est igitur, quod intellectus etiam cui jungitur essentiam recipit ab eodem, & essentialiter intellectus fit; & ita semper intellectus est, non per potentiam, sed actum, nec intelligentia ejus; intelligit enim de se, & si de se, etiam per se; & si per se, etiam in se; & residet in se, & continet in se illud, quod intelligere facit: essentiæ enim jungitur, & per hanc essentia fit, quamvis essentiam illam, per participationem habeat; & hic intellectus & hæc essentia, quæ vim intelligendi habet, ab essentia proveniunt; & prodit in actum essentiæ, qui intellectus nihil aliud est, quam respectus aut intuitio, & in se, & in propria causa. Sic etiam per se & in eo cui posterior est, & quod ab eo provenit; & quoniam intelligentia intellectus fit, erit eodem tempore & actus, & actualiter; & actus is essentia ejus est, & actio ejus intelle-

tellectus ; & ſic intellectus & intelligentia idem ſunt : Intelligentia autem certus quidam motus eſt, & per hanc ſe circa rem quandam adhibet, nempe circa eam quam ipſe intellectus intelligit, & per reſpectum in ſe & in cauſam, & in id quod poſt eum eſt, quod omnibus iſtius naturæ intellectibus convenit : & certè intellectus primus, cauſam ſuam primam ſolam eſſe intelligit, & omnes alias ab hac provenire, & ſibi & inde derivatis, intelligibilis eſt : & quando circa illa quæ in ſe eſt verſatur, & quod poſt ipſum eſt, omne id intelligibile fit, & actualiter intellectus & intelligens eſt; ipſe autem cum ſemper in actu ſit, ſemper omnia intelligit; & ſic intellectus & intelligens devenit, & intelligentia & intelligibile : eſtque intellectus ſimiliter, vita, & vivens, & eſſentia, & ſuprema unitas, & attributum ejus eſt intelligibilitas. Sed quia omnia ipſi à Patre ſuo data ſunt, & id quod genitum eſt habere debeat omne quod in gignente erat; ſed in gignente omnia erant Entia & non Entia ; ſequitur igitur omnia Entia & non Entia in illo eſſe, & ipſi omnia intelligibilia ſunt & intrinſeca ; & nihil eſt extra ſe, quod non intelligibile eſt de ſe; cum ſit id quod eſt omnia, ſi verus eſt intellectus; & cum omnia intelligit, omnia in ſe habet, nec aliquid aliunde quærere eſt opus; nec eorum oblivisci poſſet, nec rurſus reminiſci debet, nec falli, nec falſa dicere poſſet, nec aliunde veritatem indagare de ſe, nec conjecturam facere, & ſcientia ejus dubia non eſt, nec ipſe eam per ſyllogiſmum aut demonſtrationem apprehendit; alias enim intelligentiæ intelligentia deeſſet. Primus enim intellectus nihil ignorare poteſt, & ſcientiam ſecum ſemper habere debet; & ideo quia in actione ſua, nempe intelligentia, continuatur; ſi enim ab hac intelligentia ceſſaret, jam amplius non intelligeret, & ſic non eſſet amplius intellectus, & in ignorantiam incideret. Et ſi caſu aliquo res extra ſe intelligere quærit, phantaſmata & imagines rerum, non res ipſas attinget : nihil enim eſt aliud, quod extra intellectum eſt ; & ſic cognitio ejus opinio eſſet, & non ſcientia, & ſic falleretur, & falſa loqueretur, & ſeipſum deciperet ; nec verus intellectus eſſet; quod inquit Zoroaſter, *non enim mens eſt ſine intelligibili, & intelligibile non ſine mente exiſtit* : ſequitur ex his, quòd dum intellectus intelligit, non per expreſſiones externas id fieri, eſt enim intellectus primus, & omne Ens, & niſi ſe intelligeret, amplius non eſſet intellectus ; intellectum ergo omnia in ſe habere conſtat, & vivens & intelligens eſt : quod Theologia Chaldaica, principia, origines, exemplaria & Ideas appellare ſolebat, Ideas ſcilicet παντυμόρφους omniformes, quas & uniformes appellabant. Et quemadmodum ait Zoroaſter alibi, *fonte ab uno volantes exilierunt*, *Pater enim erat*, *conſiliumque*

*finisque secundum ipsum.* Ergo Ideæ quæ sunt unitates & origines, fontes & principia rerum, emanarunt immediatè ab uno, in primissima *Regina unitate unitatum inclusa*, in qua ut alibi dictum est, *Partitæ sunt intellectuali igne divisa in alias intellectuales*, quasi primis servientes; & similiter in se divisæ sunt, secundum rerum proprietates; sunt ergo Exemplares causæ: ita enim pergit, *Mundo enim rex multiformi proposuit intellectualium typum incorruptum, cujus ornatui vestigium induxit forma, per quam mundus apparuit, omnimodis Ideis gratiosus:* & adjungit *quarum unus est fons, à quo rotantur partitæ aliæ*; & origines illæ in quibus unitates radices habent, & inter se volvuntur, per proprietates suas distinguuntur, & prima unitas, si omnia habet quod generans habuit, omnes unitates habet, nempe omnes Ideas, omnes vitas, omnes intellectus, omnes animas, omnes naturas aut spiritus, omnes materias, ex quibus *Elementa & res Elementares conficiuntur*, & corpora mixta; omne enim quod ab ipsa factum erat, vita fuit: sic principium fuit, à quo, teste Hermete, omnia alia, quasi à principio primo stabili, & permanente dependent; secundum autem principium ab hoc dependet, à quo movetur, quia vivit & est in vita: quia intelligit & intelligitur, vivere enim & intelligere, aut motus aut in motu sunt, secundum hoc principium, quod intellectus primus est; & Zoroaster eum vocat potentiam, unitatem, & intelligentiam Patris: Hermes vocat eum intellectum, verbum & filium Dei; vocat principium etiam, quod est motum, quia à principio primo derivabatur. Plato appellabat secundum Regem. Platonici præstantiores appellabant intellectum primum, Mundum Idealem, mundum intelligibilem, mundum Archetypum; mundum exemplarem nominabant ideo, quia sicut mundus hic mentibus & variis formis sensu perceptibilibus ornatur; sic omni Idearum & exemplarium genere ornatus apparebat: & Parmenides Ens unum appellabat, quia ex unitatum Regina proveniebat; non aliter quam in semine, aut omni rerum principio, omnia actualiter sunt, quæ ex se proveniunt; sed omnia quæ in eo sunt, ad se simili modo referuntur, & ad ea, ad quæ jam sæpe diximus, nempe quod aliæ unitates sunt, aliæ essentiæ sunt, aliæ vitæ, alii intellectus, aliæ animæ, aliæ naturæ aut spiritus, aliæ materiæ, alia incorporea corpora, & unitates, in quo sunt quasi origines & Ideæ eorum quæ extra se producuntur, stabiles & simplicissimæ, sed quia incorporeæ sunt, penetrant se, & miscentur, & intellectus est vita & essentia, & similiter vita est & intelligit, ita ut verisimiliter dicere possimus, omnia in illo esse & illum in omnibus aliis, & per eandem rationem omnia; & proprietates eorum similiter in intellectu secundo sunt: procedit enim ex Patre &

primo

primo intellectu, simul enim & ipsis consubstantialis est, & nullo modo ab ipsis distinctus, hoc tamen excepto quod non sit idem cum iis, id est non est nec genitor, nec genitum, sed procedens ab utroque. Secundus igitur intellectus omnia habet in se Entia, hoc modo quo in intellectu primo sunt in prima unitate, in ipso verbo, & in quantum consubstantialia sunt, una sunt, nempè mundus intelligibilis; nihil enim intelligibile est, nisi quod in eo intelligibile, nihil vivens, quod non in eo vivens. Secundus igitur intellectus à Patre, & primo intellectum non diversificatur, nisi quòd Pater & intellectus primus, imparticipabiles sunt. Secundus autem participabilis, eo quod per secundum hunc omnes spiritus progrediuntur ex Trinitatis profunditate immediatè, & participabile suum participant. Hic igitur articulus hîc per brevem Idearum repetitionem concludendus erit, secundum fundamenta hîc antea nobis data Cap. 1. ubi probatum fuit, omnia per modum causæ in Deo esse, & Deum per sui scientiam, & voluntatem omnia creasse: oportet ergo ut mundus, qui ex se principium non habet, habeat ab alio; & si ab alio, ab ideis decedere nequimus, dicendo mundi causam, aut se intelligere aut plane ignorare: si ignoret, mundum ignorat, & partes ejus: & si mundus per ordinem quendam divinum factus sit, oportet ut causa fuerit præcedens & ordinata; omnis enim ordo à sapientia provenit, & sapientia in causa prima locatur: & si quis dicat mundum esse ab intellectu cognoscente mundum, sed non seipsum, tum intellectus ille rebus infra se positis, se cognoscentibus pejor erit, & per consequens, effectus causa sua nobilior erit; contra id quod probatum est propositione 3. Articul. 1. Necessariò ergo est concludendum, quod cognoverat & se, & quæ egrediebantur ab eo; & cognoscens ea quæ desiderat, oportet etiam ut causas illorum sciat, cum in se respiciat, qui est omnis causa, omnis vita, omnis essentia, omnis unitas; esse enim ejus est, omnes in se effectus habere; est ergo causa & producit extra se imagines & entium phantasmata, quæ antea in eo erant; omnes enim causarum species, effectum magis aut minus intimavit causæ: Ergo inferiores Ideæ vocantur exemplaria, typi, quos Archetypus contemplans mundum corporeum ad eorum imaginem congregavit. Quæ omnia admiratur Proclus Comment. 3. supra Parmenidem Platonis, ex Zoroastro recitatum, aut ex Philosophia Chaldeorum hoc modo: *Mens paterna produxit intelligens summo consilio omniformes Ideas:* quæ omnia oracula Zoroastri, prædictus Proclus amplè explicat & declarat, ubi Idearum vera est hypostasis, & quid Deus est, quæ earum origo est, & quemadmodum ex hac origine multiplicitas effluit; & mundus factus

factus sit ad similitudinem ejus, qui per essentiam suam totus est intellectualis, & per proprietatem suam omniformis, & multiformis, typos & similitudines Patris conceptioni communes, continuè & tanquam imparticipabiles rerum participabilium causas habet. Sed transeant modò authoritates; & Philosophiam formemus, & quid sint ideæ incipiamus explicare, sicut sequitur. Omnia Entia sunt ab uno, & huic proximum est unitas, ab hoc primo omnes aliæ unitates fluunt, & ad similitudinem ejus factæ sunt: Omnis enim multitudinis origo est unitas, multitudo ergo est producta unitas & aliquid unitati simile habet, per quod una multitudo vocatur, & aliquid dissimile per quod in multiplicitatem fluxit: quod igitur habuerat Entia in primo uno (erant enim in uno antequam in se, ut in præcognitis probatum est,) tot fuerunt Entia in unitate quæ ipsi est consubstantialis, & unitas earum omnium Archetypus; & quemadmodum unitates proveniunt, sic etiam alias producunt, nempe veras essentias rerum æternarum: & ab hac prima essentia, & aliis inde provenientibus, vitæ producuntur, ex his intellectus primus, & omnes alii, quia omnes essentiæ ab uno aut ab unitate veniant, sine quo subsistere nequeunt. Et quia intellectus primus intelligens seipsum, Ideas suas intelligit, & per intellectum suum omnes alios intellectus, alias animas, alias naturas, & his mediantibus corporeæ formæ producuntur: & ut Ideas à primis usque ad ultimas deducamus; Ideæ Entia sunt, vocanturque corporearum formarum causæ primæ, nec in prima sua origine diversificantur, nisi quòd in origine unitate, & in confluxu, quem formam appellamus, multitudines vocentur; exemplaria vocantur, in quantum creator in se respiciens, contemplatur ea, & secundum illarum modulum rebus inferioribus nomina tribuit, hîc infra, secundum capacitatem eorum, & hîc res ad illorum exemplum facit. Nunc quoque probandum restat, Ideas esse res, dicendo, quia per rationes supra hic à nobis demonstratas, mundum ab alio esse probaverimus, introducemus ex necessitate Ideas; ascendendo enim ab inferioribus ad intellectum primum, ubi sistemus, & dicemus, quòd hic intellectus cum mundum crearet, aut cognoscebat, aut ignorabat se: ordo autem aut Entium series, testantur non per ignorantiam sed per causæ primæ sapientiam, seipsum scivisse, non tantum ea quæ in illa erant cognoscens, sed quæ ab illa actuata fuerant; in illa enim erant vitæ & essentiæ, & unitates; & nisi illas haberet, imperfecta esset; & si habeat, in nihilo habere non potest, necessariò ergo oportet, ut secunda omnia sint in prima causa; & prima causa illa stabilis esse debet, & permanens, in esse suo ordinem exemplarem constituens ordinum

infe-

inferiorum; esse autem ejus in sui intelligentia, est intelligens; ergo se intelligit, facit, & ædificat omnia, & res extra se producit, similes iis quæ in se habet: sic similiter omnem effectum similem producit causæ internæ, & causa illa interna Idea vocatur, varietas ergo & multiformitas rerum, quam hîc infra videbimus, ab unitatum varietate provenit, quæ in prima unitate sunt, & istæ varietates Ideæ, aut respectus rerum vocantur, ab iis productarum, & unitas mundi Ideæ & primigeniæ unitates, quæ Deus est: sed ultra, Ideæ aut exemplaria probari possunt, per tres naturæ familias, quæ sunt vegetabilia, animalia, & mineralia; & unumquodque horum provenit à propria sua familia, nempe planta à planta, ab animali animal, minerale à minerali: & hæc secundùm cursum suæ naturæ, ( casu enim fieri non possent, ) cùm videamus artem constantem in tribus illis familiis, loco quò res casu non nisi raro accedant; & absque certa regula. Hoc itaque cum ita sit, oportet ut unaquæque res, à certa constante & deliberata causa proveniat; quam semen vocamus; & semen id ab una ex his tribus familiis egreditur; & unaquæque ex his à semine provenit: & hîc nobis sistendum, aut in infinitum procedendum. Necessariò igitur Ideæ ponendæ sunt: hæc enim certa Philosophia est, quæ passionibus non ducitur, sed ipsa veritate, quæ in omnibus vivit. Sed ne in infinitum procedamus, unde vegetabilium, mineralium, animalium, natura particulariter proveniat, non dubitamus: unde tamen generaliter, ignoramus: verum tamen est, quòd in semine plantæ, aut hominis radices & formæ corporeæ, visu incorporeo, in semine eorum sunt colores, fixitas metallorum, specierum diversitas sunt: sed actu seminario nempe visu incorporeo in metallorum semine actus is imperfectus est, quia radices illorum in semine actualiter sunt; non autem ad talem vel talem vegetabilium Animalium aut Mineralium speciem determinati: ergo hoc semen imperfectum est. Ulterius, omne imperfectum à perfecto egressum fuisse oportebat, quasi ab exemplo aut modello, secundùm quam natura ad perfectionem ducit cum tempore. Optarem ergo scire quod hoc perfectum sit: non est testa, aut vegetabilium siliqua, nec est matris animalium Matrix, nec mineralium fontes formant, id quod producitur: nec enim animalia nec mineralia suis proximis similia sunt; est vero natura quæ incorporea est, quæ motum tribuit; & cognitionem, res formandi, secundùm exemplaria sua habet: si ergo radices natura producat, quæ in semine sunt actu seminario, in individuo vegetabilium, animalium, & mineralium actu; oportet profectò ut natura illa habeat hanc scientiam aut immediatè à prima causa, aut mediatè: si immediatè,

natura quæ non est prima in ordine Entium, ut jam probatum est à causa sua, in ordine & serie non constituetur. Nam nec intellectus, nec vita, nec essentia primo sunt, sed per viam participationis in natura, nempe participationem Entium supra se: & si omnes istas formas mediatè habet, uti revera habet, oportet ut eas habeat per gradus; alias enim inter causas & effectus daretur vacuum; & si natura illa universalis unicuique rei particularem formam tribuat, unum quodque secundùm speciem suam locando, unum ut sit vegetabile, aliud animale, aliud minerale, num etiam oportet ut natura particularis unius plantæ ab universali habeat formarum ordinem, colorum externorum, & radicum internarum proprietates, quas in formis & naturis particularibus habet, nempè constantem scientiam, folia & ramos applicandi trunco, & tali colore & odore vestiendi vegetabilia, oculos & aures animalibus applicandi, sine errore, fixitatem, colorem, fluibilitatem, sonum, resistentiam, magis aut minus igni & volatilitatem Mineralibus tribuendi: natura ergo scientiam ordinatam & determinatam habet, formas & radices totius uniuscujusque speciei continentem, quas mundo corporeo tribuit, qui primus Entium est ordo, post naturam: & si in mundo quanto plures sunt, per consequens tanto nobiliores in anima mundi, nobiliores in intellectu participato, cur etiam non in vita sua? & si in vita? cur non in essentia sua? & si in essentia? cur non in unitate? quæ prima unitas mundi est: & per hunc modum ad Ideas redire cogimur; unitates enim quæ in prima unitate sunt, Ideæ sunt; sunt etiam in intellectu conceptiones intellectuales; in anima rationes, quia anima post ratiocinationem internam eas facit in natura, semina facit in materia formæ, quæ canales vacuos universi implent: Ideæ igitur non sunt in aëre, ut aliqui ajunt, sed ab unitate prima egrediuntur, & unitates vocantur, & sic in essentiam descendunt, in vitam, in intellectum, in animam, in naturam, in materiam, in tali ordine, sicut res superiores Entium sibi proximorum causæ sunt. Nunc igitur satis videmur probasse Ideas esse, ex Philosophis & viris fide dignis: modò rationes familiares referemus, & ex rerum usu deductas, quibus iis, qui hanc probationem admittere nolunt, obsistemus. Sed per sensibilia & à somnis, quæ diversis omnino modis fiunt, quippe aliqua præ tacita reflectione rerum accidentium, alia præ aliis negotiationibus, cum amicis habitis, & negotiis præsentibus, uti probè sciunt ii qui secundùm ea divinare solent; alia divinitus inspirantur: pars enim intellectualis vigilans, ad fores animi motivi, sæpè cum speciebus rerum præteritarum aut futurarum, sese repræsentando offert, & repleta illorum simulacris, phantasticæ animi parti sensibus offert quan-

quantum potest, licet sit quasi sensibilibus submersus, & per nubem obscuram corporis impeditus; sed ad originem rediens, ibi omnia, præteritas æquè ac præsentes res cernens, & futuras uti præteritas: hinc accidit aliquando viris præclaris, & à Mundo separatis, prosperitates imperii prædixisse, & familiarum particularium status. Tales erant Prophetarum visiones, exstases magorum & possessorum, eorum nempe, qui partem animæ intelligibilem per distractionem à corpore raptam, ad causas primas quæ rerum Ideæ & exemplaria sunt, loco mansionis in corpore, aut gubernationis sensuum, quæ ipsi propria fuit, habebant: Quòd autem Ideæ revera existant, prolixa demonstratione non indiget; nam ut rationes omittam pulcherrimas longè, Tyrii Maximi Philosophi sermone 28. quarum alia argumenta sunt à minori deducta, atque brutorum exemplo, alia vero à processu prioris ad cognitionem principii, usq; ad infinitum, postrema tandem ab actionum humanarum in somnis actusque reminiscendi similitudine. Brutorum autem exempla quàm plurima habemus. Nonne animalia commissa ad coitum, dum phantasiam habent in tali, aut tali ejusdem speciei forma occupatam, nonne fætum huic phantasiæ conformem edunt; sic Jacobo Patriarchæ evenit, dum in coitu ovium & caprarum humum virgulis variegatis coloribus sterneret, ut hoc pacto ovium & caprarum phantasia objectis peregrinis occupata, conformem phantasiæ objecto, coloratum fætum imprimeret, ut evenit. Et quamvis hoc Dei ipsius mandato & voluntate factum fuerit, non desinit tamen propriam in natura habere rationem; ut videmus ex jumentis quòd cum equis supponuntur, ut pullos edant ad alicujus equi generosi formam; in congressu, solent alium generosum equum aspectui objicere, ut phantasia objecti Idea occupata ipsam retineat, fætuique impertiat: nonne etiam in rationalibus simile quid deprehenditur? Gravidæ enim per subitam spirituum agitationem recipiunt objecta rerum externarum; unde fit ut fætus objecti specie signatos in lucem prodire deprehendamus: sic nati quam plurimi, floris aut alterius rei notam in corpore gerunt, si flos aut quid simile matri subito, eique non cogitanti projectus fuerit. In spirituum enim subita agitatione imprimitur rerum Idea: sic alii muris, alii ranæ, in eadem ipsa corporis parte quam in matre tetigerit, circumferunt: Imò quod magis est, ea anni tempestate qua flores & fructus atque germina repullulare solent, eodem tempore ipsis in locis notæ illæ membris impactæ efflorescere solent. Miror etiam in gravidis, quarum ita efficax est imaginatio,

tio, ut quorum vel horror, vel appetitus vehemens fuerit, horum Idea immutatus spiritus, & qualitates, & corpus, sæpe transformet, ut infixa vulneris idea, circa eundem locum à Matre visa sic conspicuam vulneris speciem in fætu reliquisse: sed maximè id admirandum (si fas tamen est credere, & ut rumor de fratribus roseæ crucis percrebuit) multos per solam imaginationem (ut scribit Cælius) animam à corporibus in exstasin abduxisse. Imo ipsæ Ideæ tempestatum annis & rerum objectarum, quod majus est, in cadaveribus remanent, & agere cum reminiscentia videntur: ita in cadavere vulnerati, si cædis author adsistet paululum, cur denuo sanguis erumpat in homine, vel ante aliquot dies interempto? Nimirum etsi recesserit forma princeps, manet tamen ad tempus rerum præteritarum & rationum omnium, quæ fuerunt in anima, plenus spiritus, qui sub ipsam cædem per characterem hostilis spiritus, cum ejus figuram sibi fortiter expressisset, fit sane ut eodem denuo occurrente, per illud impressum & adhuc recens vestigium, moveatur, eoque impulso concitetur & sanguis, donec per vulnus erumpat. Eadem penè ratione dum florent vineæ, repleto tunc passim spiritibus aëre, per motus communem impulsum & propagationem, in cellis vina turbantur, licet tribus, quatuor pluribusve annis expressa. Sic aprugna aut cervina salita, quamvis alias tenerrima; eo tempore quo amoris œstro percelluntur ejus species animalia, ista illorum caro (quamvis optimè condita, & strictissimè observata) tam dura & fætens evadit, ut nullus ipsam comedere tentaverit. Similiter in Plantis excisis & quasi mortuis in locustis, racemis, foliis, imo in gumatibus, resinis & ejusmodi, & quod magis, in ipsis cineribus, à quibus quamvis recesserit forma princeps, manet tamen longo tempore rationum omnium, quæ fuerant in animo, plenus spiritus, ipsumque aliquando artificiosè prodit; non secus ac imagines in speculo nobis apparent ex oppositione alicujus corporis, dummodo in corpus aliquod lucidum incidat ejusmodi spiritus fixus & permanens; sicut in glacie aut aëre pellucido, sicut in fece terebinthinæ abietis & similium ostenduntur idola & simulacra earum rerum, quarum antea insignia gerebant. Harum autem rerum veritas, tribus historiis confirmatur; una quæ fuit Poloni à Quercetano in Philosophiâ sua Hermetica memorati: Altera ab ipso Quercetano, de urticarum formis: tertia, mea; quæ fuit de formis abietum ex terebinthina extractis: quarum Historiam legat, qui velit, in Philosophia mea Pyrotechnica: sed in his hæc erunt animadvertenda; quòd aliter intellectus,

ctus, aut intellectuales animæ, aliter rationales, aliter verò res corporeæ, vitæque corporibus addictæ, suas Ideas his inferioribus communicant. Inferiora enim Ideis proxima sunt, quasi propagines Idearum, & quo magis ab illis recedunt, eo sunt magis degeneres. Tandem vero corporibus alligatæ imagines duntaxat fiunt, nullam idearum naturam habentes, sed illas speculari quadam similitudine referunt: patet itaque causis particularibus Ideas quasdam communiores semper assistere, ceu posteriorum fomites, utpote individuis numero infinitis, communem speciem. Cui cum speciebus junctis cæteris assistat, ulterius quædam generica forma, donec per communissimam universalis ordo trahatur, usque ad Ens quod Entia cuncta transcendit, in quem velut figurarum omnium angulum communissimum, vel angulorum omnium caput, ut ipse se Christus nominat, dispersa quælibet, per intermedios & simpliciores ordines in unitatem refluant, unde fluxerunt. Sed quid hæreo? nonne literæ Divinæ docent, Deum quodammodo exemplaribus usum fuisse, ad universi fabricam? ut doctè libro de Mundi opificio demonstrat Judæus Philo; quibus attestatur illud Mosaicum, *in die quo fecit Dominus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam Regionis priusquam germinaret*: & illud Regis Psalmographi: *informem fœtum meum viderunt tui oculi, & in libro tuo omnia membra mea scripta erant, quæ per dies formata sunt.* Quemnam autem hic librum intelligat, nisi forte Mundum intelligibilem, sive Archetypum atque intellectum communem, nescio; quem Plato Deo inferiorem ponit; Christiani autem Dei Filium intellectu quovis superiorem & Patri coæqualem. Nunc verò pro conclusione, illud demùm sumendum, veluti ratum, quòd uti particularium rerum vultus & Ideæ in illis communioribus continentur; ita & animi nostri imagines inferiores superiore Idea altera sunt comprehensa; quare illud Platonicum hac ratione defendi possit; *scire nostrum esse quandam reminiscentiæ speciem*; cum excitetur ratio partim ab intellectu, partim à sensibilibus simulacris, ut probatur Propos. 9. Artic. de Anima.

*Finis de Intellectu.*

# ARTICULUS V.

## De Anima, seu Quinto Elemento Radicali.

DEcem propositiones de Anima, quarum demonstrationes dependent ex præcognitis, & reservantur pro commentario, aut remittuntur ad Philosophiam Pyrotechnicam, ubi dilucide & more Euclideo demonstrantur.

*Propositio I.*

Omnis anima incorporea est Essentia, & separabilis à corpore.

*Propositio II.*

Omnis anima immortalis est & incorruptibilis.

*Propositio III.*

Omnis anima est vita & vivens.

*Propositio IV.*

Omnis anima in se viva est.

*Propositio V.*

Omnis anima media est inter impartibilia; & quæ circa corpora sunt partibilia.

*Propositio VI.*

Omnis anima participabilis, essentiam quidem sempiternam habet, actionem autem in tempore.

*Propositio VII.*

Omnis anima proximè ab intellectu procedit.

*Propositio VIII.*

Omnis anima omnes habet formas, quas intellectus primo habet.

Pro-

*Propositio IX.*

**Omnis anima omnis est res, exemplariter quidem sensibilia, in imagine verò intelligibilia.**

*Propositio X.*

Omnis particularis animæ vehiculum descendit quidem additione tunicarum materialium: colligitur verò ad ipsam animam, per ablationem omnis materialis rei, & per recursum, in propriam formam analogicè ad utentem animam.

## *Doctrina Positiva.*

VUlgus qui ultra sensibilia non penetrat, ægrè quid Anima sit cognoscere studet, nec quidquam de illa potest terminare, nisi quantum fide christiana credere tenetur; & veterum Philosophorum scripta incertitudine tanta repleta sunt, ut facilius sit animam negativè, quam affirmativè cognoscere. Propterea omissis opinionibus & authoritatibus, adminiculo propositionum præcedentium lucem adferre conabor: & ut ante alia, quid sit Anima inquirendum erit; quod ut fiat, certitudinem acquiramus; animam sub quodam Entis genere ponemus, declarando sub quo; quidam veterum non nisi unum duntaxat Entis genus cognoverunt, nempe corpus, vocando Entia corpora. Illi autem qui penitiorem animæ scientiam habuerunt, incorporum addiderunt: & qui plura inquirere tentarunt, alia Entia inter illa duo prima constituebant; unum quod incorporeis accidit, & incorporeum corporeum vocant; aliud corporibus magis simile, quod corporeum incorporeum: sic etiam necessario concludendum, nullum esse Ens, quod non sub uno ex his quatuor continetur. Propterea anima una ex his quatuor existens, scire oportet sub quo ex his quatuor contenta sit: quod scire non possumus, nisi primo horum quatuor proprietates inquiramus; ut videbimus ipsam non esse de natura rei, quæ per se subsistit, quod Græci αὐτόςατον appellabant; sed quod per aliud subsistit, & vocabant ἑτερόςατον: similiter corpora ab iis vocabantur ἑτεροκίνητον, id est alimobilia, hoc est à seipsis nullam talem actionem producendi vim habentia; & corpus hoc in tempore movetur, & motus hic actio est; & actio omnis à viribus, & omnis vis ab essentia est; & ita si in tempore moveatur corpus, motus ille temporaneus est; & actio ergo corporis temporanea est, quia partibilis

lis est; & ideo divisibilis est, quia trinam dimensionem habet: propterea quicquid trinam dimensionem habet, corpus est; & corpus est, quia magnitudo, & magnitudo est, quia sine spacio esse nequit: & hæc causa est, cur magnitudo composita est ex spatio, & quia spacium primum est corporis principium, & ideo fit ut corpus à spatio fiat, & in spatio maneat; & magnitudo est & trinã dimensionem habet, & unum totum est quod partes habet, & divisibile est secundum essentiam, virtutem & actiones; aut melius secundum passionem: passiones enim actiones sunt corporum, juxta axioma 25. Art. 2. corpora enim nihil agere nisi pati possunt; & quia patiuntur, alterantur: sic etiam si alterantur, mutantur; & si mutantur, non manent eadem quæ erant ante; & hæc non Entia dici possunt, sed sunt illa in quæ mutata sunt; & sic per hunc visa, & per alium non sunt; & per consequens sunt Entia, & non Entia, & sic dissimilia sibi, & similia. Si igitur corpora in universo cum omnibus suis proprietatibus reperiantur, necessariò ut in eadem hac universitate, ut Ens omnino contrarium ibi reperiatur, cum proprietatibus omnino contrariis: posito enim uno contrariorum, oportet necessario ut ponatur aliud; juxta axioma 19. Artic. 1. de Ente: Ergo concludendum est in universitate rerum, semper esse sibi ipsi Ens simile, quod semper est Ens; & ideò non mutatur: & non mutatur, quia non alteratur, quia non patitur, & non patitur, quia semper activum est; & tale est, quia essentia est; & ideo non divisibile est; & propterea partes non habet, & ideo nec trinam dimensionem; & ideo magnitudo non est, nec de magnitudine factum, nec magnitudine indiget, ut si nec spatio in quo maneat; & ideo subsistens in se est, & incorporum & corporibus oppositum, & ab aliis separabile. Hæc igitur simul congreganda sunt; & dicendum, sicut incorporum corpori oppositum est, & esse suum, & virtutem, & actionem illi tribuat; sic corporeum quod incorporeo opponitur, non habet essentiam, virtutem, & actiones, nisi quas ab incorporeo accipit. Et si quicquid de uno affirmare possumus, contrarium de alio affirmari potest, contrariorum enim productiones sunt contrariæ; si enim incorporeum subsistat per se, corporeum non subsistit nisi per aliud; si incorporeum non est in spatio, oportet ut corporeum in spatio maneat: & ne facultates oppositorum sæpius reiteremus, unum dumtaxat membrorum oppositorum mentibus legentium objiciam; quod cum contrario applicandum censeo; ita ratiocinando: Incorporeum magnitudine eget, nec magnitudo est, nec trinæ dimensionis capax est, nullas habet partes, nec divisibile est, imo indivisa est ejus essentia, & virtutes ejus indivisibiles sunt, non patitur,

non

non alteratur, non mutatur; sic idem semper secum manet, nec unquam ad non Ens redit, nec non Ens unquam appellatur, sed semper Ens manet, & contrarium de corpore dici potest. Sed inter Entia & non Entia simul ratione opposita, videtur difficile invenire temperamentum, aut medium; per communicationem habere quidem possint, incorporea & corporea; sed incorporeum semper ageret, & corporeum pateretur, mutaretur, alteraretur; & usque dum corporeum in non Ens caderet, nec incorporeum corporeo se jungere posset, sine corporis distinctione: sed ut conservetur Mundus, conservanda sunt corpora; & quia corpora sustentaculo egent, oportet ut sustentaculum hoc vim habeat: & vis ista usq; ad actionem se se extendere debet, ut corpora sustineant; & oportet ut vis ista ab essentia procedat; aliter enim vires & actiones corporis irent in infinitum, imo & in corporeum; licet essentiam, vim & actionem habeat, totaliter sustinendi corpora incapax; primo, quia incorporeum corporeo totaliter opponitur, & per consequens incapax, ut corpori sese jungat; secundò, quia incorporea actio corpora ad nihilum deduceret: requiritur ergo aliquid aliud ut corpora salventur, ut sustineantur, & quod in ipsis insinuari possit; quæ sine actione fieri nequit: atqui omnis actio per contactum fit; & ideo nihil conservare corpora potest, quod non tangit; quod nec corpus, nec incorporeum facere potest: sed tamen aliquod tertium aut medium; quod tamen utriusque vires habet: & hoc medium veteribus videtur fuisse ignotum: & est medium inter duo, incorporeum, corporeum; incorporeum immediate ab incorporo dependens; & corporeum ad corpus tendens; & sic incorporeum corporeum, participabit utriusque facultatem, tamen non mixtam, nec temperatam ab utroque, nec à partibus compositam; & tamen est omne hoc, nempe mixtum & non mixtum, temperatum & intemperatum, compositum & non compositum; aliter enim, si mixtio, alteratio, & compositio, ex duobus esset, timendum foret, ne in infinitum procederemus: necesse est igitur, ut id quod ab incorporeo venit, proprietates incorporei retineat; non tamen tales, quales sunt facultates simplicissimæ incorporei, sed per gradum inferiorem: omne enim productum cum producente idem non est; ut sæpè dictum & demonstratum est Propos. 3. Artic. de Ente; sed potius aliquid simile & dissimile: habet ergo aliquam cum incorporeo similitudinem; non tamen uti incorporum, quod supra se est, & à corporibus remotum; sed dissimile est, quia ab incorporo decidit, ut se corporibus jungat; per primam facultatem non habebit aliquid magnitudinis, sed incorporeas rationes magnitudinis, nec distantiam, sed rationes distan-

tium indistanter: denuo inconvenientiam habet cum incorporeis facultatibus, quas hic ante recitavimus: quemadmodum & cum omnibus corporis facultatibus supra memoratis; nempe esse mutabile, alterabile & divisibile: sic per proprietates incorporei, præcipua erit esse æternum; sed si hæc secunda essentiam habeat temporaneam, oportet etiam ut cùm corpora sint, habeant vires & actiones corporeas; & per consequens brevi in Nihilum transibunt; & sic nihil simile cum incorporo haberet, sed totum corporeum: quod est contra id quod jam monstravimus. Sed si essentia, vis, & actio ejus incorporeæ sunt, aut iis similes, ab hac parte corporibus adhærere non posset. Oportet ergo necessariò hæc tria ita dividere, ut essentia similis sit incorporo, & actio corpori, & vis inter utrumque. Sed ubi jam sæpe demonstravimus, quod actio & vires proveniebant ab essentia, & emanent ab ea; & quod actiones procedant à viribus, & vires ab essentia; & utriusque vita sit in essentia, & extensæ ex essentia; & sic vis ea, quæ actionem facit, verum medium erit inter corporeum & incorporeum; & propterea nomen animæ rectè obtinere potest, nempe inter incorporeum, quod essentiam habet æternam; & corpus, quod actionem temporaneam habet; secundum Propos. 6. Artic. de Anima; propter quod Zoroaster dixit, *mentis namque imitamen est, partum verò habet quid corporis.* Animam enim mentis imitationem esse dicit, propter similitudinem quam habet cum intellectu suo productore; nam in productione sua, aliquid Identitatis intellectus secum fert; & in quantum aliquid de corpore habent, id per actiones suas innotescit; quia actiones corpora producunt, & informant, & insinuant in corporibus, & extra ad se extendunt, & agunt in iis, & vivificant ea, & movent ea; & omnis motus temporaneus est: actiones ergo animæ temporaneæ sunt, essentia est æterna, & in æternitate manet; & æternitati similes sunt; & anima inde veniens, oportet necessario ut participet unitatem, Ideas, essentiam, & vitam, & intellectum, cujus est imago. Omne enim participans, aut se, aut simile sui participanti tribuit; sic ab unitate suo participato habet quòd sit unum; & quatenus unita omnia in se habet. Quemadmodum enim prima essentia, habens omnes in se unitates, secundum ordinem & capacitatem suam, & omnes essentias, quæ in primâ unitate erant, uti jam demonstratum est: sic etiam prima essentia omnes essentias, & unitates à prima essẽtia obtinuit, ita etiam de vita prima. Ita intellectus primus continet in se omnes vitas, & essentias, & unitates; & sic necesse est, ut intellectus sit quasi universalitas

tas Intellectualis Entium supremorum; quemadmodum est rerum inferiorum Archetypus, & proximus animæ productor; ut proprietates etiam ejus universales in anima transfundant, ut animam faciant universalitatem animatam: sic etiam quia formæ aut spiritus est productor per animam; oportet etiam ut naturam animam faciat, universalitatem naturalem; & quia materiam producit, per animam, spiritum, aut naturam, erit etiam universalitas materialis; & quia per esse materiæ, etiam formam producat corpoream, forma etiam corporea, erit universalitas corporea; per quam & per medium naturæ, animæ, & intellectus, producta sunt corpora; & omnes hæ universalitates, gradus, & ordines sine confusione servant; & tamen omnes in omni sunt, inferiores in superioribus, & superiora in inferioribus; nempe superiora sunt in inferioribus per modum effectus; inferiora sunt in superioribus per modum causæ. Deus ergo, Intellectus, creator omnium, in creando animam, omnes proprietates, & facultates infundebat in eam; in quantum anima ad eas recipiendas capax erat: anima ergo facta est universalitas animata, quemadmodum intellectus productor ejus universalitas erat intellectualis; & vita universalitas vitalis, & essentia universalitas essentiæ, & unum universalitas unialis; & forma cujusque gradus in iis per proprium & specificum modum est, descendens ab ideis & unitatibus in essentiam, vitam & intellectum; & facta est anima mundus animatus, omnibus non accidentariis, sed essentialibus; in superioribus enim essentiis, nullum accidens locatur, nihil enim iis advenit ad extra, sed omne eorum à causa tam mediatè quam immediatè; & quæ esse vires & actiones habent. Anima ergo est omne Ens, imago nempe causarum, & graduum inferiorum exemplum, & ad hanc animam, omnes animæ vadunt, & redeunt, quasi effectus ad causam. Sed quando de anima particulari agimus, vel de anima universali mundi; de qua per authoritates & rationes in Philosophia Chymica satis amplè actum fuit; non animam rationalem inter illas comprehendere intelligo, sed religioso silentio prætermittere; nec aliter sentire, quam quæ ab Ecclesia Christiana determinata sunt, decrevi. Et quemadmodum particulares animæ corporibus motum tribuunt; sic anima universalis nobilioribus corporibus vitam & motum largitur. Et quemadmodum corpus sine anima vivere non potest, nec unam partem esse animatam, & aliam non, credere par erit: & sicut peculiares animæ motum corporibus præbent, sic anima universalis vitam & motum præstantissimis corporibus præbet; & sicut corpus absque anima vivere nequit, neque pars absque parte animari possit: Ita corporum perfectissimum, sicut est mundus, non potest esse

esse una pars animata, alia vero non; quemadmodum voluit Aristoteles; quia animam cælo & sphæris cælestibus attribuit, (si tales sunt) & tamen mundo negat; & ita mundum quasi maximum Glaucum constituit, semipiscem, & semilapidem; & inter alia quæ mundum perficiunt, quibus cælum est quasi anima aut vita; quas quasi internum motum esse putamus. Ergo ne mundum, cum Aristotele, monstrum ponamus, cum Platone & omni Antiquitate credendum, & Græcis, Ægyptiis & Chaldæis, mundum esse per totum animatum. Si vero objiciatur, quod si mundus sit animatus, oportet necessario ut unam habeat animam; atqui anima est actus corporis Physici organici, potentia vitam habentis: sed concedemus, mundum esse corpus, imò Physicum; sed negandum erit esse organicum & vivens; quod sic declaratur, dicendo definitionem hanc proprie tribui animabus plantarum; illæ enim vitas & organisationem habent: hæc autem definitio animabus tribui non potest: Bruta enim, secundum ipsum Aristotelem, ultra vitam & organisationem, habent motum localem, & sensum, licet illa in definitione non comprehendantur: & sic miseranda ista animæ definitio nullo modo animam universalem mundi distrahere possit. Et fatetur præterea, si cæli & sphæræ (si tales sint in natura) & astra animata sint, & vivant; quæ nam iis potest dari organisatio? astra enim & cælum, organisationem, secundùm Aristotelem, non habent: sic anima sine organisatione vivebat, etiam intellectus, & vita prima; & omnes vitæ intellectuali mundo, sicut etiam omnes essentiæ; & denique omne quod in Deo erat, vivebat, nec tamen omnia organisationem habebant, nec habent. Si ergo omnia hæc mundana, & super mundana sine organo vivunt, cur voluit Aristoteles ut hæc inferiora organo indigerent? Si ergo organo non opus haberent, nec hic inferius, nec superius, cur elementis vitam sine organo non tribuimus? Et quis scit an elementa organum non habeant, quod ignoramus; aut rem aliquam proportionatam illi; sicut est attrahere aërem humidum, & convertere in liquorem; ut in omni sale contingit. Sed cum rationes hæ Peripateticæ nihil concludant, & ab hac definitione imperfecta proveniant, non morabimur: sed veris rationibus probabimus, unam esse animam mundi. Nam quemadmodum mundus omnium corporum sit perfectissimum; oportet etiam ut animam perfectissimam habeat: & cum muscarum, formicarum, & vermium corpora, animam habeant particularem, per quam vivant; cur ergo omnium corporum perfectissimum, mundus, anima carebit, & etiam elementa hanc perfectionem complentia? Ad quod notabile est quod inquit Theophrastus; nullum corpus perfectum, & honorabile sine anima;

Ele-

Elementa igitur, sive organisata, sive non, animam suam semper habent: Præterea si insecta & plantæ esse & vitam suam à mundo habent; certum est, mundum animatum esse: quomodo enim animam daret res aliqua quam non habet? cum nihil dat quod non habet. Tertia autem etiam non potest dare quod ipsi deest: Aqua est aër; vitam aliis dare nequit, nisi hanc animam possideat; sed nisi ad vim harum rationum recurramus, daretur tunc locus dubitandi, an anima ista una esset; an verò partium ejus principaliorum, unaquæque animam suam habeat? sed ipsis cum Hermete respondebimus, quod solius & unius mundi vita sit anima; partes autem principales animam suam habent, quasi ab universitate datam. Idem de aliis inferioribus, & subalternis animabus, usque ad minimas; quod in acoribus & vermibus patet, in animalium intestinis generatis, ut sunt tot diversæ multipedæ papiliones in herbis variis nascentes, & viventes, anima subalterna animalis, & plantæ viventis; sed cum nativitatem suam accipiant in animali, certum est animal vivere ante organisationem animalis; & insecta ista vivere anima plantæ; habito vero organo, eoque bene præparato, anima sua specificè vivit, quasi ex primæ animæ surculo. Ita fætus canis aut porci formatur, & nutritur in ventre materno, ab anima canis & porci: ubi vero organisantur, animam propriam accipiunt, per quam vivit, nutritur & attrahit alimentum sibi proprium; sic etiam à minori ad majus argumentandum; si plantæ & animalia unam animam habeant, sub qua plures animæ inferiores proveniunt, cur item perfectiori negabimus unam animam universalem, sub qua inferiores continentur plures? Et ut ratio hæc confirmetur, operâ sensuum, oportet etiam adjungere, quod scientificè probatum fuit Prop. 9. Articul. 5. animam nempe esse omnia, imaginem scilicet rerum intelligibilium, & rerum sensibilium exemplum. Zoroaster vero, unus ex Chaldæorum Philosophis sapientissimus, alterius animæ mentionem facit, quam animam originalem vocat. Peti etiam posset, an anima illa, ab ista mundi distinguatur? *verum dubium hoc ex duobus ejus oraculis explicatum erit. In uno enim inquit; quod anima ignis, potentia Patris existens, lucidus, immortalisque manet, & vita Domina est, & tenet multas mundi plenitudines, sinuum:* at per versus hos animam mundi intelligit. Dicit enim hanc animam infinitatem implere; sed de anima hac originali aliter loquitur; *post vero paternas cogitationes, anima ego habito calida tenens cuncta.* Et cogitationes has paternas Zoroaster vocat Ideas; quæ cum dicuntur esse in profundo paterno, anima manet & habitat, immediatè post eas, hoc est Ideas, Essentias, vitas, & intellectus, animam: & sic videre etiam possumus, animam hanc esse supra mun-

mundanam, & non mundanam; & sic quæ non mundum, sed universum animat; cum ipsamet res supra mundum hunc corporeum, animet, & abundanter clarificet, ignem, æthera & mundos: quemadmodum ait Zoroaster, *abundè animans, lumen, ignem, æthera, mundos.* Et licet aliquis dicere posset, quod cum mundus sit perfectissimus omnium corporum, & sibi sufficiens, quod altero corpore, ut se conservet, non indigeat; quod verum est: sed quia corporibus non egeat, non sequitur, quòd non aliis etiam indigeat, ut conservet ea, nam si ut conservet, indiget alterius sublimioris ope, nempe incorporei, ut penetret, insinuet, sustentet, vivat, nectat partes divisibiles; si enim partes illæ separatæ essent, & hinc inde diffusæ; tunc nec mundus, nec partes ejus essent continuæ. Idcirco ut in toto retineatur, oportebat ut aliquid habeat, ut se conservet in essentia sua; quod non poterat obtinere à rebus, quæ naturaliter se ab una ad aliam partem movent; uti est arena: oportet ergo ut à re incorporea salutem & conservationem reclamet; sed tali quæ naturam familiarem cum mundo & corporibus habere debet, uti jam diximus. Et ista accommodatio est unio incorpori cum corporibus, & nihil incorporum illud esse potest, quam anima. Ergo corpus mundi, in quantum corpus, non posset manere corpus, nisi esset animalium. Tria enim anima per præsentiam efficit, esse nempe animatum, esse vivificatum, esse motum; & si corpori non adesset, non animaret; & si non animaret, non daret vitam; & si non id, non daret motum; & si non moveatur, non habebit partes unitas; & si non hoc, non habet partes connexas; & si non has, non esset ipsorum nexus: & si aliter fieret, partes mundi nexu carerent; & in partibus mundi nulla esset Sympathia; & si nulla sit Sympathia, partes mutuo non paterentur; & si non agerent inter se, non esset generatio; & si nulla generatio, nulla etiam corruptio, nulla mutatio, nulla alteratio; mundus non esset nisi verum cadaver; nempe si anima ejus corpus non penetraret, interius & circumquaque; non aliter quam anima brutorum, quę minimas corporis partes animat, vivificat, & movet: anima ergo mundi taliter à corporibus insinuatur, ut partes minimas in unam nectat. Hic mundus vocatur inde κόσμος, id est pulchritudo & ornamentum. Qui autem argumenta ampliora ad hujus opinionis confirmationem petit, in libro meo Latino de Philosophia Pyrotechnica, reperiet, excepto hoc, quod illud quod hic est; & quod ibi est, hic non reperietur. Non enim hoc in loco plura, quam quæ brevitas permittit, adferre possum: nunc aliquid de ejus origine inquirendum, quod ut fiat, ad prima principia recurrendum erit, dicendo: omnis unitas ab uno provenit; per Prop. 1. Articul. de Ente; & in illa & extra illam

lam omnes aliæ; & de ipsa est prima essentia, in qua in se & ex se omnes essentiæ; & ab ipsa prima vita, & in ipsa, & ex ipsa omnes aliæ; & ex illa intellectus primus; & in illo, & ex illo omnes alii intellectus; vel si aliter nominare volumus, omnes rationes, scientiæ & dona intellectualia; si non velimus confusionem inducere Entibus universi: & ne natura ab una extremitate ad aliam curreret, admittendum erit, animam ab intellectu originem sumere, & ab hac in hac, & ex hac anima, omnes aliæ, sive anima mundi, aut alia superior huic: & sicut diversas series, & gradus Entium posuimus supra animam nempe unitatis, Essentiæ, vitæ, & intellectus, unusquisque originem à proximo sumens: sic etiam dividemus inferiores gradus sub anima, nempe gradum naturæ, spiritus aut formæ, & Materiæ primæ; & sic de aliis Entibus inferioribus: sic etiam originem omni, quod infra se est præbet; & primo naturæ, & natura materiæ, etiam anima ab intellectu immediatè procedit; inter animam enim & intellectum, nullum medium intervenire potest; rerum enim supremarum nulla seriem & ordinem suum deserit; nec unquam ad imperfectionem inferiorum descendit, licet proprietates suas, potentias & virtutes inferioribus largiantur: suprema ergo locum non mutant, nec infra animam descendunt; nec inferiora supra eam ascendunt; ne quidem natura, forma, aut spiritus, licet sint proxima, multo minus materia; & adhuc minus secunda Entia: sed unum quodque ordinem à Deo in prima creatione datum custodit; nihil ergo inter animam & intellectum intervenire potest; ut Prop. 5. & 7. hujus Articuli monstratum est; & licet jam demonstravimus, intellectum esse ante animam in Prop. 8. tamen pro majori certitudine dicemus, iterum omnia creata aliquam pulchritudinis notam retinere à creatione: proprietas enim bonitatis erat benefacere: sequetur ergo res creatas aliqua facere: sed aliquid facere, actionem denotat, & omnis actio vires & potestates præsupponit, ab essentia provenientes. Omnes ergo creaturæ à minori ad majus essentiam habent: Et ideò de se vim producit, quæ nihil est aliud quam Essentiæ extensio, & per vim illam actionem ad extra; & per consequens actione imprægnata in se, oportet extra se producat. Nulla enim Entia bonitatis primæ participantia, sterilia manere possent. Omne ergo Ens fœcundum est; & si fœcundum, etiam prægnans, & si prægnans, producere debet; & si producat, oportet ut producat ad extra. Nulla essentia enim potentia caret, nulla potentia otiosa manet, cum bonitatis participet; & si non otiosæ sunt, in motu aut externo aut interno versantur; per quem essentiam conservant, & vitam tribuant, in externo, per quam rebus extra se communicant; ubi enim

 dixi-

diximus, veram vitam non esse nisi motum in essentia, & extra se, quia vita non est nisi essentia imprægnata ab actione; & in se producens actionem extra se; si in se actionem producat, actio illa ex se non egreditur, sed facit in se, & manet in se, & non facit aliud quam seipsum. Sed si actionem producit extra se, & actio ista otiosa non est; & si id, in motu; & per hunc motum producit aliquid differens à se, cujus est immediata causa; viresque hanc actionem ferentes extra essentiam, quæ radix & origo hujus actionis est, & ordinis sui causa prima; & uti jam demonstratum, causa prima est causa causato sublimior, producens extra se; quod non apparebat ante; & si causa prima sit excellentior causato, res causata posterior erit & impotentior causa, tamen non minus secum defert omnes proprietates causæ, sed modo debiliori tamen, non plane easdem. Sic etiam inferiora producerent se nobiliora, vel æqualia; quod est contra Prop. 3. Articul. 1. Cap. 1. Sic enim effectus causæ dici possent; cujus contrarium in eadem propositione est. Et ut hæc probata ad quæstionem nostram reducamus, quod erat de animæ origine, dicendo omnem animam ab intellectu producere quasi à prima causa & immediate producente; sed supra intellectum originem à vita accepit, & supra vitam ab essentiis, & supra has ab unitatibus, Ideis aut exemplaribus, supra unitates à solo uno, & prima & purissima omnium rerum origine: Nisi enim anima fuisset in ipso uno, non fuisset unum: quando ergo in ipso primam genuit unitatem, infudit simul cum aliis unitatibus unitatem animæ; quippe cum omnes alias obtineat unitates in se, si hac careret, non continere poterat omnes; & per consequens non erit perfecta: sed jam probatum est, omnia in unitate esse, quæ fuerant ante in unomni, & prima essentia, quando omnes continebat essentias; si non continuisset essentiam animæ, non fuissent omnes; & nisi prima vita continuisset animæ vitam, non habuisset omnes; & si primus intellectus non continuisset animæ intellectum, non continuisset omnes; & etiam imperfectus esset: animæ ergo erant ante in intellectibus; intellectus in vita, vita in essentia, Essentiæ in unitatibus; unitates in uno quasi primo suo principio. Et per tales gradus usque ad intellectum descendit, habens semper proprietatem suæ causæ, quamvis remissiores magis & ignobiles: omnis enim vita (si ita loqui liceat) producit primò in se, antequam extra; & quanto sublimior est productor, tanto est productum interius, & productori similius. Sic intellectus productus à vita, magis est internus vitæ, quam anima intellectui; & sic anima similior intellectui, quam natura animæ, suo productori. Ita unusquisque gradus aliquid de sua causa amittit: sed cum de anima agimus, non agi-

mus

mus de anima rationali, quæ ad fidem Christianam pertinet; sed de anima mundi, quæ vis & potestas Divina est omnibus dipersa, in Anima cæli, Astrorum, Sphærarum, Elementorum, in anima brutorum & plantarum; de quibus Theologi nil tractant, aut tractare non debent. Dicendum igitur erit, animas immediatè ab intellectu provenisse; quod probamus ut sequitur: intellectus aut Ens est, aut non Ens: Certùm autem est, cum intellectus essentiam habeat, & intelligendi potentiam, & quæ intelligit & quæ vivit; ut ante probavimus. Si igitur Ens à Deo producens est, & per consequens participans boni, quod in productore fuit; (omnia enim quæ fecerat Deus, bona fuerunt; imo & summè bona & perfecta, in sua specie) Intellectus ergo cum Ens fuerat, boni particeps fuit; proprietatem ergo boni habet ut vires diffundat, & repleat: Intellectus ergo bonus & perfectus, ut probatum est, aut nihil, aut aliquid aget: si nihil, nec bonus, nec perfectus erit. Intellectus ergo aget aliquid, aut in se, aut ex se; si in se tantum, semper idem; & si non extra se, non erit nec bonus, nec perfectus: nempe imperfectus erit: quod ipsi non accideret, cum participationem boni habeat. Oportet ergo ut aliquid extra se faciat, nempe essentiam, potentiam, aut actionem: si actionem tantum, quomodo propriam vim producendi habebit? Si ergo actionem, etiam vim producendi producet, sed ab omnibus viribus provenientibus ab essentia; & oportet ut antequam illam actionem producat, produxerit vim; & antequam produxit vim, ut producat essentiam; quæ extra intellectum producta est: non erit igitur ipsamet essentia, sed alia quam ipsamet essentia; non tamen ita alia aut diversa, ut nihil destituat, id est nihil de essentia relinquat producto; nihilominus in altereitatem cum ipso cadit, & dissimilis fit: similis ergo & dissimilis erit causæ, ea essentia, quam animam appellamus; in quantum enim proprietates recipit, & varias ratiocinationes, per quas animæ partes informat, organisat, proprios motus sine errore perficit; scientiam enim, nempe in Embryonibus nasum; in tali vel tali ad oculos, vel aures distantia, applicandi tibias & brachia formandi, viscera ad alimentum distribuendum; in plantis scientiam, alimentum ex terra attrahendi, colores floribus dandi, odores fructibus; aut mineralibus & metallis scientiam distinguendi species, salem & terram volatilisandi, sulphura & aquas fixandi: & cùm omnes actiones ab uno sunt intellectu, oportet ut procedat ab origine excellentiori & anima sublimiori, nempe intellectu, causa sua proxima producente: anima ergo intellectus est proles, similis & dissimilis simul; similis tanquam habens intellectionem & cognitionem in se, imprimendi materiæ rerum incorporearum formas

formas incorporeas, rerum materialium formas immateriales, quas ante se habebat: & in instanti, dissimilis; quatenus enim ab intellectu productus agit in instanti; sed actiones suas in tempore perficit, nempe ut puncta fluant ad lineas producendas, ut lineæ in superficies, & superficies in profunditates confluerent, & perficerentur, ut materiam exemplaribus & Ideis, intellectus, vitæ, essentiæ, unitates similes unius reddat, & omnes partes in unum congregans, ut Terram inanem & vacuam formaret; naturam nempe, quæ est spatium, & quasi primum rerum corporearum principium. Anima ergo per quam vivit, habet & essentiam, per quam & vim & actionem, quæ essentiæ est extensio, & unitatem sibi essentialem, per quam unius participat, & unitatis mediante essentia, & vitæ mediante intellectu, causa sua prima: sic anima est effectus, & quasi proles intellectus, similis & dissimilis causæ; dico proles, sed non primi intellectus, qui est unus ex tribus Personis Trinitatis; sed intellectus primi, qui est post Trinitatis profundum; in quo tanquam Archetypo proximo, omnes in se res intellectuales continet anima, & omnia ab eo discedentia. Anima ergo à Deo est creata, qui omnium est Creator, sed ab intellectu inferiori suo Archetypo proximo, nempe essentia intelligente & cognoscente aliam essentiam cognoscentem; impossibile enim est, ut una essentia cognoscens, aliam essentiam non cognoscentem producat, nec essentia non cognoscens aliam cognoscentem. Intelligentia enim de essentia intellectus est, & cognitionis, quæ per propriam vim cognitionem producit, tanquam causa ejus superior. Intellectus ergo animæ Archetypus est proximus; & per cognitionem & intellectum animam producens. Et hæc est opinio Platonis & Platonicorum omnium. Sic tractatum hunc de Anima finiam; quem tam perfectum credo tradidisse, quam ante me quilibet huc usque tradiderat; tam per propositionum præcedentium certitudinem, quam per argumenta, quæ partim hic, partim in libro meo de Elementis Philosophiæ Pyrotechnicæ Gallico Idiomate edito reperientur. Et si fortè casu aliquo, hîc vel alibi, aliquid contra puram & veram Ecclesiæ Christianæ Orthodoxæ doctrinam scripserim; hîc sententiam retracto; (nolo enim cum Gigantibus bellum Diis inferre) & omnia simul jungam; & Animam definiam; & dicam, *esse Ens radicale & universale, de se subsistens, se & corpora movens, vivens, intelligens, in substantia uniformis, in facultate multiformis*, supremorum & inferiorum *vinculum, unionis, & ordinis, virium, actionumque in, & ex se producendarum vim habens, & omnium quæ in universo sunt rectrix, & provisor ordina-*

*ordinatissima.* Et, ut brevius dicam, *Animam Mundi esse extensionem generalem potentiæ infinitæ, per universum & specificam hujus universalitatis molem; per quam universalia individuis appropriantur.* Dico *Ens radicale*, ut distinguam essentiam ejus stabilem à secundis Entibus, quæ instabilia sunt; ut probatum est per Propos. 4. Artic. 5. cap. 5. Et quia causa ejus stabilis est, oportet etiam ut Anima sit stabilis. Dico *universale*, quia quatenus animarum universalitas est, in se virtualiter, omnes particulares animas continere debet, secundum Axioma 8 & 9. Artic. 7. *Subsistens de se*; quia impartibilis est; per Propos. 12. Artic. 3. Ulterius, omne quod impartibile est, incorporeum est; & quod incorporeum est, conversivum ad se est, & ad causas superiores: per Propos. 22. Articuli 3. Et quod ad se conversivum est, non eget ut quærat aliquid infra se; sed manet in se, & subsistit in se: per eandem Propos. & à corporibus separabile; propterea anima imparticipabilis cùm sit sui ordinis, non potest nisi per se subsistere; secundum Propos. 8. Artic. 1. *Se & corpora movens*; cum enim sit unum immobile, oportet & ut sit unum mobile; & si mobile per se; alimobile est admittendum; ut aliud mobile, aut immobile alimobili jungat; & quod ambo jungat, ut motus principium præbeat: si enim omnia manerent, id quod primum maneret, non esset immobile, nec alimobile, sed se movens; per Propos. 2. Artic. 3. quod nihil præter Animam esse potest. Omnis enim motus est actio; & actio à potentia procedit; & omnis essentia à potentia, quæ incorporea est; & immobilis. Actio autem alimobilis est, ergo inter immobile, quod est intellectus, & alimobile, quod est corpus, se mobile medium tenet; quod est anima, se & corpora movens. Dico *vivens*, quia causæ suæ mediatæ particeps est, per quam vivens est; secundum Propos. 3. Artic. 5. *Intelligens*, quia opus suum cum sapientia perficit sine errore; & hoc fit per intellectum quem participat, ut causam suam immediatam; secundum Propos. 5. Artic. 5. *Uniformem in substantia*, per participationem unius, multiformem in facultate, per participationem boni, quod ipsi fæcunditatem tribuit; se multiplicandi, per omne quod cognoscit sibi commodum, & esse omnia; per Propos. 8 & 9. Artic. 5. Dico *solum incorporum & corpororum vinculum*; habens enim motum, actionem habet, & omnis actio à viribus, & vires à potentia; & potentia ab essentia, & omnis essentia unitiva est, uniendique omnem voluntatem tribuit, & voluntas illa amorem & desiderium excitat rerum inferiorum; ut se uniant per conversionem cum suis causis; secundùm Propos. 18. Artic. 3. Omne causatum

ſatum &c. Sic verbum hoc amor à Græco εἴρω *necto*, aut *copulo*, venit; & deſiderium hoc quod in corporibus eſt, ſequitur cum voluntate illud quod eſt in eſſentia deſiderati, & hoc mediante potentia, quæ medium eſt, etiam mediis potentiis & viribus deſideratis junctum; quibus ſtabiles ſunt incorporeis & mobilibus corporibus connexæ, ſicut res quæ hypoſtaſin in alio non habent. Dico, *omnis unionis*, *ordinis*, *virium & actionis in ſe & extra ſe author*: productivam vim habens, quia prima anima una eſt per eſſentiam, ſed per facultatem & actionem plura; quemadmodum lumen quod unum eſt in ſubſtantia, ſed plura in actione; fax enim una capax eſt per unam ſcintillam alia innumerabilia lumina producere, ſine ſui diminutione: & quemadmodum hæc flamma plures habebat ſcintillas, ſic anima univerſalis univerſaliter plures animas habet viventes ſub ipſa: uti animæ vermium vivarum in corpore animalis teſtantur. Dico, *ordinis*, quia nunquam ſaltat, ſed à cauſa ad effectum vadit; actionis productio enim eſt actionis opus ad extra. *Præviſionis*, per participationem enim intellectus providet productionibus; quia producit primo in ſe aut in eſſentia ſua; & poſtea eam productionem corporibus exterius applicat. Sic animæ definitionem perfectiſſimam habemus, ſine ambiguitate, aut alicujus partis eſſentialis intermiſſione, aut difficultate; ſi principia retineantur, quæ ſuper hac definitione fundantur, quæ vera & prima ſunt, & concluſionis cauſæ. Qui plura de anima Mundi, ſeu univerſali, tum Poëtarum de ejus natura ſcire velit, in libro meo, cujus titulus eſt, *Philoſophia Pyrotechnica*, inveniet.

## ARTICULUS VI.

### *Sexti Radicalis Elementi: De Natura, Spiritu, ſeu forma univerſali.*

QUemadmodum intellectus, qui eſt ſtabilis, non tantum animam præcedit, quæ ſe movet, ſed eam firmat, conſervat, hypoſtaſis eſt, cuſtodit, complet, & eſſentiam æternam & immutabilem tribuit rebus ſub ſe; qualitates & proprietates nempe naturæ & ſpiritui diſtribuit, quæ motum ab alio tenent; Anima ergo inter impartibilia & partibilia medium tenens, ſcilicet inter intellectum & corpora, oportet eſſe eam omnia; uti

jam

jam probatum est, Artic. 5. Propos. 9. Omne quippe quod super illam est, illud per imaginem & similitudinem est; & quod sub ipsa est, hoc idem est ut exemplar. Intellectus enim supremus, existens, stabilis in essentia, clarè debet huic animæ, ab essentia proveniente, qualitates omnes & proprietates, essentiam stabilem & immutabilem concomitantes. De super id quod à causa stabili provenit, etiam essentiam habet stabilem & æternam; & è contra, quod originem ab instabili ducit, essentiam instabilem & inconstantem habet: si enim quod agit, stabile sit, nunquam de se aliud stabile per motum producet, sed per essentiam: & si hoc concedes, agens id semper producet, quamdiu subsistet, atque est semper, & per consequens, faciet semper quod post se est. Unum ergo semper ab alio procedit; & nectit semper, quod est secundum progressum aut emanationem. Et si ipsa causa mobilis sit secundum actionem, ut est natura aut spiritus, quod provenit ab ipsa, etiam erit mobile, juxta essentiam. Quod enim essentiam habet per motum, mutato motu, essentiam mutat paulatim. Si enim quod per hunc motum productum est, stabile maneat, excellentius erit suâ causâ, quod impossibile est; & contra Propos. 4. Artic. de Essentia. Non ergo erit immutabile cum mutetur, cum essentiam habeat, imitans motum à quo producitur; & si anima completa & perfecta facta est, per intellectum ut causam, etiam ad eundem redit; & ejus cognitionem participat, quam intellectus dat iis, quæ participare possunt. Omnia enim quæ intellectum habent, & cognitionem habent, ab intellectu producente; & omnia quæ se ad aliquid secundum naturam convertunt, progressum & emanationem istius retinent, secundum essentiam unde emanaverant. Omnis ergo anima ab intellectu provenit, ut à causa; & si ab intellectu provenit, ut à causa; & si ab intellectu procedat, & intellectus eam perficiat, & compleat, si sit mobilis, cum essentiam habeat, & si producat omnia, omnium qualitates & proprietates animæ à se productæ dabit, quæ erant in se. Omne enim id quod aliquid aliis tribuit per essentiam, quod ipsum immediatè erat, à nullo alio tenebit, & id tribuit secundario rei productæ. Anima ergo secundariò in se tenet imagines formarum intellectualium, id est intelligentias tacitas intellectus; receperat ergo antea, per formam exemplarem, res ipsas, quarum antea erat causa, & per participationem res per quas constituta fuit: & sicut anima receperat rerum semina, quæ supra illam sunt, sic omnia sensibilia quæ infra eam sunt, continet per modum causæ, nempe elementorum materialium, qualitates immateria-

 les,

les, rerum corporearum qualitates incorporeas, rerum distantium qualitates indistantes: intelligibilia autem recipit per imaginem repræsentationis, & formas nempe elementorum indivisibilium, divisibiliter, & uniformium multiformiter, & immobilium mobiliter: est ergo omnia, nempe superiora per participationem, inferiora, quæ sunt sensibilia, per formam exemplarem. Anima ergo in se omnium exemplaria continet, sensibilium imò & elementorum concretorum, sicut sensibilia aut elementa illa habebant in se imagines & umbras, quæ ante in anima fuerant; de quo Proclus egregiè notat in Commentariis super Euclidem: *Cunctæ res Mathematicæ, inquit, in anima prius fuere, & numeri qui ex se motum habent, fuerunt ante numeros qui ab aliis motum habent. Et figuræ vitales ante apparentes, Harmonicæ ante eas, quæ post formatæ sunt, & circuli invisibiles ante corpora circulariter se moventia: & horum omnium anima est plenitudo & ubertas, & ornamentum: & aliud est quod se producit, & per proprium principium est productum, seque implet vitâ, & ab opifice sine corpore facta est, & sine dimensione: & eodem tempore, quo qualitates suas rationales monstrat, scientias suas & virtutes apparere facit: igitur per has formas, anima accipit essentiam: neve est æstimandum numerum in ea esse multitudinem. Neque corporaliter Ideas rerum comprehendere debemus, quæ cum dimensione sunt; sed vitaliter & intelligibiliter, omnia exempla numerorum, figurarum, proprietatum, & motuum nobis apparentium.* Exempla sunt supponenda; sed in quantum diversa ista entia ad perfectionem universi ordinata, tot numeris, figuris, & proportionibus repleta, in unitate exemplorum hærere diutius non debebant: Sapientiâ Divinâ factum est, ut temporibus subjicerentur entia, & ut ad bene placitum suum progrederentur, ut sese extendere potuerint in Mundi Theatro, ex Elementorum suorum & seminum abyssis invisibilibus progredientia; tamen absque separatione à veris essentiis, proinde spiritibus ea vestiri voluerunt, sicut sunt corpora spiritualia, tandem ipsa corpora vestiunt, quibus Entium verorum umbræ & imagines deveniunt, quarum veros Characteres & exempla in animæ antea gerebant; & sic à prima puritate degenerantes, ex anima progrediuntur; & sese opificibus spiritibus involventes, quasi animæ nuntii fiunt. Dixi, *spiritibus corporeis, de quibus tandem corpora fiunt,* per scientiam hujus vitalis, & æternæ virtutis, cui continua est. Corpora vero ornata notis, donis, scientiis, & prædestinationibus horum spirituum opificum, qui quasi nexus sunt rerum visibilium & invisibilium, temporalium & æternarum, corruptibilium & incorruptibilium, superiorum & inferio-
rum,

rum, & qui unius & alterius naturæ proprietates monſtrant, licet purè & exactè, nec unius nec alterius conditiones repræſentent; remoti autem ſunt à puritate, ſtatu & æternitate ſuperiorum; & ſæpe conditionem inſtabilem inferiorum mutuantur ſpiritus hi; licet in initio indiviſibiles ſint; tamen principia & Elementa corporum in ſe continere non deſinunt; ſicut etiam & hi contenti ſunt in principio vitali generationis; quod huic ſpiritui vim agendi, & res corporales & viſibiles producendi tribuit, & ex inviſibilibus Elementorum Intellectualium Theſauris: qui quidem ſpiritus rerum inviſibilium fructus ſunt: & corpora, quæ quamvis invicem ſe ſuſtentent, languerent tamen, & deficerent, niſi ex fæcundis Elementorum vitalium abyſſis, novam ſemper generationem aggrederentur; & corporibus ex his Theſauris, quod neceſſarium eſt tribuerent; corporibus enim jam formatis accrementum cognitum perficiunt, & diverſitatem corporum non proportionatorum, ſignis accommodant; uni odorem & calorem, aliis ſaporem tribuunt. Secunda corpora, quia à ſpiritibus opificibus maximè ſunt remota, nexu indigent, ut jungantur, & ut per hanc continuitatem legibus gubernationis ſubjiciantur, & per conſequens vita fruantur: quæ vincula inter corpoream & incorpoream naturam ambigunt, tamen ſunt corpora, ſed ſpiritualia, & ſpiritus ſed corporei. Et hujus naturæ corpora, quæ maximè ad ſpiritus hos opifices & Archetypos, & rationes ſeminarias accedunt, fuerant jure merito à Philoſophis nomine primæ materiæ appellata: ex qua elementa principia corporum fiebant, rationibus iis & principiis ſeminariis rerum conformia, ad imitationem omnis creaturæ. Sed principia hæc in generationis circuitu ſincerè cuſtodiri debent; quoniam nutrimentum, augmentum, & omnium rerum mixtio inde veniat: partes autem in eorum ſervitia deſtinatæ, præcipuè erant neceſſariæ; & tales partes erant Elementa in duas ſeries diſtincta; in fixa nempe, quale erat ignis, & volatilia, ut aqua. Et quia in initio generationis omnia erant ſpiritualia & unita, oportuit ut Elementa eſſent ejuſdem naturæ, ut officio fungerentur partibus ſpiritualibus. Hippocrates hanc ſeminis unitatem agnovit, cum dicit: *Nos ex duobus principiis aut Elementis conſtitui, Igne ut Elemento fixo; aquâ, ut volatili: ignis*, inquit, *movet omnia; & aqua nutrit*: multa enim hic uniuntur, quæ ſenſus decernere vix poſſunt; ſunt rationes ſeminariæ, ſunt principia, ſunt & Elementa corporum; ſic mediante unitate, omnes hos loquendi modos admittimus; de ſolo ſemine naſcimur, tamen ex quatuor elementis, igne

& aqua, aëre & terra; sale, sulphure & Mercurio; tria ultima licet unita fuisse videantur, sub nomine firmamenti quintæ essentiæ Elementi cælestis (& ita etiam intelligit Hippocrates, qui animam appellat, propter eorum facultates in anima contentas) alibi tamen etiam appellavit θερμὸν calidum; sicut in libro de carnibus, & de Diæta, sæpe vocat πῦρ, id est ignem: & illa tria principia in natura unita, sub aliis nominibus proprietates suas sine confusione retinere videntur, per quas semen quod fæcundum est, continet elementa corporum quæ qualitates elementorum domesticorum obtinent, secundum scientiam animæ vitalem; tunc firmamentum & quinta essentia, & aër, officia Architectonicorum eorum complent, per conspirationem quandam vitalem & absconditam. Similiter elementa inferiora, nempe aqua & terra, omnia per nutritionem sustentant, ipsis conformem, & hæc omnia adminiculo corporum spiritualium. Et sic per generationem omnia corporis officia obeunt; & quantum spiritus crescunt, per mixtionem continuam, distantiæ, separationes & divisiones donorum ipsis adveniunt, & nutrimentum copiosius & crassius accipiunt, impuritatibus commixtum. Proinde post spiritum & scientiarum separationem, omnes partes conformatæ & appropriatæ, scientiis illorum conformes sunt. Et primo spiritus opifices, elementa & principia corporibus familiaria sumunt, id est talem ignem, talem aquam, talem aërem, talem terram, talem salem, tale sulphur, talem Mercurium; talia qualia prædestinationibus, officiis & scientiis respondere possint: ex quibus generantur primo corpora spiritualia, id est calores, frigora, humiditates, & siccitates: colores, sapores & odores; quales sunt in scientia prędestinata, à spiritibus, quæ omnia mixta & augmentata, per alimentum assiduum, paulatim spirituum naturam linquendo corpora generant; usque dum tandem se tangi & separari sinant à manibus artificis: ex his principiis duo corporea & visibilia sunt, sal & sulphur; sal fixum, & sulphur volatile; tertium est spiritus, fluor aut Mercurius; qui nec ex se fixus aut volatilis est; sed semper corpore fixorum aut volatilium coopertus; propter quod medium inter illa tenet: cum fixis enim fixus est, si fixa volatilia superent; cum volatilibus, volatilis; si volatilia fixa superaverint: continet enim scientias & potentias distantes extremitatum distantium; & aliorum necessitati satisfacere potest, quia unitati (hoc est quia rationibus & spiritibus opificibus) proximior est. Ideo prædestinationibus plurium partium diversarum satisfacere potest, quæ ab unitate des-

descendunt; Mercurius Terræ perspicuitatem largitur; sali saporem; aquæ fluiditatem; sulphuri odorem; & tandem calor volatilisat salem, & acidum reddit; sulphur ab aliis elementis separat, per fermentationem, & naturam crassam, in subtilem reducit; tandem omnium elementorum vinculum est, ut per continuitatem suam sibi ipsi serviat, in mixti conservatione; & res similes ideis & exemplaribus reddat. Per causam suam à priori describitur: *esse effectum aut productum, & proximum instrumentum animæ, per quod animæ quæ corporis gubernationi destinantur, vitæ & mortis actiones exercet*: sed ab effectu, sive à posteriori dicitur: *Spiritus corporeus, invisibilis, astris similis, accensus, sublimatus, in actum redactus, sapore acidus, odore sulphureus, & virtute penetrante; tandem trium principiorum corporis proprietatibus dotatus; quibus actionum causas tribuimus.* Plures sunt spirituum differentiæ; alii opifices vocantur; ut distinguantur à fumis & vaporibus; & quia scientiam rerum faciendarum habent, Hippocrates scientiam hanc, Naturam appellavit; quam dicebat esse, ἀπαίδευτον, hoc est à nullo edoctam: alii affinitatem cum corporibus magis strictam inierunt; & inde corpora fiunt crassa & gravia: alii cum spiritibus subtilioribus commercium habent: alii puri, alii mixti; alii proprietates salis habent; alii species sulphuris, alii Mercurii repræsentant. Actiones etiam & impressiones spirituum differentiis respondent: corporei enim tantum partibus corporeis & per saporum proprietates agunt; alii in ventriculo & in intestinis impuritates sulphureas resolvunt; & per consequens eas quæ vomitui & dejectioni destinatæ sunt, foras expellunt: alii cum corporibus gravioribus nullam affinitatem habent, imitantes tincturas, impressiones & actiones, colorum, luminum, & saporum subtilium; & tales clarificant, consumunt, purgant, resolvunt tincturas subtiles; & impuritate & volatilitate & penetratione facili dotati, jungunt elementa vitalia, & omnia corpora, ut actiones facilè distantibus, & remotis imprimant, juxta rationum scientias, ex quibus ut à radicibus, & custodibus sunt progressi.

## ARTICULUS VII.

### *De Septimo Elemento Radicali; De Materia.*

SÆpius ex præcedentibus patuit, Entia perfectiora intus, & in unitate conservare, quæ imperfectiora in multiplicitate, extra disgregabant. Idcirco inter prima Entia creata quanto proximiora fuerint primæ causæ, eò ad stabili-

bilitam primæ causæ naturam maximè accedunt, & magis ad pulchritudinis participationem; & quanto plus descendunt, per productionem ad extra, tanto magis debilitantur; & ad instabilitatem, & ad non verorum Entium multiformitatem accedunt, ut monstratum sæpe fuit, causam primam productivam plurium fuisse; nam si unum non produceret nisi unum, idem esset effectus & causa; & sic nulla eorum esset varietas, sed unum primum existens, non tantum unum, sed unomne oportebat producere, in se, sed plura extra se; effectus enim idem non potest esse cum causa, sed similis & dissimilis: unde fit ut res divisibiles à principio indivisibili proveniant, corporea ab incorporeo, instabilia ab instabili, materialia ab immateriali, multiformia ab uniformi, distantia ab indistanti, mixta à simplici; sed à tali simplici, quod idem semper manet; & per essentiam, per vires, per actiones; & sicut proprietates unius erant producere unum; & id unum, quà unum non poterat producere ex se, tanquam à natura sterili; oportuit ut hoc unum per aliam facultatem habuerit proprietates producendi, nempe per bonitatem; quæ fæcunditate & entium sufficientia plena fuerat, pro sua ipsius conservatione; & aliam sufficientem fæcunditatem, ut producat omnia extra se; & quia productio tot entium similium, & dissimilium suis causis, hærere debebat in ultimo termino & limite, quo author naturæ ordinaverat, ut universum hoc circumdaret & intus penetraret, per effectum dissimilium & oppositum primæ causæ; causa quippe prima existens, unum & plura indivisibiliter, immaterialiter, incorporaliter, indistanter; oportet ut postremum productum faciat unum divisibiliter, corporaliter, & distanter: & ut primæ suæ causæ, maximè dissimilia, in unitate sua congregabant, quæ ultimo in multiplicitate multiformi erumpere debebant; in profundo seu centro suæ causæ excellentissima quæque artis suæ exemplaria abscondit; sicut in circumferentia vilissima, exponit; & ut ait Galenus lib. 2. de usu partium; sic causæ secundæ ab exhausta plenitudine, per extensionem rerum creatarum in circumferentia cessantes, per consequens ab ulteriori progressu ad extra, à motu etiam cessare debent; progressio enim & accessus motus sunt, & motus actio; & ultima hæc actio extra essentiam existens, agere cessat; & ubi non est actio, ibi passio dominatur; & ubi passio est sine actione, ibi non sunt vera entia, sed entis imagines; cum ens definiatur esse, quod agere & pati potest: & hæc passio desiderium est; & desiderium hoc indigentiam denotat sui objecti, & deficientia hæc inter desiderans & desideratum appetitus est; & omnis appetitus à sensu boni provenit, sicut odium à sensu mali; & cum desideratum pulchrum exi-

existat, & pulchritudinis flos, (ut habetur in convivio Platonis, nempe sublimitas divitiarum, sapientiæ & scientiæ Archetypi, in se vias incomprehensibiles desideranti continens) à desiderante appetitur; & ut à terra vacua & sine forma, ob indigentiam causæ rapitur, ad id quod repleri debebat; & ita circa circumferentiam entium sphæræ hæret, ut ex multiformi continuitate punctorum à centri puncto radicali & invisibili incipientium, tum per puncta omnium circulorum concentricorum, peripheriam terminantium, tot lineas radiales, numero statueret, quot puncta in peripheriis designata deprehenderat, ut tot superficies in unum colligeret, quantum numerus linearum permitteret, ut tot profunditates per omnium texturam solidam, tam intus quam foras conspirantes produceret, quantum superficies suppeditarent, ut unitatem exemplorum imitarentur, & spatium finitum pro corporibus locandis impleret, & sphæræ solidæ formam pro desiderantis modulo astrueret, dum immaterialia materialibus, in corpora & incorporea corporibus, invisibilia visibilibus, per contactum nempe plurium circulorum infinitum spacium, ut unitatem, & radialium, ut finitum & multiformem repræsentantium; & nisi ex omnium horum in isto ordine, (utpote punctorum, linearum, superficierum, profunditatum, circulorum, radiorum) sese invicem transeuntium, & intersecantium interventionem, non acciperet hoc finitum, non evitaretur vacuum, sed omnis entium continuitas ad terram inanem & vacuum rediret; & quod vacuum impedit, spiritus Dei est, qui & amoris est; qui ferebatur super aquas, jungens vires, potentiam, & primorum entium actiones materiæ, seu ut contineat, & extendat circa partes remotiores à circumferentia; & ut nectat minima puncta, lineis radicalibus, & usque ad terminum quem opifex universi judicat necessarium; ut corpora & sensibilia ab incorporeis & insensibilibus distinguat: & æquum est ut ordo talis observetur, omnia enim ex partibus composita, ut sunt puncta, vinculo indigent, ut in unione debita retineantur, ad producendam continuitatem corpoream & vinculum: id in se continet virtutem congregandi & partes definitas, materiæ comprehendendi, ut eas fluidas per partium continuitatem reddat, ut omnia aquæ fluorem repræsentent; quæ quasi indigens & desiderans, ut principium fæmineum in sacris literis, tenebras super faciem abyssi repræsentant; quæ quidem vivificata per virtutem, potentiam & actionem, & adumbrationem, & reduplicationem primæ suæ causæ fuerat; quæ & cubabat & impraegnabat hanc materiam, mediante hoc nexu; sine quo hæc materia, per se deses & extensionis capax non esset, ut corpora compingat; nec

ut

ut pulchritudinem & unitatem desideratam deformi multiformitati desiderantis jungat; nam inter duas extremitates oportebat esse medium, & medium hoc jungit extrema, hoc est se sustentantia; qualia sunt entia aliorum non indigentia auxiliis; quæ iis, quibus omnium rerum opifex ea ad se convertens utitur; & ne in nihilum vertantur, impediens: & istius naturæ sunt incorpora, in mundo Archetypo, ideæ, unitates, essentiæ, vita, intellectus, & anima; alia sustentata, sive alistantia, quæ directè videntur opposita se sustentantibus; & istius generis sunt corpora, & corporea incorporea, qualitates & quantitates, quæ corpus appetunt, pro sustentaculo; & corpus hocmet spatium exigit, ubi locari possit, & materiam, circum circa quam forma se extendere posset; & duo hæc invicem opposita medio indigent; quod esse non potest nisi productum animæ, ut & spiritus universalis; & singula istorum entium genera in se suam essentiam habere debent, virtutem & actionem; sic materia quæ non est in se, sed in alio; nempe extensa & sustentata per naturam, habere debet etiam potentiam & actionem, ex alio scilicet; ex natura, ut agere per potentiam naturæ posset, & spiritus corporibus infusus: & cum hæc materia ut & res corporeæ sint ad agendum impotentes; etiam se salvare non possent, & si se salvare nequeunt, se continere non poterunt: oportet ergo ut conserventur & contineantur per aliquid aliud; quod non posset esse nisi incorporum, super totum suum extensum; si enim illa extensio deficeret, per aliquam materiæ partem, sic etiam materia & corpora deficerent; ut ergo salventur omnia, oportet ut salvatorem extensum, super omne habeant; & si ubique & undique oportet ut spiritus is extensus sit ipsemet interius & exterius; & salvator ille Natura vocatur; quæ nihil est aliud quam virtus & sapientia Divina, & infinita, agens in hæc inferiora; & qualitates quas fluere facit, in materiam deferens, quæ sunt lumen, calor & fluor; quibus partes materiæ se simul continere possent ad corpus formandum, calor ad faciendam viscositatem, ut invicem amplexentur, ut in unitatem contineantur. Et actio hæc duorum concordans sympathiam producit, sicut discordans dyspathiam, assympathiam, & antipathiam, per hujus viscositatis dissolutionem, nisi in actione sua per aliud contineatur; & hæc fomentatio facta est per fomentantem; & fomentatione hac cessante fomentatum esse cessat: ideo quod continuo fomentat, virtutes inexhaustas habere debet, quod corporibus non tribuitur, sed incorporo. Hoc incorporum est spiritus universalis mundi; & dividitur in septem ordines entium, seu elementorum radicalium, qui originem à causa prima sumit; ex qua omnia prima creata fuere. Spiritus is universalis

ab

ab anima universali provenit; & locus unde hæc anima venit, à Platone & Platonicis crater vocabatur; & crater fons animarum vocatur. Ideo Socrates in Philæbo dicebat; Jovem in se regiam habere animam; quam multi animam fontanam & originalem appellabant: Socrates regiam appellabat. Omne enim quod se movet, (uti inquit Socrates) vocatur fons, origo aut principium motus, respectu istorum quæ ab aliis moventur: & sæpè particularis animarum virtus comparata cum Archetypo universali, fontana appellabatur, aut originalis; quia virtus animæ inde egrediebatur, quasi ex fæcunditate causæ; & quemadmodùm creator aut causa prima, causa paterna respectu procreationis animæ dicebatur; ita & crater, unde fluit hæc anima, fæcundum est quid, & locum & ordinem tenet Matris, ut produceret ex causa prima id quod in lumen extra se profert; sic omnia quæ prima causa increata facit paternè; crater aut fons facit maternè, per virtutem productricem ipsis animabus propriam; sic intellectus fons particularis animæ existens, oportuit ut anima fons esset particularis spiritus aut formæ. Et spiritus is esse debuit fons, origo & crater materiæ, ad conservanda principia generationis omnium quæ natura accepit ab anima prius, & in ipsam insereret. Et in actionibus, & receptionibus illis, tria sunt consideranda; unum productum, quod productoribus assimilari debet; productor ex quo productio provenit, Patris vicem obtinens; & locus, ubi productio illa continetur, continuus est & locum matris tenens. Sic anima universalis mundi, erit productor, & Pater; spiritus, forma, aut natura universalis, locus productionis, & materia prima erit productum, simile & dissimile, productoribus. Simile animæ, quia sicut animæ recipiunt formas intellectuales ab intellectu, sua causa; sic materia recipit formas corporeas à spiritu, sua causa, similis animæ: quia sicut anima formas intellectuales ab intellectu uniformiter habuit; materia recipit formas naturales modo multiformi, & animæ dissimili: & sicut anima ex fæcunditate sua, spiritui, effectui suo ad producendum tribuit; (materia sterili existente, & in ultimo causæ suæ gradu dissimilis est; quia sicut anima est actionis plena, & parum passionis habet, materia nullum actum habens, sed plena passionis) sic spiritus vim habet continendi, conservandi, & extendendi; circa materiam & multitudinem materialem, ut ad unitatem immaterialem reducat; materia extensionis est incapax, nullam continendi vim habet; etiam ultimus continentium est spiritus, sicut materia ultima contentorum; spiritus proximus uni Entium multitudinem à se repellit; quanto magis materia ab uno est remota, tanto magis multitudinem excitat. Spiritus progredientium ultimus. Materia

ria ultima eſt cui progreſſio deeſt; ſpiritus ad cauſam convertitur, ut vim & virtutem materiæ tribuat; materia non niſi appetitum ſimplicem ad cauſam convertendi habet; tandem materia eſt contenta, aſſumpta & retenta per ſpiritum univerſalem unitatis ſuæ cauſam, ne vacuum interveniat, quod diſſipare, determinare & deſtruere materiæ continuitatem poſſet. Et ſpiritus is poſſet cælum intellectuale materiæ nominari. Quemadmodum enim cælum viſibile, ut ait Timæus, nectit undique & in ſuo ſinu vires continuitatis, cohærentiæ, ſympathiæ, & familiaritatis in ſe continet Elementa, & ſicut hujus cohærentiæ jactura violat & corrumpit corporum ſympathiam; ſic cælum intellectuale, per circuitionem aſtrorum multitudinem nectit in communione & continuitate. Et intellectus aliter iſtius cauſæ participat, & aliter anima; & aliter cauſa corporeis & corporibus ſeſe communicat; & per directam connexionem, intellectus eſt individuatus; ſed anima per minorem & inferiorem connexionem aggregata & indiviſiva eſt; & diviſiva & per menſuram adhuc minorem & inferiorem menſionem aut proportionem loci: corpora licet hypoſtaſim diviſibilem habeant, tamen non deſinunt continuata, & una manere, ne diſſipentur, & ne in nihilum redeant; & oportet ut perfectio illa quæ unanimis, una & omnis eſt, ſit ante eam quæ diviſiva eſt; & illa quæ ſtabilis eſt, ante eam quæ mota eſt. Sic Deus, per formam ſuam ſimpliciſſimam & maximè unam, continet & cognoſcit in ſe omnium rerum cauſam; & omnia in ſe facit: & cognitio illa originem rerum faciendarum, ab ipſis rebus non ſumit; ſed de propria ſua forma, per quam omnia in ſe movet, & propriè res non creavit in ſe, ſed extra ſe poſuit; & hæc à Theologis in quatuor gradus diſtinguuntur; nempe in naturam Angelicam, in cælum Empyreum, materiam, & tempus: ſed per hanc diſtinctionem facile defectum magnum cognoſcere poſſumus; cum mundus, cælum, terra, lumen, Firmamentum, aqua, & alia mentionata in Geneſi, non comprehendebantur; ſed ut defectum hunc evitemus, oportet res dividere extra profunditatem divinitatis poſitas, in quatuor gradus; nempe omnia Entia, ſive ſint incorpora, aut incorporea, corpora aut incorporea corpora, aut corpora & entia; hæc jam effluxa ex profunditate paterna, ab aliqua materia facta, concipi non poſſunt; nec prima, nec ſecunda: quæ arti ſubjici poſſet, aut fabricationi alicujus Archetypi; & ideo de nihilo dicuntur facta. *Antea enim omnia in prima cauſa erant, & ab ipſa, & per ipſam, omnia facta ſunt*: ut ait Sanctus Paulus. *Omnia in eo facta ſunt, ſive in cælo, ſive in terra, viſibilia & inviſibilia, & omnia per ipſum facta ſunt, & in ipſo & de ſe & per ſe, & omnia in eo ſunt, & omnia ab ipſo fluxa ſunt,*

*sunt*, per verbum: dixit enim & facta sunt; sicut enim verbum ex ore egressum est, omnia de ipso, & ex ipso egressa sunt; & dum verbum ab ipso egreditur, non est amplius quod erat ante in illo; cum ab unitate & uno sit separatum, ut fiat multitudo; & hujus multitudinis principium solus Deus est, & factor ejus, qui eam extra se posuit, non in confusione imperfecte; quia confusio magna imperfectio est; sed per ordinem, & non unum super aliud effudit, nempe exponendo primo incorpora, secundo incorporea corpora, tertio corporea incorporea, quarto corporea omnino: & per hæc clare primæ materiæ natura patebit, quæ non est, ut ajunt Peripatetici, materia, nempe informis, non figurata, non qualificata: & sane si talis materia imaginari posset; oportet ut fuisset coæterna, & coæva Deo factori, aut facta ab eo: & sic veteres omnes tenent, præcipuè Hermes, qui ait: *licet dicas essentiam, materiam, corpus, scias tamen ea esse effectus Dei*: quem textum Jamblicus, Platonicorum maximus, citat, ut ait Proclus; & omnis hujus tractatus doctrina affirmat; & sicut profari poterit, ut sequitur, hæc materia prima, aut nihil omnino est, aut aliquod ens, aut medium inter ens & nihil; ut voluit Aristoteles; si materia est nihil, nihil est non ens; & si non ens, productum est à Deo: in eo enim omnis res, & entia erant, & non entia: Entia ex se manifestavit, & non entia in ipso retenta sunt; ut ait Hermes: at materia hæc ens est, & à Deo productum esse debet: omnia enim entia ex se producit; & si sit aliquid inter illa duo; nempe ens & non ens, pars una istius esset extra Deum, & pars in Deo esset retenta: si similiter Deus materiam non habuisset in se, oportuit ut fuisset impotens, aut ignorans, aut quia non voluit: sed ista fieri non poterant, cum ipse perfectus & bonus sit; & si aliter fuisset, non fuisset omnium author nominatus; oportet ergo dicere, materiam ex qua corpora facta sunt, fuisse corpoream; eamque qualificatam, formatam, limitatam, mensuratam, & à Deo creatam; certè quæ posuit in creando extra se, in creando ex nihilo, ex nulla materia coæterna, & coæva Deo, sed ex bonitate sua, nempe ex Patre: quia enim bonus est, Pater est; & quia Pater est, principium est; & quia principium est, causa est omnium; & omnium causa Deus est, & omnipotens: & ut Hermes testatur, duo nomina illa ipsi conveniunt, nempe, Deus & bonum: & si aliquis quærat, quid sit esse Deum, quid esse bonum, Hermes declarat; si enim petamus quid sit bonum, respondebit, quia natura Dei est esse bonum; & si quærat, quid sit bonum; respondebit, id esse quod tribuit omnia, & nihil capit: Deus ergo omnia tribuit, & nihil accipit. Sed petatur, quid tribuat; respondendum, ipsum omnia facere; quippe facto-

 rem

rem esse omnium; & esse bonum: & alibi ait, Deum non posse vivere nisi bene faciat: & causa finalis movens voluntatem ejus, ut benefacerer, erat, ut cognosceretur & manifestaretur; quod patet in omnibus; inde inferenda gloria ejus erit, secundum Johannem Apostolum, *Dignus es, Domine Deus noster, accipere gloriam, & honorem, & virtutem; quia creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* Et ut nunc hanc finiamus doctrinam, breviter referenda ea quæ dicta sunt, ad probandum materiam fuisse creatam; dicendo Archetypum universi, omnia facere, per suum esse, & qui per suum esse aliquid facit, imaginem suam producit; cujus materiæ pars esse debet. Deus ergo producendo universo Mundo imaginem suam expressit: & si id verum est, oportet ut omnes exemplares habuerit formas in se, antequam produceret extra se; imò & materiam quasi hujus imaginis partem, & formæ illæ exemplares in Deo per Sanctum Dionysium rationes substantificæ rerum dicuntur; & Sanctus Augustinus Capite 15. libro 5. Geneseos explicans locum Sancti Johannis, *quod factum erat in ipso, vita erat*; dicit, quòd in hac vita omnia vixerunt, dum fuerunt; & sicut vixerunt, ita fuerunt; non vivens tamen sibi, sed in se etiam omnia numerabat, quæ faciebat; & si numerabat, & videbat: visio hæc autem erat cum visione Paterna; sicuti ambo non sunt nisi una substantia; & verbum ipsemet existens in Deo; *& verbum erat in principio*; & principium hoc à Divo Thomâ explicatur, Geneseos 46. primæ partis;pro Filio; sicut enim effectuum principia Patri appropriata sunt, propter potentiam suam, sic principium exemplare appropriatum erat Filio propter sapientiam suam, ut esset conforme huic, quod dictum est, *omnia in sapientia fecisti*: & sic intelligitur, Deum fecisse omnia in principio scilicet in Filio: secundùm id quod dixit Apostolus ad Colossenses, *quod omnia in ipso facta sunt*; nempe in Filio; & Filius Spiritui tribuebat, opifici omnium rerum proximo, Patri, & Filio consubstantiali, compotenti & æquipotenti: & si compotens, & omnipotens, cooperarii fuerunt, & coëfficientes, habentes essentias, potentias & actiones, sic unitas, ut eas separare sit impossibile: ubi enim est essentia, ibi & potentia, quæ nihil est aliud quam extensio & professio essentiæ. & de hac sapientia mentionata est in proverbiis Salomonis, *quòd sapientia ædificabat domum suam*; & aliis locis in sacris literis: *unde est sapientia inventa, & quo loco mortales hanc scientiam ignorabant, & non reperiretur inter homines*: & paulo post ait, *intelleximus gloriam ejus, potestates & dominatus: fecit enim & finivit omne quod sub cælo est*;

*est; scivit & fecit omnia, quæ in terra sunt, nempe flatus ventorum*, & omnium rerum mensuras, vidit dum fecit, secundum quod videtur: manifestum ergo est, ut ait Sanctus Augustinus, omnia fuisse in notitia factoris, antequam ab eo fuerant facta; & id modo longe certiori & firmiori quam in rebus factis. Si ergo omnia quæ hic in Mundo videmus, facta erant; credendum est ea per formas exemplares, facta fuisse ante, in intellectu facientis, facta erant, & si illa in mente aut intellectu facientis, oportet etiam ut extra per formas exemplares, inveniantur; non possemus autem concipere exemplatum absque mensura, & proportione ad exemplum; sed si sit mensura & delineatio in exemplo, oportet ut modo stabili ibi sint, & indistanti, incorporeo, immateriali; & si sit in supremo Entis gradu, oportet sit multiformiter, instabiliter, distanter, corporaliter & materialiter in infimo: & sicut primi Entis gradus continere, actuare, & informare, ultimos debet; oportet etiam ut gradus hi oppositi connexi esse debeant, mediantibus pluribus Entium mediis; suprema ergo per media maximè oppositis convenire debent, per sympathiam proximam causæ suæ; sicut infima & media Entium minimè oppositis convenire debent, nisi per sympathiam effectuum; sic omnes effectus naturæ, ab anima centrum sumunt, quæ affinitatem & similitudinem ab essentia, vita, intellectu, & anima per participationem habent, & donant similitudinem; sicuti participatum ad naturam: & spiritus donat qualitati, & qualitas materiæ, & omnium Entium numerus ad unum, in unitate animæ universalis reducuntur; quæ virtus est divina, infusa, & extensa per omnia creata: & virtus hæc non diversificat nisi secundum gradum proximitatis, & longitudinis causæ primæ: & hujus differentiæ gradus Entia distinguit, per diversa nomina; licet omnia creata non sint nisi unum, & id unum creatum est, & ab Ente increato sustentatum, cui nulla potentia, nulla actio deest, nec deerit unquam: fuit enim & est, & erit omnia æternè, & potuit, & potest, fecit, facit & faciet omnia, conservat & fomentat omnia, & omnia ab ipso dependent & dependebunt. Ideo quidam veterum bene respondit, interroganti quid Deus ageret? respondens dixit, Geometriam perpetuam exercere: cujus dictum ita conforme est Platoni, dum dicit Deum modo conservare quod fecerat, & intelligere facit, quod intelligebat, & vivere quod vivebat, & movere quod moveri debebat, inspirans vitam, intellectum, animam, spiritum, & omnibus materiam tribuens.

Absoluta igitur doctrina de septem Entibus aut Elementis radicalibus, ut

ut uno quasi intuitu illorum notio mentibus legentium hæreat, illorum proprietates essentiales, quam brevi possum compendio, in unum colligam, dicendo:

*Quod Ens sit plurium occultarum facultatum in unitatis potentiæ infinitæ sinu collectio, & per finem limitatio, Entis increati primus effectus, causas multorum effectuum agentium & patientium post se distribuens, & ad se denuo convertens, ut separationis causam non solum addiscant, sed ut jussa accipiant, quibus naturæ faciem absolvendam, multiplici rerum faciendarum ornatu divitem, tum exemplaribus causis simillimam constituat.*

*Essentia est primum momentum, quo Entis actio & passio unita in causa, sese in causatum ex potentia in actum explicare intelligitur, producens vitam.*

*Vita est progredientis essentiæ effervescentia, actionum & passionum intelligibilium prima explicatio, per quam producitur intellectus.*

*Intellectus est luminum intelligibilium in vitæ prima explicatione, coruscatio producens animam.*

*Anima est explicatio rationum corporis, per quam se & corpora à se producta deinceps ita movet, sustinet & dirigit, ut spirituum formæ seu naturæ prima rudimenta substituat.*

*Natura, forma, seu spiritus est instrumentum primum animæ, quod producit, movet, extendit, limitatæ infinitæ potentiæ vim: & à spatio infinito distinguit, ut subjectum capax constituat pro materiæ delineatione aptissimum.*

*Materia est ultima infinitæ potentiæ hypostatica receptrix, & per finem limitatio: unde appetitu innato, in veritatis suarum causarum adipiscendi apicem allecta, ascendit ad causas & rationes rerum distantium indistanter, divisibilium indivisibiliter, corporeitatum incorporeâ ratione colligit, ut spatium pro rationibus seminariis & corporibus concretis aptum extendat, & virtute suarum causarum constituat.*

ANACE-

# ANACEPHALÆOSIS

## CAPITIS VI.

## De Seminibus.

*Semina sunt vincula utriusque naturæ visibilia invisibilibus conjungentia, in quibus motuum leges, temporum prædestinationes, generationum, & transplantationum liturgiæ & universæ mundanæ Anatomiæ dispensationes, continentur, tanquam in vitalibus potentiis, incomprehensibili sapientia decoratis, quorum summa infimis conjunguntur; & totius naturæ sympathia custoditur; ex quibus sapores, colores, odores, & qualitates vitales, omnes quantitates numeri, conformationes, & signaturæ cæteræ, in Mechanico generationum & transmutationum processu procedunt.*

## Hujus textus Analysis Logica.

PEr semina hic non intelligit semina siliquis induta, sed causas specificas; spiritalia quippe corpora, & corpora incorporea, quasi genera subalterna speciebus individuis proxima, hoc est vincula, inter incorporum, ut genus generalissimum, & corpus ut speciem individuam, quasi vitam cum morte ligantia; in quibus dispensationes totius *mundanæ Anatomiæ* hoc est partium Organicarum integrantium, similarium aut dissimilarium Mundi deprehenduntur: quæ per *motuum leges temporumque prædestinationes ordinate & scientificè, in generationum & prædestinationum liturgia progredientes conficiuntur.* Per *liturgias* intelligit diuturnas & consuetas administraturas rerum naturalium. *Tanquam in vitalibus potentiis*: per potentias vitales intelligit qualitates essentiales, quæ sunt ante corpora; & quæ corpora etiam conficiunt; & quæ incorporo prorsus inhærent, quæ nec abesse nec adesse possunt absque subjecti interitu; & proinde non sunt categoricæ qualitates; sed supra illas; & tales sunt potestates transcendentales: proinde eas vocat vitales potentias. *Incomprehensibili sapientiâ decoratas;*

*tas*; intelligit per ſapientiam, benedictionem divinam, quam ſummus Creator ſingulis rebus verbo ſuo dixit, indidit; quo voluit ſingula fieri, ea quæ voluit: & ab hac ſapientia proveniunt ſpiritus mechanici, ſeu artificioſi; qui mirabili illa arte Bezeleëlis inſtructi ſunt, ut ſingula juxta exemplar Mandati Divini ſe ſe explicent; ex quibus ſapores; & per ſapores, & ſimiles qualitates, non intelligit quatuor qualitates ſimplices, ſed eſſentiales, & conſubſtantiales, ſubjecto quarto modo inhærentes: hiſce igitur ſublatis difficultatibus, facilè ad reliqua dabitur tranſitus; modò ordine legitimo, hoc eſt à principio ad finem, legantur omnia, quæ antehac à me tradita fuere.

## *Enucleatio Capitis de Seminibus.*

Dicit author, Elementorum naturam abſque ſeminum cognitione non poſſe adipiſci; quia ſemina Elementorum officia explicant; ſimili modo atque Elementa, utpote radicalia, naturam ſeminum implicant: nam effectus qui implicitè & occultè in Elementis, ſicut in cauſa prius latebant; explicitè & manifeſtè in ſeminibus, ſicut ab effectu declarantur: & ſicut per Elementa, non hæc noſtra vulgaria intelligit, ſed ſeptem Entia radicalia, ſeu incorpora ἀυτυπόστατα dicta, & concretorum Elementorum cauſæ: eodem modo per ſemina, non ſemina ſiliquis induta intelligit; ſed ſpiritualia (quæ incorporea ſunt corpora, & corpora incorporea) ita deſignata, quo magis vel minus ab incorporo ad corpus ut Elementorum Radicalium effectum inclinant, vel declinant, conſiderabilia. Neque ab hoc vocabulo *incorporo*, ut barbaro, abhorrendum; abſque hoc enim vocabulo oppoſitorum, per antitheſin, natura non explicaretur: nam alioqui uno dato in eodem generè, alterum non daretur; incorporeum enim non explicat plane naturam corporis ex antitheſi oppoſitam: poteſt enim applicari incorporeum tam bene accidentibus, poſt corpus, quam accidentibus ante corpus; nam media quidem ſunt inter incorporum atque corpus; & hoc medium tale eſt qualis fuit aura illa, qua efficiebatur puer ille epilepticus, à cujus pede per fibras, crura, ſpinam, ad cerebri arcem aſcendebat: cujus auræ formulam Quintius, Galeni Præceptor, mole dicebat exiguam fuiſſe, ſed poteſtate maximam: & hoc medium incorporeum, ſi ad corpus magis declinaverit, tunc dicitur corpus incorporeum; ſi verò ad incorporum, incorporeum corpus vocabitur. Itaque cum hic

quæ-

quæstio sit de rebus, & non nominibus, spernendæ sunt vocum elegantiæ, & Grammaticulis relinquendæ: nomina vero quæ rerum explicationi inserviunt, juxta mentem artificum introducenda, & rebus explicandis appropriandæ erunt. Hæc igitur duo opposita, *incorporum* & *corpus* explicabunt naturam spiritualem seminum, quam author noster vocat vincula, conjungentia incorporum & corpus: invisibilem nempe Elementorum Entium Radicalium, & causarum naturam, cum visibilibus seu sensibilibus & concretis nostris Elementis, ut effectibus. Et hoc medium, & duo opposita, tres ordines vel classes rerum constituunt, ordinem, nempe septem Elementorum, incorpororum, seu entium radicalium, ut sunt; *Ens*, *essentia*, *vita*, *intellectus*, *anima*, *natura*, *& materia*, ut primæ causæ productrices effectuum, quæ faciunt secundum ordinem septem seminalium rationum, sicut videntur in sphæra Entium Radicalium, quarum qui origini sunt proximiores, *incorporea corpora*, qui remotiores *corpora incorporea* vocentur: tertius vero ordo erit principiorum hypostaticorum corporis, nempe Mercurij, Ignis & Aëris, Salis, Sulphuris, Terræ, & Aquæ: quorum tria prima sunt incorporea; quatuor verò ultima, prorsus corpora concreta & sensibus obvia: & hæc intermedia vincula, vocantur qualitates essentiales & potestates, astra; sed cave tamen, ne arbitreris hic per astra intelligere stellas cæli, authorem hunc; sed fructus Elementorum Radicalium; nec tales potestates, quarum ministerio substantias componi, mensurari, & justis legibus confluere voluerint Peripatetici; sed intelligunt illi aliquod principium vitale, scientia instructum, formam, speciem, semen, astrum; cujus potestate & ex infallibili scientia Divina, mixtionis officia administrantur; qualia sunt semina quæ ex Elementis aut Entibus radicalibus, quasi ex orto in lucem, à causa ad effectum prodeuntia, principia & exemplaria sua imitantur; dum Elementa concreta & corporum principia, sibi ipsis similia & domestica constituunt: eaque ponderibus & mensuris solæ scientiæ illorum notis proficiunt; eaque faciunt, non corporum mutua appositione (cum adhuc spiritalia sint) nec dimensionum legibus subjectione, nec qualitatum vulgarium discordiâ & contrarietate; sed amicâ familiaritate, & consensu, Elementa concreta & principia corporis, cum incorporo ligant; ut inde rationes producendas constituant, vitalibus tincturis per omnia penetrantibus, omniumque rerum faciendarum nationes secum ducentibus, validisque vinculis, universa componentibus. Idcirco dicit Author noster, istas qua-

qualitates invisibilis & visibilis naturæ, esse vincula, & Elementorum Radicalium ut causarum, cum concretis colligantiam; & abstrusam illam Elementorum Radicalium naturam ornatam esse istis qualitatibus & seminibus asserit, quas & indivisibili nexu ita Elementis radicalibus insertas & cohærentes, ut in causa esse intelligit, ut nulla mentis subtilitate ab illis distingui possint: servatis enim legibus à Natura præscriptis, non molis magnitudine, sed vinculis, vitali puritate & potentia decoratis, Elementorum Radicalium abyssos, hoc est infinitam potentiam, ubique penetrant, ut ex unitate unitam multitudinem producant. Sed quam diversis Elementis & corporum principiis opus fuerat, naturæ solertia factum fuit, ut eadem denuo multitudo unitatem repræsentaret; itaque mixtionem quasi unitatem denuo molita est Natura, hoc est diversarum sed conspirantium unitates; & objectum hujus unionis, seu mixtionis vocat author Elementa concreta & corporum principia, ex alimentis nempe vitalibus influentiis, Radicalium virtute & scientia Mechanicorum, eorum spirituum producta: & Mechanici dicuntur hi spiritus, ab authore nostro, item astra, semina; quæ sunt qualitates essentiales, incorporea corpora, & corpora incorporea Elementorum incorpororum, aut Entium Radicalium. Quomodo autem Elementa vocet concreta corpora, hoc duplici methodo, synthetica nempe & analytica intelligi debet; synthetica enim seu compositiva methodo intelligit author; affirmant enim omnes Platonici, res Physicas originem ex Metaphysicis deducere, & componi: & proinde omnia Entia increata & creata, sic inter se distinguunt; increatum dicunt esse unum, quod est idem ac bonum & verum; & hoc Ens, quatenus est bonum, fæcunditatis principium est; & sui multiplicativum esse debet; eò usque quò infinita hujus fæcunditatis potestas per finem terminari videatur: & infinitum hoc quod terminatur, dicitur Ens creatum, & prima materia; seu primum mixtum Metaphysicum repræsentat; quæ rursus in multitudinem defluit, septem ordinibus Elementorum seu Entium radicalium terminatam: nempe *in Ens, essentiam, vitam, & intellectum*: & mixtum hoc Metaphysicum est multitudo una, producens aliam multitudinem unitati conformem, hoc est in ordines rationum Seminariorum seu spirituum Mechanicorum, hoc est artificiosorum, ut videtur in Sphæra Entium Radicalium explicantes, & diversarum rerum conspirantium indolem perficientes. Sunt & Elementa concreta, Salem &, Terram, Sulphur & Aquam; tum principia corporum, Mercurium, Ig-

nem,

nem, & aërem explicantia, pro subjecto corporum mixtorum, ex elementis (virtute & scientia Mechanicorum spirituum) à radicalibus educta: & hoc productum, subjectum mixtionis Physices nominamus: quod opposita methodo in septem rationes seminarias, Astra, Mechanicos spiritus, vincula sensibilis & insensibilis naturæ, potestates, & vires resolvimus; & hoc denuo in septem Elementa Radicalia; & illa in Ens creatum, seu primum mixtum Metaphysicum; & illud mixtum in finem & infinitam potentiam, in Ente primo increato, ut in omnium prima causa includimus. Declaratis igitur Elementis radicalibus, tum concretis & corporum principiis, à Semine, Balsamo, Mumia, astrorum virtute & potentia progredientibus; nunc quid per universæ mundanæ Anatomiæ dispensationes, quæ in istis universi vinculis deprehenduntur, intelligat author, dicendum: In illis enim ait, *motuum leges, temporum prædestinationes, generationum & transplantationum liturgias comprehendi*: per universæ mundanæ Anatomiæ dispensationes; intelligit Entium ministerium, per quæ Mundus hic administratur, vocabulo ab Anatomicis desumpta; nam sicut bonus Anatomicus subjecti humani corporis, ut minoris Mundi, notitiam per se habere debet; sic Natura, forma seu spiritus Mundi universalis, essentiam, partes & dispensationes anatomicas Mundi majoris, hoc est partium essentialium ejus ignorare non debet. Itaque dispensationes mundanæ sumuntur, pro reductione potentiæ, virium & essentiæ, in actum, à Mundi spiritu peritissima Anatomista; *Omnis enim actio à viribus, & vires ab essentia*: quid autem per motuum leges intelligat, illustrari potest à natura motus; movet enim in se ut & corpora: & motus est duplex, internus, stabilis & regularis; externus, vagus, & anomalus; internus ad motum stabilem & activum paratus: externus ad vagum & passivum: & per participationem intellectus, qui scientiam illam dictabat, & talem quam à vita prius acceperat; & quam vita prius ab essentia mutuaverat; & essentia ab Ente creato, seu primo mixto Metaphysico desumpserat; & Ens à fine & infinita potentia entis increati acceperat. Et proinde quando dicit in istis qualitatibus essentialibus, in istis seminibus, astris, vinculis, scientiis, seminariis rationibus, spiritibus Mechanicis, esse motuum leges; rectè & Philosophicè loquitur; & leges, motus stabiles, non vagos intelligit; leges autem stabiles & vagi motus familiariori exemplo, quam crurum Circinii depingi vix possint; cujus proprium dicterium esse potest:

## *Stans moveo.*

Circini enim Crus in aliquo plano ſtabilitum, è centro ut puncto uno & indiviſibili leges, menſuras, rationes & dicteria, ſapientiæ ſuæ alteri cruri extenſo mobili & circumducto, facile inſinuat; quod poſtea per motum in circumferentia perficit. Crus in centro ſtabilem motum, qualis eſt in intellectu animæ centro, repræſentat; & per talem motum Anima ſeipſam per intellectus participationem, ſe & corpora ſibi ſubjecta movet. Interea crus extenſum motum per ſe vagum, ſed beneficio ſtabilis centri ordinatum, exponit & aſſequitur; ſic leges & menſuræ mentis ſtabiles in inſtanti, ab inſtabili anima perficiuntur. In qua obſervatione memorabile eſt quod ſcribit Proclus Commentar. decimo, in Euclidem; cujus textum qui velit revolvere, inveniet in Anacephalæoſi Elementorum Radicalium: ſuperſedeo enim hic adferre, ne videar rem eandem in opere tam ſæpè inculcare: & ibi videbit temporum prædeſtinationes, ad ſeminarium iſtum rerum faciendarum motum, referri; quæ à ſtabili intellectus motu proveniunt, hoc eſt, ut omnia inde provenientia debito maturitatis tempore matureſcant, accretionis vero grandeſcant, ut germinationis tempore germinent: in iſtis enim ſeminibus & aſtris, tota rerum generandarum & tranſplantandarum vis, tanquam in potentiis vitalibus, incomprehenſibili ſcientia decoratis, continetur & deliteſcit: & horum miniſterio agentium impreſſiones, quæ in Elementis radicalibus implicantur, & occultantur à partibus quæ in tertio ordine, qui eſt Elementorum concretorum, & principiorum corporis continentur, explicantur, admittuntur, vel repelluntur: quæ reſtant, in Anacephalæoſi cuilibet poſſunt, abſque ceſpitatione, eſſe obvia.

# De Septem Seminariis Rationibus, aut astris, & vinculis Septem Elementorum Radicalium, & concretorum.

## ARTICULUS PRIMUS.

### *De Spatio.*

EX superioribus patuit, supremum Artificem ex fine & infinita potentia, Ens nempe primum, mixtum Metaphysicum creasse; ex quo omnia tam incorpora quam corpora immediatè in primo mandato prodierant: & quamvis in multis locis dicatur, illud primum Ens & reliqua Entia à Deo gradatim processisse; non propter hoc dicendum erit, res creatas à Deo ita processisse, ut prima creatura produceret aliam, & ista aliam, usque ad corpora, & ista fieri ac in corporibus: sed ista sunt exprimenda propter ingenii nostri hebetudinem, quæ rerum supernaturalium productionem in instanti concipere non potest: quod patet ex Historia, quæ per sex dies distincta fuit à Moyse, ad nostrum captum; cum in secundo capite refert, Deum omnia creasse, sed creasse ut faceret: facere igitur denotat aliquid in tempore; & creare denotat aliquid præcedens, & in instanti productum; est enim productio, boni, pulchritudinis, & fæcunditatis soboles: pulchri autem soboles est ordo; & ordo in priori, & posteriori consistit: proinde ordo incorpororum, corporum & mediorum, rectè exprimuntur, per duo Entium genera, nempe unum sine quo alia Entia esse non poterant, nempe spatium, seu locum, seu inane, aut vacuum; ipsum enim sine aliis esse poterat; & tale quid debet esse omnium primum; & potest in ipso infinitatis abysso à nobis concipi: alterum verò erit gradus rerum extra infinitatis profundum; sive sint incorporea corpora & corpora incorporea; & duo ista genera Entium à motu concipi possunt: quicquid enim est, motu eget ut se conservet in suo esse; & est motus stabilis; & talis est motus infinitæ potentiæ, & spatii, in infinito spacio degentis: alter vero in momento sese manifestans, ut sese prodat rebus extra; & talis est motus ille, qui finitum spacium ab infinito distinguit; & infinito ordinem constituit, & facit actiones in tempore. Esse autem corpora in spatio finito, probatur; quia corpora spatio circumquaque tam intus quam extra circumdantur; sic & formæ corporibus extensæ, sic accidentia, vita itidem

dem & anima ſenſitiva, ſicut ſunt per inſtrumenta corporis diſtributa, per ſpatium pari ratione erunt diſtributa; ſive ratio & motus animæ corpus informet, velut & formæ aliæ per corpora erunt extenſæ: ſunt ergo entia cuncta, & ea quaſi ſupra entia ſunt, in ſpacio: itaque antequam entia extra profundum infinitum prodirent, ſpacio eguerant; quo ipſum eſt circumvolutum, ut extra ipſum prodirent, & conſiſterent, & ſpecies corporum ſpeciebus Entium Radicalium adaptarent: itaque ſpacium à primo uno, ante entia omnia alia eſt profuſum; & ſpiritu oris ejus efflatum, difflatum, per infinitum atque finitum: non ergo indagandum, an ſpacium aut vacuum ſit in rerum natura; cum mente præditis & cernentibus, diſtantiæ, intervalla, & ſpacia, ſatis cernantur. Ceſſabit quæſtio igitur, an ſit jam videndum, an ſit aliquid: quæ quæſtio ita erit à nobis diſcutienda; Ens & non Ens, idem ſunt, vel non idem: ſi idem, ergo aliquid & eſt, & non eſt: at conſenſus omnium Philoſophorum declarat, ſi ſpatium aliquid eſt, eſſe Ens; ſi verò non eſt, nihil eſſe: at ſpatium ſeu diſtantia quæ in homine à capite ad pedes eſt, de numero Entium eſt, ut & alia intervalla, & per conſequens eſt aliquid. Iam demonſtrandum quale ſit Ens; conſenſus veterum Philoſophorum communis, tria eſſe ſpacia docuit, longitudinem ſive linealem, latitudinem, ſive ſuperficialem, profunditatem, quam corpus vocaverunt. Itaque tres illæ junctæ corpus faciunt Mathematicum. Phyſici verò, non contenti iſtis tribus dimenſionibus, atytipiam ſeu reſiſtentiam addiderunt; & corpus materiale fecerunt. Nunc autem inquirendum an ullum aliud ſit ſpacium, quam quod ſingulis corporibus ineſt, quod nempe nulli ſit corpori proprium: & ita diſcutietur. Tria illa ſpacia Loco etiam tribuuntur, Locus ergo tria habet, quæ habet omne corpus; & tamen Locus nón eſt corpus; quia non habet atytipiam: imo, quomodo atytipiam habere poteſt, cum juxta Peripateticum, non habeat Locus niſi duas dimenſiones, videlicet longitudinem & ſuperficiem: & ſi Locus eſſet corpus, tunc quatuor dimenſiones in duabus reperirentur; in longitudine & ſuperficie, longitudo, latitudo, profunditas & atytipia: ita ſequetur Locum eſſe aliquid à Locato; Locus enim manet immobilis; Locata verò corpora de uno in alium moventur Locum. Cum autem dicatur Locum eſſe aliquid à Locato, ita eſt accipiendum, ut Locatum omne corpus ſit; Locus autem ſit non corpus; nam Locus ambiens, ſi corpus eſſet, æque ac Locatum, tunc duo corpora ſe invicem penetrarent; quod eſt abſurdum; ergo Locus, quia corpus non eſt, neceſſariò erit ſpatium, trina dimenſione præditum; quibus corporis locati dimenſiones in ſe recipiat; & ſpatium tale, trinus vere Locus eſt; aliud à Locato

cato

cato immobile per se; & Locus ille est verum spatium. Locus quanquam ad locatum relationem habeat, tamen cessante vel actione Locati, est aliquid per se, nempe quod Vacuum vocavere Veteres; ita spatium quando corpus continet, dicetur Locus; quando nullum, dicetur Vacuum: & ita revera eadem sunt, Vacuum & Locus; & ita Vacuum dici potest trinè dimensivum spatium. Hinc quæritur, ubi sit spacium, quod Vacuum sit revera: de hac sententia variæ sunt opiniones: alii eorum quæ in mundo, tum quæ extra mundum sunt, nullum esse vacuum spacium asserunt: alii non esse in mundo vacuum affirmant, sed extra mundum esse: alii extra mundum non esse, sed in mundo esse posse. Et primo videndum, quid de hoc mundo dici possit? An in hoc ullum sit spacium corpore vacuum; plerique nullum affirmant; alii negant; alii minimum & parvum spacium concedi in mundo asserunt; magnum negant. Quæ omnia in hoc brevi prodromo discutere difficile erit. Nunc si quæratur, quid prius spacium, an corpus? respondeo spacium: nam sicut accidentia categorica fuerant post corpora; sic ante corpora fuerat Locus; atque ideo admirabilis esse dicitur Loci natura; & omnibus prior; nam sine quo aliorum nullum esse potest, & ipsum sine illis esse potest; necessarium est primum; esse enim primum in omni genere Entium, est aliorum esse causa, *per Axioma* 4. *Articul.* 1. sicut locus corpori prior est, & seminariam corporis rationem habet, incorporeas nempe corporum rationes: sic spatium loco erit seminarium Elementum: & si, quid nam sit spatium dubitaverit aliquis; respondebitur, vel esse substantiam vel accidens; & si substantia; aut corpus aut incorporum, aut medium; quia est extensio, intervallum, capedo; quæ qualitates sunt & accidentia, & non categorica; nam spatium non dicitur de rebus mundanis, cum aliud quam mundus est; & nulli mundanæ rei accidit, sive ea corpus sit, sive non corpus, sive substantia, sive accidens: omnia hæc antecedit, omnia illi uti accedunt; ita ut non solum quæ in Categoriis numerantur accidentia; verùm etiam quæ ibi est substantia, illic sunt accidentia. Itaque aliter de eo philosophandum, quàm ex Categoriis: spatium ergo est extensio hypostatica, per se substans, nulli inhærens, non est quantitas; & si quantitas est, non est illa Categoriarum; sed ante eam, ejusque fons & origo. Non ergo accidens dici potens, neque enim cuiquam accidit substantiæ: quid ergo? substantia ne est? si substantia est id, quod per se substat, spacium maximè omnium substantia est. Substat enim per se, nulli innititur, ut sit; nullius eget, quo sustentetur; sed ipsum substantiis sustentationem præbet; easque ut sint, sustentat: si substantia est quod per se existit, spacium omnium maximè substantia est; quia maximè

om-

omnium per ſe exiſtit: ſi ſubſtantia eſt quæ aliis ſubſtat, ſpacium omnium maximè ſubſtantia eſt; omnibus enim ſubſtat aliis naturæ rebus: ſi ſubſtantia eſt quæ nulla aliarum rerum eget ad eſſe, ſpacium omnium maximè ſubſtantia eſt; nulla enim aliorum eget ut ſit, reliqua verò omnia ut ſint, egent ſpacio: ſi ſubſtantia primum omnium Entium eſt; ſpatium maximè omnium ſubſtantia eſt: primum enim aliarum rerum omnium eſſe, jam eſt probatum. Hiſce ergo rationibus omnibus patuit clariſſimè, ſpatium maximè omnium ſubſtantiam eſſe; ſed non eſt Categoriæ ſubſtantia illa: neque enim individua ſubſtantia eſt, quia non eſt ex materia & forma compoſita: neque eſt genus; neque enim de ſpeciebus neque de ſingularibus prædicatur; ſed alia quædam extra Categoriam ſubſtantia eſt. Quid igitur? corpus ne eſt? an incorporea ſubſtantia? neutrum; ſed medium utriuſque: corpus non eſt, quia non eſt antytipos, aut reſiſtens, aut renitens, non viſui, non tactui: ſenſuum nulli objicitur, aut ſubjicitur. Incorporeum rurſus non eſt, quia trinè dimetitur; longitudinem, latitudinem, profunditatemque non unam, non duas aut plures habet, ſed cunctas. Itaque incorporeum corpus eſt, & non corpus incorporeum; atque utrumque per ſe ſubſtans, per ſe exiſtens, in ſe exiſtens; adeò ut etiam per ſe ſtet ſemper; atque in ſe eſt, neque unquam movetur, neque eſſentiam, neque locum mutat, nec partibus, nec toto: quod enim movetur, per hoc ſpacium movetur; hoc autem ſpacium à ſupra ſe non movetur, neque aliud uſquam eſt ſupra, quod moveri queat; neque etiam vel in ipſo vel extra ipſum terminus ullus eſt, unde moveatur, aut quo moveatur; neque pars ejus ulla hinc illuc migrat per partem; namque ſui ipſius migraret; & duæ ſpacii partes, altera eſſet in altera, & ſupra alteram; & locus illius quæ diſcederet ſpatio vacuus remaneret; atque ita ſpacium ſeipſo vacuum eſſet. Itaque nec toto, nec partibus movetur: eſt ergo & immotum prorſus, & omnino immobile. Dividitur ſpacium in infinitum & finitum: *Infinitum ſpacium eſt hypoſtatica extenſio infinitæ potentiæ, per quam ſubſtantiis ipſis ſuſtentatio præbetur, inter incorporum & corpus medium, immobile in toto, immobile in partibus, in ipſo vel extra ipſum, omni termino, unde aut à quo moveatur carens; vires undique ſimiles & æquales habens, in omnes partes æque fuſum eſt, & æque infinitum, & ante mundum fuit, & mundo vacuum.* Spacium finitum conſtituunt, in infinitum ſpacium, & terminatur à fine, & finitum conſtituet, & cum mundo extitit, & in mundo eſt, & accipiendo, locando, ambiendo, corpora penetrando, ſeſe cum propriis ſpaciis ſuis uniendo, vim habet ſeminarias vires cuique corpori; & ad has vires motrices corpori locum dandi habet, ut ſpatio ſuo particulari, ab Entibus radicalibus impræ-

gnato

gnato distribuat : nam quod movetur, ut rectè tradidit Ægyptiorum Hermes, per immobile aliquod moveri debet, & immobile in mundo nihil est, excepto spatio. Habent præterea corpora mundi principalia appetitum istum seminarium, ut suo locentur quæque loco, atque ordine; ut faciant ea quæ à summo artifice jussa fuerant facere: sic mundi centrum in spatii centro undique reperitur immobile; & ita de aëre, aqua, & cælo dicendum; quæ corpora cum inter se differant, à natura, sic spatii partes eorum singulis subjectæ possunt videri inter se differe: æquali ratione dici potest, spacii istas diversas partes ab initio dispositas fuisse, ut propria sibi corpora unamquamque spacii partem, sibi accepisse credantur: & ista proprietas necessario ab Entibus radicalibus fluxerat; & à spatio infinito, quod Paternum profundum vocatur, prodierat; quæ corpora seminaria & materialia in mundum hunc induxerunt, & seminalibus rationibus conformem fecit: prodierunt autem extra profundum Paternum, quod Patre potentia & mente constat; & à creatore in infinitum spacium diffusi erant. Quod quidem finitum non potest nisi in sinum infiniti concipi, in quo unitas primaria, & omnes unitates, quæ Ideæ sunt, & exemplaria continentur, in quo primum Ens, & omnia Entia, prima essentia, & omnes essentiæ, prima vita, & omnes vitæ, primus intellectus, & omnes alii intellectus, prima anima, & omnes animæ, primus spiritus forma seu natura, & omnes naturæ, prima materia, & omnes materiæ, imo & hæc omnia inter se sunt hyparxi unita, proprietatibus verò distincta; simplicitate enim hyparxeos, substantiæ & essentiæ, omnibus per omnia fit permeatio & transitus; distincta vero proprietatibus, ita ut nulla ibi fit confusio, nulla impeditio; & sic intelligit Zoroaster:

*Cuncta enim perfecit Pater*
*Et menti tradidit secundæ.*

hoc est, ita perfecit & menti tradidit secundæ, quæ & à Patre & à prima mente, hoc est filio procedit; & cum ambobus consubstantialis sit, ut proximus mundi conditor foret, eorum quæ in spatio finito produci debent. Prima autem quæ ab hoc intellectu producta fuere, erant intellectus creati; & ii quos intellectus participatos nominamus, similes conditori; quia ipsi intellectus fuere dissimiles, quia conditi; atque ita in altereitatem ceciderunt; qui quidem illi etiam participati conditores, seu productores vocari possunt, aliorum nempe inferiorum ordinum: ordo enim omnis in priori constat & posteriori, tum numero, tum loco. Proinde recte à Pythagora dictum; *Res esse sicut numeros*: quoniam ab unitate viciniore & longinquiore intercapedine sunt com-

compositi: atque hæc fuit occulta causa, cur numeri totius plenitudo denario comprehenditur; ab uno scilicet distensus est per medios, ad corpus omnium infinitum: crescit enim unum addito uno; quoniam unum omnibus sui imaginem aliud atque aliud unum impertitur; usque quò id, quod recipit, ipsius sit capax, & usque ad postremum: ad quod quando est perventum, iterum à summo uno, ut replicet oportet, is qui ulterius velit numerando progredi. Et quoniam omnia hæc Entia, unum sunt in sua unione & profundo, & omnia in illis sunt per modum causæ; recte Apostolus dixit: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ; quoniam in ipso condita sunt universa, in cælis, & in terra, visibilia & invisibilia.* Et prius invisibilia, ut Entia radicalia, & post has quæ hic participia fiunt, extra profundum in cælis & in terra: atque ideo verissime ab eodem dictum Apostolo: *invisibilia ipsius à Creatore mundi per ea quæ facta sunt intellectu conspiciuntur.* Esse autem inter hæc invisibilia, & hæc alia quæ sunt visibilia, communionem, & hæc ab illis perpetua dependere catena, & ratio Philosophica persuadet, natura non saltante, nec relinquente; & authoritas Apostoli confirmat: *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse secula verbo, ut ab invisibilibus visibilia fierent.* hoc est, ut ab iis fierent, & ab iis per participationem & continuam communionem; & sympathia hac inde foverentur & vivificarentur, & in suo quoque spacio generarent, & germinarent. Inter alias igitur productionis rerum causas, extra profundum spacium non debet esse minimum; nam sicut profundum paternum, trinum & ipsum spacium infinitum, quod per sui scientiam & voluntatem causat omnia entia, spacium imparticipabile sit, spacium hoc finitum dici potest, per infiniti spacii participationem; omnia in se habere, sed remissiori ratione, quæ in infinito spacio concipi possunt: ita sicut in infinito fuerant Ideæ & exemplaria rerum faciendarum; erunt etiam in infinito infiniti, nempe imago, germina & rationes seminariæ rerum fiendarum. Haud igitur ineptè dici potest hoc spacium finitum & semen, & vinculum invisibilium & visibilium incorpororum & corporum; ut rectè describit juxta veterum Philosophorum, & Platonicorum mentem, author noster, veteris Philosophiæ illustrator.

De

# De Luce, ſecundo Elemento Seminario, Aſtro, Balſamo.

## ARTICULUS SECUNDUS.

SPacium univerſum, quod intra quodque extra mundum in immenſum extenditur, bonitati Conditoris non expedit vacuum remanere. Repleri ergo ſpacium debuit: at quanam re? Rerum univerſitate ea, quæ in uno latens fuerat ante. Bonitas enim Conditoris ſterilis eſſe non potuit, neque debuit, neque voluit. Spacium igitur omnibus rebus fuit replendum. At qua nam prima re? eâ, procul dubio, quam ante alias omnes ſpacium in ſe potuit recipere; & quæ ante alias omnes ſpacio in ſe potuit videri. Maximè autem omnium ſpatio indi potuit, quæ maximè omnium ei cognata eſſet: ita enim cum rerum natura eſt comparatum univerſa, ut quæ ſunt inter ſe cognata, ſeſe facile amplectantur, affines ſeſe foveant, ſimiles ſeſe conſectentur; atque inde fit uti hæ omnium facillimè ſimul conveniant, atque conjungantur; diverſæ verò ſeſe averſentur; contrariæ ſeſe fugiant fugentque. Ergo res quæ omnium maximè affinis ſimiliſque ſpacio fuit, ante alias omnes inde uſque à rerum initio, ei ſe indidit, ei ſe ſeque inſinuari permittit; cumque ſpacio ſimilis eſſet, nihil in ſpacio ei reſiſtere potuit. Per univerſum ergo ſpacium, eam neceſsè fuit effundi; illudque replere univerſum: ea autem in his quæ ſequuntur, deprehenditur; nimirum quod eſt ipſa, ſicuti ſpacium eſſet, ſimpliciſſima: quod uti ſpacium in immenſum extendi poſſet: quod uti ſpacium poſſet per univerſa fundi: quod uti ſpacium per univerſa penetrare poſſet, eaque univerſa uti ſpacium implere; nulli rei, ſicuti ſpacium poſſet reſiſtere, omnibus uti ſpacium cederet, ab omnibus uti ſpacium poſſet penetrari, ab omnibuſque ſicuti ſpacium permeari; denique uti ſpacium corpus eſſet, & res incorporea. Talem autem rem in tota univerſitate nullam omnino aliam, præter unam lucem, cæteris vetuſtiſſimam exiſtere putamus; eamque veram omnium evidentiſſimam, rerum omnium pulcherrimam, rerum omnium ſuaviſſimam, rerum omnium optatiſſimam, rerum omnium efficaciſſimam, rerum omnium maximè admirandam, Lucem ſcilicet, ipſum primogenium; quæ ubicunque inter corpora ſit, primæ ac ſummæ bonitatis, ſumma ac prima eſt imago; ſummæ ac primæ pulchritudinis, ſumma eſt imago, ſummæ ac primæ ſapientiæ, ſumma eſt ac prima imago; ſummæ beatitudinis ſumma eſt

eſt imago; ſummo Potentiæ ſumma eſt imago. Quid enim & debuit ſumma bonitas poſt ſpacium, quod omnibus entibus locum daret, producere, ſecundùm quam id in quo primo jucundè habitarent, & in ſpacio producerent, & incorpora entia & corpora omnia: quando & ſumma bonitas lumen inacceſſibile habitare non dedignatur? Quid enim rei? an non ut univerſitas rerum ipſa habitet potius in tenebris; re moleſta, horribili, miſerrima; & cur Deus rebus à ſe procreatis tenebras aut effundat; aut circumfundat, & ſi tenebræ in eo non ſunt ullæ, quomodo tenebras, quas non habet, rebus omnibus circumfundat? atque hic luminis hujus in infinitum fuſi primus finis eſto. πηγαῖα ἀκτὶς fontanus radius; & Philonis ille ſupercæleſtis aſter, fons ſenſibilium, uti vidimus, aſtrorum, quam Panaugiam vocavit: à qua affirmat & ſolem & lunam, & alios Planetas, & inerrantia ſydera, quantum quiſque poteſt, ſibi convenientes hauriunt fulgores, nempe ſeptem Entium Radicalium, quam etiam ἡλίου παράδειγμα, ſolis exemplar nuncupavit: totum autem hoc Philonis dogma, non aliud infert, quam lumen hoc primogenium eſſe, veluti materiam, ex qua ſol ipſe & cætera ſydera omnia, cæteræque omnes luces, ſint conſtitutæ. Sed ut melius ſonent illa Philonis verba, ubi ait lucem iſtam primogeniam fuiſſe materiam, ex qua ſol, ſydera, & aliæ luces fuerunt conſtitutæ; ſed ita dicitur ens Patris, per quem ſol & cuncta entia ſunt producta, juxta illud Pſalm. *Omnia in Sapientia feciſti.* Et hucuſque de Spacii aptitudine ad lucem accipiendam actum eſt: nunc autem de Lucis origine agendum. Lux in corporibus quibuſdam cernitur; in aliis non cernitur: corpora ergo diſtinguenda: corporum igitur alia ſua natura, lucida ſunt, ſol, multæ ignis ſpecies, ut ſunt ſulphurea noſtra: & alia ſui ſunt naturâ opaca, Luna, terrea, nubes; alia neque lucem habent neque opacitatem; utramque tamen in ſe recipiunt; neutram retinent, Æther, aër, aqua, vitrum, quæ terra eſt. Hæc Græci diaphana lucida, luce plena ſuâ, alienis tenebris ſunt impervia, opaca, tenebris plena ſuis; alieno lumini non ſunt pervia, diaphana propriis, & lumine & tenebra carentia, alienis & lumine & tenebra permeantur. Lucida ergo corpora ea ſunt quæ ſemper lucent; lucent autem ſemper quæ lucem propriam ſibique innatam, & connatam habent, ut ſol, ſydera, & forſan ignis, vel verius, ignea. Quid ergo triplex lux, & non una, vel una in tribus? an his aliqua prior? an vero hæ primæ ſunt luces? Profecto ſi hæ tres ſunt inter ſe diverſæ, multitudo ſunt, & numerus. Ante vero numerum & multitudinem omnem eſt unitas; neque ulla aut eſt aut eſſe poteſt multitudo, quæ à ſuâ non profluat unitate; juxta propoſitionem primam Articul. 1. de Ente.

Ergo

Ergo & ante hasce tres luces, videtur una lux existere necessario: si hoc; una hæc lux, prima ne lucium omnium erit? An vero ante ipsam alia, & ante hanc alia, & in infinitum fiet lucium progressus? Hoc nequaquam. Ergo una erit omnium lux, prima hæc lux una ac prima, cum nullam aliam ante se habeat, corporea ne erit, an incorporea? Si corporea dicatur, necesse est eam vel in alio corpore esse, antequam in sole, vel in astris, vel in igne, vel harum aliquam esse primam: Ignis quidem unius à nostro hoc differentis esse dici non videtur posse; cum nullus alius conspiciatur; neque ex nostratis genere videtur esse posse, quia neque unus in corporibus est, quia & primus sit, neque lux ejus lucem reliquis aut dare, aut dedisse videri potest; una ergo illa lux & prima, ignis corporei non est: an verò est syderum & syderis alicujus? neque id videtur; nullum enim sydus apparet usquam, à quo in reliqua lux sit diffusa, aut diffundatur. Quod si dicamus, cum Philosophorum multis, & Astrologis omnibus, qui adhuc in ea perstant opinione, à sole uno in reliqua astra omnia lucem diffundi. Hoc secus est, ut postea ostendetur: hoc in præsentia dicatur; si Sol lucium corporearum non sit causa, nullam corpoream lucem, unam illam ac primam esse posse lucem, quæ lucium aliarum omnium sit fons, & prima scaturigo.

Si corporea non est hæc prima, incorpoream eam esse, est necesse; si incorporea sit, necesse erit eam, & in se consistere, & à se subsistere, & per se existere, & per se substantiam esse. Hæ enim sunt incorporeorum Entium proprietates; luces vero hasce multas, quę in sole, in astris, in ignibus fulgent, ab ea luce una profluxisse, est necessarium. Lucida enim ut effectus à luce, ut à causa sunt, non autem lux causa est à lucidis effectibus; & hanc lucem Simplicius ex Proclo, & oraculis Zoroasticis, attulit ad illud carmen:

*Affatim animans lucem, ignem, æthera, mundos.*

Hanc enim esse lucem (subdit) quæ supra Empyreum est, quæ unitas existit ante trinitatem, Empyrei, Ætherei & Hylæi; imò quam Simplicius ex Proclo vocat imaginem Paterni profundi; & proinde esse supra mundanam; supra mundana autem ea sunt quæ essentiæ suæ præstantia, aliis supereminet: mundana enim corpora, & excedunt & excellunt; nam, uti simplicius, ita Empyreo simplicius est, & excellentius, cujus effectrix & animatrix videtur anima fontana, quam affirmat Zoroaster esse opificem inferiorum, cum ait:

*Quoniam opifex largitorque est ignis vitiferi;*

Per omnia inferiora scilicet fusi: ipsum igitur Dei verbum infinita lux est, à qua luce incorporea incorporeum illud primum lumen emicat, quod imago est Paterni profundi: quibus dogmatibus adderem multa auditoris Platonis, authoris nempe illius, qui sub Ægyptiæ Sapientiæ titulo circumfertur; tum Philonis Judæi, doctissimi Judæorum, Hermetis itidem Trismegisti, ex Pæmandro: de quibus, nisi brevitas prohiberet, plura referrē: ex quibus omnibus per totum fere concordibus concludam, lumina omnia inferioris Mundi, qualia sunt, quæ sulphureo aut salis corpore vestiuntur, à cælesti Luce. Hanc ex Zoroastri sententia ab Empyreo, ex Philone à Panaugia, hanc à Dei verbo: hoc à luce prima Patris, ex Hermete, ex Platone, lumen vegetantis animæ; est à lumine sentientis, lumen hujus, à lumine ratiocinantis, lumen hujus à lumine mentis, lumen mentis à luce infinita vitæ primæ mentis ac Dei verbo. Multa quoque in hanc sententiam possent ex Sacris Bibliis adduci; sed illud sufficiet Danielis: *Adspiciebam donec Throni positi fuerant, & antiquus dierum sedit, vestimentum ejus candidum veluti nix, & capilli capitis ejus quasi lana munda. Thronus ejus flamma ignis. Rotæ ejus ignis accensus. Fluvius igneus sapidusque egrediebatur a facie ejus.* Huic illud consonat: *Lucem habitat inaccessibilem.* Et illud Divi Petri in Epistola: *Qui de tenebris vocavit in admirabile lumen suum.* Et Jacobi illud; *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est descendens à Patre luminum.* De quo Joannes: *Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ,* sicuti & ipse est in luce. Rursus in Euangelio: *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum.* Iterum quoque: *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine*: & addit: Non *erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera quæ illuminabat omnem hominem.* In Apocalypsi quoque multa sunt in hanc sententiam rerum lucidarum, flammæ ignis, Candelabra aurea, Zonæ; *Capilli candidi, & Stellæ, & facies ejus sicut Sol lucebat.* Chorus quoque Apostolorum in Symbolo universus de Christo cecinit. *Deum de Deo, lumen de lumine,* Divorum ergo hominum veterum & Deo afflatorum, & Christi etiam ipsius verbi Dei ac Filii testimoniis, quando dixit: Ego *sum vita, veritas, & lux. Ego sum lux Mundi*: & eorum, qui & cum eo convixerunt; & Sacrosanctæ Ecclesiæ dogmatibus confirmantur; quibus nempe Aristotelica fatuitas de lumine præferatur; *& Pater Deus, & Filius, & Spiritus Sanctus ignes & luces & lumina sunt*, non qualia oculis conspicimus, sed qualia divinitus revelata mente percipimus, ad

quos

quos ut ad puriſſima rerum omnium principia, eorum lumine nobis prælucente; via ac ſcala luminum ac lucium aſcendimus. Definitur autem lux ex fundamentis rerum dictarum, & doctrina authoris noſtri, in Anacephalæoſi Cap. de Seminibus, quid ſit Lux.

*Explicatio nempe infinitæ potentiæ, per ſeptem ordines Entium Radicalium, non hyparxi, ſed proprietatibus diſtinctæ, & in ſpacio diffuſæ, ut non ſolum per nobiliſſimum ſenſuum, præſtantiſſimum ſenſibilium deſignaret; ſed ut ſplendorem, lumen, & calorem vivificum, rationibus ſeminariis conformes, deſeruet; quibus ut viſco & appropriatis coloribus, ex incorporis divinis & inviſibilibus exemplaribus, corpora viſibilia, nempe concreta Elementa noſtra, produceret, & in unum ligarent, pro Mechanico generationum, & tranſplantationum proceſſu neceſſarios.* Et hęc definitio ſit per demonſtrationem proprietatum rei eſſentialium.

Lux ergo eſt incorporeum & corporum phænomenon; eſt & imago, & medium quoddam, inter divina incorpora, & corporum naturam: Sol igitur & aſtra, ſi hæc propriis, ſi luce quoque ſolis luceant, mediæ quædam eſſentiæ ſunt, & ſubſtantiæ incorporeæ ſimul, quoad lucem, & corporeæ, quoad dimenſiones. Cujus autem divinitatis ſunt phænomena, ſi quis interrogaret? reſpondetur, lucis, ſcilicet, incorporæ, à quâ & factę ab initio ſunt, & ab ea ſervantur, & in ea conſervantur, & ab ea, veluti à proprio fonte, eoque fulgentiſſimo derivantur, perpetua & perenni quadam derivatione, ſed oculis corporeis ob nimium fulgorem inviſibili: nihil enim hi niſi corporeum diſcernunt: derivatio hæc autem, uti poſtea oſtendetur, per media quædam in ſolem, in aſtraque deſcendit, à primiſſima illa luce, lucium fonte omnium; quæ quamvis infinita in ſe ſit; eo ipſo quod finita non eſt, à finitis oculorum viribus non diſcernitur; ſicuti etiam ſolis finita lux, oculis nullis, vel extra vel intra diſcernitur plenè: qua ratione ſolis finita lux, infinitæ primæ lucis ſatis plena eſt imago. Infinita enim illa infinitarum virium ad imaginem ſuam produxit; eamque præter lucendi vires, & producendi, duplici alia præditam infinitate protulit; figuræ nimirum orbicularis, in qua nullum principium, nullus finis; & centri, cujus itidem neque principium, neque finem, (quæ eſt infinitorum proprietas) reperias ullum; & præter hoc centrum, quamvis rerum ſit minimum, eſt tamen infinitum, infinitaſque ex ſe vires ad circumferentiam emittit.

De

## *De Splendore & Radiis*;

## Tertium Elementum Seminarium.

### ARTICULUS III.

QUi in Solis candorem penitius intueri velit, lucem aliam, quasi solis propaginem, ex ea emicare multis radiis, quasi prolibus, in conum promicantibus conspiciet. Quæ quidem ab ea oritur, & diffunditur, non tamen divellitur; & Soli, ut radici & matri suæ, semper inhærens, germina semper ramosque à radice, ut juges propagines demittens; qui ab ea ut à divite seminario nutriuntur, augentur, & conservantur, & absque confusione multiplicantur; & ista diffusio, splendor, vel fulgor dicitur: similis est hæc lux primæ luci candore; dissimilis tamen fulgore; qui est effervescentia, & ebullitio lucis in se, ad exitum contendens; & in ista actus tumultuatione, radios alios aliis longiores, breviores & acutiores emittens, matrem candore externo quasi superantes, & lucida corpora in ambitu, corona quasi, cingentes, infinitorum more centrum circulis imitans, prima lux unica est, & in orbem acta: secunda multiplex, sed in ramos quasi lineas ad circumferentiam protractas; ubi in innumerabiles dissita latiunculas, & in acutum abeuntes, & in conum desinentes, in ortu junctas, in progressu distantes: differunt tamen; nam ubi radius, ibi lumen; sed non contra: & quia per se lucent, calorem & lumen emittunt; sunt substantiæ & primæ lucis imagines, non tamen ut species intentionales, nec à luce aut sole unquam decedere possunt: tamen *opaco* & *diaphano* accedere possunt; quoniam utrique adsunt, aliquando & absunt; sed tamen non prius quin per diaphanum transeant: longi sunt, & lati, & pyramidales, & conoeïdales; ergo dimensi radii, ergo corpora sunt, flecti etiam dicuntur, & frangi, & resilire à planis superficiebus; ergo corpora esse, conceditur, sed non erunt Elementalia; non antitypa, nec corpus, quale est spacium, sed spacio densiores, nec incorporei, sed medii, cum Metaphysicis, quatenus immateriatæ conveniunt; nam si materiatæ essent, per diaphana omnia, aut chrystalla, vitra, similiaque invadere, nec permeare poterant, sed ea pro materia delinearent: sunt igitur media inter corpora & incorporum; incorporea quippe corpora; si vero

vero radii in opaca incidunt, corpora non subeunt, nec reflectuntur; idque duobus modis, pro superficiei ratione; nam nec tersa, & æquabilia, vel glabra aspera esse debent, ut subeant; si tersa, qualia sunt marmora, vitra aquæ plena, & metalla arte posita, tunc radios incidentes frangunt, fracta pars resistit, & alibi relucet in se integra, non minus quam ab aquæ placida superficie, à chrystallis, à vitris, & speculis, & à talibus ad alia delata, relucendi finem facere nescit, sed novos radios, sicut seminaria germina, illorum virtute, in isto uno producent, & corpus luminosum, radiis similibus concomitatum, repræsentabunt absque sui destructione: & tale, quod est maximè notandum, in semine vegetabilium deprehendimus: lux enim solis, sicut cum in homine generat hominem, ita Sol & semen vegetabilium generat vegetabilia; Sol enim radios in arena corpore diaphano spargendo & multiplicando, cum sale Terræ conjugium faciunt; & nutrimentum nitrosum omnibus vegetabilibus necessarium tribuunt; (ex quo sapientia lucis, quam Author noster spiritus mechanicos vocat, aut archeum,) proprietatibus septem Elementorum Radicalium ornata, multiplici & numerosa multitudinum prole, specierum familiam beat, dum terræ sal, seu nitrum imbribus tepidis rigatus, capsula seminum penetrat, & sali seminum sese unit; qui ambo juxta exemplaria invisibilia lucis, horum salium visibilium imagines multiplicat, producit, & explicat, parentibus simillimas. Si quis arenam veram terram negat esse diaphanum, consulat vitrarios, aut Philosophiam meam Pyrotechnicam, capite de vitro Antimonii; imò & calorem cum radiis deferent, sicut in speculis illis ustoriis videmus: & quod magis est, radii solis, in quocunque subjecto æquabili polito aut terso, inciderint, ipsum solem cognationis accessione, radiis multis concomitatum, quasi novum solem productum, repræsentat: si autem opaci superficies aspera sit, inæquabilis & impolita, in eam radii incidentes, non jam in unam, sed in multas frangentur partes:* quæ singulę ita divisæ, non tam longè prosiliunt, nec tam fulgidæ pellucent, sed confundentur; quod sæpè etiamsi in diaphana inciderent, colore infecta, ut vitri fenestræ, radii per ea transeuntes, eosdem colores (præter unum nigrum) ferunt; quia lucis sunt propagines, nigrum respuunt quia opaci est proles. Hisce expositis, quòd forte ante me nemo unquam radiorum naturam atque indolem docuit, si quis tamen penitius solis in hæc inferiora virtutes contemplari velit, videbit per solem non solum radios, lumen & lucem, in hæc inferiora diffundi, sed & vitam. Et ut

ut ne ſit alicui dubio, dicam quid mihi contigerit perſpicere anno hoc currente milleſimo ſuper ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, in fine menſis Maij, ætatis autem meæ ſexageſimo quarto, paulo poſt continuationem imbrium ſeptem vel octo dierum. Sereniſſima Regina circa ſextam veſpertinam, dum circa ripam lacus Arci Dankoæ adjacentis, exſpatiandi cauſa, partim ut à ſollicitis curis & negotiis, quibus propter Regnum Polonicum affecta fuerat (quod ut tunc injuſtè à vicinorum latrociniis & incurſionibus toti terrarum orbi notis declarabatur,) diverticulum caperet; partim etiam ut Solis jucundo vultu poſt aliquot dierum abſentiam, paucis Domeſticis eò, ut ſolet, concomitata, tum aliis aliquot (ad recreationem religioſam electis, ut ſolet,) frueretur ſole ad occaſum tendente, & acerrimis radiis Terram adhuc madidiſſimam feriente, & vernalem fæcunditatem impertiente. Inde etiam ex adverſo ſole apparente acceſſit notabile quid: ſolent in tali conſtitutione & tempeſtate anni infinitæ parvæ muſcæ, poſt imbres, & parum ante etiam conglomerare, ut in omnibus Europæ locis mihi cognitis conſpiciuntur: has autem Aula ibi præſens, (non abſque admiratione) nictu oculi propemodum generatas contemplabatur: modus autem talis erat; aêr tunc exuvias multas, villoſo lanuginoſo albo & filamentoſo ſerico non abſimiles, quæ parum ante & poſt imbres tempore vernali circumvolare ſolent, accipiebat; & præcipuè ſupra mericas aut ſtipulas campi ſiſtentes illis, ſed multo breviores quæ in veſtes, ſed præcipuè nigras, demittebantur: quas cum numeroſis muſcis illas etiam concomitantes vidimus, quæ propemodum omnia veſtimenta nigra adſiſtentium cooperiebant; inter quos erat pietate & doctrina eminentiſſimus, Illuſtriſſimus Dominus de Fleuri Doctor Sorbonicus, Sereniſſimæ Reginalis Majeſtatis Confeſſarius, meritiſſimus Varſavienſis Eccleſiæ Præpoſitus: Illuſtriſſimus Dominus de Noyers, mandatorum Sereniſſimæ Secretarius, & ſtrenuus rerum naturalium indagator; quos ut multorum nomine dignos compellare teſtes volui, qui omnes cum admiratione tantam muſcarum & exuviarum numerum conſpicientes; quorum è numero, ecce, unus inter alios exclamat, ſe videre iſtas muſcas exuere iſta volitantia filamina, quæ ſub alis ex minutiſſima capſula protendebant; & totius muſcæ corpus, à capite ad caudam quaſi tenui membranula divaricata, ipſos cingebant, ut in ſcarabeis eſſe ſolet, quæ in filamenti albi & parum rugoſi formam exuebatur; longitudo vero muſcarum, longitudinem iſtorum filamentorum exſuperare non videbantur: hoc filamentum informe, quam-

quamvis in prima exuitione & depositione, nullam prorsus haberet regularem formam, tamen ictu oculi in eo percipitur motus, quasi fuisset à tremulo aëre difflatum. Sed qui firmiter, quid de isto & in isto motu fiat, meditatur, videbit pedes muscarum apparere moventes, deinde caput, alas & corpus, denique formatas alias aliis paulo minores, avolantes: & hæc omnia brevioris temporis intervallo perfici videbantur, quam quivis ter Credo in Deum recensere potuerit. Ex semine lanuginoso istius muscæ, fieri muscam, nullus mirabitur; nisi quod aliorum animalium semina ab intus veniunt, hujus autem ab extra. Et sic ratio facillimè reddi possit, quare pisciculi & ranæ formati videntur, cum calidissimis imbribus pluit; nempe in violentissimo calore animalia, ad venerem æstuantia, lentorem quendam vaporosum è toto corpore, in quo seminaria virtus caloris & lucis degit, demittere censentur; qui quidem cum vaporibus (qui tunc temporis copiosè, ex humiditate prima generantur) concentrati sublimantur; & in aëre tepido à sole ita animantur, ut non secus ac artifex, qui in tempore artificium suum conceptum profert; sic Sol naturalium rerum artifex, cum luce, splendore & lumine, in instanti, insectarum corpora in aëre animat; & in terram deponit. Simili modo videmus accidere ab istis lanuginosis filamentis, quæ ab araneis supra stipulas & mericas autumnali tempore relinquuntur, & non absimiles aranearum telis, quæ ab illo interno lentore nentur; qui quidem non araneas, sed erucarum maximam generationem, ex isto lentore verno sequenti augurant: nam cum calore istæ telæ & filamenta, quando copiosè videntur, pluvias venturas brevi denuntiant; unde plurima lanuginosa ista filamenta & tela, in unam compagem coalescunt, & à primo vento præcipuè Meridionali sparguntur in arborum ramos, ita duplicata & reduplicata, ut ne penetrabile frigus seminariæ isti erucarum moli nocere posset, quousque ad vernum tempus perducantur: quò formicarum more erumpunt, & folia & fructus fructiferarum arborum cum maximo hortulanorum damno destruunt: imo & aliquando autumnali tempore, ex una regione in aliam vento deferuntur, & ramos arborum in una nocte circumdant, quasi essent telis aranearum involuti; ex & in quibus tandem infinitæ erucæ sequenti vere generantur, quæ semper maximas siccitates præcedunt, & febres malignas præsagiunt. Hic plurima de diversarum erucarum, ex semine æquivoco diversarum Plantarum productione adferrem, nisi me brevitas impediret; proinde redeo, & dico igitur quod ex semine isto

 lanu-

lanuginoso istius muscæ fieri muscam, non tam prodigiosam videri, quam quod tanta celeritate ex informi, ut videtur, materia, quasi creationis verbo exsurgant; ita ut generatio ista usque ad miraculum stupefaciat; nam ex loco ipso, qui parvum est spatium, terra nempe inanis & vacua, producitur ipsum videlicet locatum. Et in hac observatione duo erunt tenenda; unum quod lanuginosa ista filamenta, partim in aëre deponuntur, & in Terram semiformati cadunt, & tunc ab omni observatione se se subtrahunt in momento, partim vestibus, præcipuè lanuginosis, adhærent ab ipsis muscis deposita, ibique producunt: aliæ in conspectu attendentium exuunt se, & lanuginem istam quasi vestem informem deponere percipiuntur. Secundum tenendum erit, quòd quò propiùs occasui solis deponantur exuviæ ejusmodi, & toties tardè, & majore cum hebetudine perficiantur; ut tandem si quis finem generationis istarum serotinarum expectare velit, semivivos & semimortuos, imo & præter lanuginem, nihil illarum in ædes deducere videbitur, sole nempe, illarum vitâ, absente: hæc tamen seminis forma ab aliis differt, quod aliorum animalium semina ab intus ut momento expellatur; hæc autem ab extra exuitur: ex his igitur patet, solem non solum calorem cum radiis ad hæc inferiora, sed etiam vitam & vires cum calore & luce demittere. Sed ut essentiam ex viribus & actionibus passionibusque propriis in summam resumamus; radios omnes & ut solares, quoniam & longi & lati, necesse est corpora esse, quoniam colores ferunt iisque inficiuntur, & calorem vehunt, & flectuntur, & franguntur, & resiliunt; nam hæc omnia corporum sunt conditiones; è contra momento eos promicare, momento in immensum porrigi, momento seipsis hemisphærium implere totum, momento tot maxima corpora ætherea, aërea, aquea, liquida, solida, mollia, dura, raraque, densaque, penetrare, & permeare, eos, rem corpoream non esse, est manifestum: alia ex parte nullo eos egere vel hærere subjecto, ut existant & consistant: accidens vero non esse, palam faciunt ipsi: cumque nulli materiæ conjungantur, ex eo genere formarum non esse eos; quæ ut sint materia egent sustentatore, liquido patet; si forma sunt, quæ materia non indiget, non sunt ex materia & forma compositi; ergo forma erunt sola, per se stans, per se existens, se se sustinens, & substantia elementalibus longè præstantior: rursusque quoniam & à luce oriuntur, & à luce pendent, luci hærent, luce egent, ut sint formæ, & substantiæ sunt minus præstantes, tamen quam Divinæ, quæ à corporeo nullo,

nullo, vel ortum habent, vel salutem; mediæ ergo formæ radii sunt inter naturales & Divinas; & cum formæ sint, etiam corpora sunt; sed corpora Elementalibus diviniora; & talia quale corpus fere est spacium, per quod primò effusi & diffusi sunt: trinè quidem dimensi, sed antytipia & antæresi & obsistentiâ nullâ præditi: neque enim ipsi ullo opaco corpori resistunt, neque eis corpora diaphana obsistunt. Omnia hæc ipsi penetrant & permeant; & ab his omnibus ipsi quoque & penetrantur & permeantur, neque tamen hæc mutua corporum penetratio impossibile creat ullum, aut inconveniens; quod sequi Elementalia simpliciter corpora, est ex veteribus demonstratum: de his Divinioribus corporibus, neq; sunt locuti, neq; ipsorum rationes in his locum habent ullum. Definitur autem splendor supprimævus, quòd sit *coruscatio lucis in corpore athereo, cum fæcunditate generatricis facultatis, per infinitos radios protuberantis, & ad lucis proprietates declarandas prodeuntis, ut solent nitrosa sulphureis juncta, ignis lucidi admotione coruscari, & radios splendidissimos undique spargere, mirabilibus effectibus multiplicandi, invisibilia visibilibus, vinciendi, generandi, transplantandi in instanti lumen & calorem; ut prolem vivificam spargendi præditus, inæquabili & polito subjecto, actum suum seminaria virtute; absque virium diminutione & virtute repetens, denique flammæ sulphureorum nostrorum ignium essentiam & existentiam præbens, & superiorum omnium entium virtutes & facultates tribuens.*

## De Lumine, quarto Elemento Seminario.

### ARTICULUS IV.

A Luce splendor & radii, à radiis lumen, quos Græci communi cum Luce nomine Φῶς lumen appellavere, tamen ex rerum natura ita distingui possunt, ut probatum fuit, lucem à radiis aut splendore debere esse distinctos; sic ostendendum, lumen esse diversum à splendore, & radiis, & esse illorum prolem; esse autem diversos patet: nam multa quæ de radiis, fulgore aut splendore dicta sunt, quæ luci minimè conveniре videntur, ita quæ de radiis & splendore, vix lumini convenient: nec enim lux lucido corpori insita, vel refrangitur, vel reflectitur, neque momento à sole emicat, neque diaphana penetrat; quæ omnia faciunt radii & splendor. Lumen autem à radiis & splendore, in hoc differunt.

Lumen & radii vel eadem res sunt, vel non sunt eadem; vel partim eadem, partim non eadem sunt: Hanc rationum necessitatem nemo effugiat. Radios qui-

quidem docuimus à luce promicare in conos lucentes, candidosque, inter se intervallis aliquibus distinctos exire; si alius fulgor quam hic radiorum in diaphanis non effulgeat, procul dubio radii & lumen idem candor erunt; sed candores & fulgores alius in lineas seu pyramides diffusus, alius in spatia latiora fusus, & quasi effusus, in ea nimirum quæ ipsos radios disterminant alium ab alio, & in reliqua omnia post radiorum apices, quaqua versum profusus. Id autem non lippis oculis, in radios intuentibus, manifestò cernitur: hoc ipsum appellamus lumen, quod alio magis proprio Græci & ἀυγὴν & φέγγος, nuncupavere. Duo ergo fulgores inter se distincti sunt, radii scilicet fulgor in conum à luce profectus, & in cuspidem collectus, & lumen, fulgor alter, in latiora spacia fusus; hoc quoque differunt, quòd radii fulgentiores sunt, & visum acutius feriunt ac lædunt; lumen verò inter radios minus fulget, & oculos minus lædit.

Quid ergo? à luce ne lumen ortum habet? an verò tantum à radiis, an ab his, & illa? à luce quidem oriri lumen, rationi videtur consonum, quando sine luce nullum cernitur lumen; nam si à luce radii promicant, cur ab eadem lumen etiam non emanet; cum & hoc & illi fulgores & candores, luci similes appareant. Huic rationi ratio alia videtur posse repugnare, nimirum quod diximus, à lucis qualibet particula ac ferè puncto, radios micare, qui basibus suis latiusculis, superficiem lucis totam occupant. Quod si verum sit, locus in luce à radiis vacuus relinqui non videtur, ex quo lumen à radiis aliud promicare queat: sin vero, promicat, & minus fulgens: videntur enim radii & candidiores longè & fulgentiores, fuso lumine esse: cur ergo ab eodem fonte candidissimo alii magis, alii minus fulgentes effulgeant: at ab eadem causa naturali non impedita, idem semper nascitur effectus: inter se diversi pronascentur radii candidissimi, & lumen minus candens: non ergo à luce lumen orietur; at & lumen diaphana illuminat, ut radii; lucidum ergo fontem etiam lumen habet; at fons hic, lux illa primaria non est, à qua radii emicant; à radiis ergo, qui secunda sunt lux, pronascetur; & quia radii à luce oriuntur, lumen vero à radiis, lumen quoque à luce, per radios orietur; itaque lumen tertia quædam erit lux, radii lux secunda. Neque mirum, cur lumen minus fulgeat, quam radii, quando radii quoque minus quam lux primaria fulgent: prima enim in unoquoque Entium genere sunt etiam summa, ut est axioma 4. præcognitorum de Ente; & quod primo propinquius est, & principalius est, & potentius. Primo igitur gradu lux est splendor, & radii secundo, lumen tertio: familiariore experimento candelæ in cubiculum illatæ id patescit;

subi-

ſubito namque illuminatur totum: at lux ipſa vivaciſſima eſt: circa lucem vero vivacior eſt radiorum fulgor, quam longius progreſſis. Lumen vero à radiis ſeſe effundens, minùs etiam quam radii fulget, ad radiorum radicem, quam vel in medio vel ad apicem: itaque triplex in ſingulis radiis fulgor, initio, medio, fine, prout propius aut longius à luce ipſa progrediuntur. Eadem ratio eſt in lumine; fulgentius enim eſt ad partem radiorum fulgentiorem, minus ad medium, minus quoque ad finem; poſt quem languidius ſenſim fit ſemper, ita ut ad cubiculi angulos pro ejus magnitudine, vel languidiſſimum apparet, & ſplendor potius & nitor quam lumen; vel etiam jam umbreſcit: quibus ſane eventis colligimus duo; alterum radii uſque ad angulos non perveniunt; alterum quod lumen à radiis differens, ſit res & eorum proles; ergo lumen non à luce prima, ſed à radiis emanat; vel ergo integris permanentibus radiis, lumen ab eis funditur, vel radii, dum deficiunt à lateribus, vel apice funduntur in lumen, ita ut lumen res non ſit alia quam radius fuſus, & radius itidem, non alia res ſit quam lumen unitum, ac in ſe collectum: vel etiam verius, lumen eſt fulgor à radiis luceque profuſus; & radii inſtrumentum ſunt lucis, lumini fundendo ac diffundendo, vel lucis effundendæ in lumen, ac propagandæ; ſive igitur à luce ipſa, ſive à radiis, ſive ab utriſque lumen emanet, communia quædam cum radiis habet, quorum perpetuus eſt comes: nimirum quod & ipſum fulgeat, quod momento emicet, quod æthera, aërem, aquam, reliqua omnia diaphana momento penetret, quod ea ſeipſo impleat, quod uſque ad terram & ultra etiam diffundatur, quod quaque verſus effundatur, quod quæcunque attigit, illuminet, quod opaca non permeet, quod nulli proprio hæreat ſubjecto, quod nullo etiam ſubjecto egeat; & forte iſtius modi alia plura: inter quæ dicimus lumen eſſe corpus incorporeum, & immateriale, trinè dimenſum, & formam tantum eſſe, ab alio quidem pendentem, in ſe tamen ſubſiſtentem & ſubſtantialem; atque ideo non obſtare quin & momento moveatur; ſi tamen emicatio motus dici, vel poteſt, vel debet; & corpora omnia diaphana, nimirum penetret, ſine ulla vel illorum, vel ſui ipſius offenſa; & præter hæc, quod ſeſe per ſpacium fundat ampliſſimum, quod per diaphani omnes dimenſiones effundatur, totumque impleat, totumque illuminet, à fonte proprio non divellatur, non tam inſit diaphano, quam ei adſit, naturam illius non mutet, neque ab illo mutetur: ſuo moto diaphano, lumen non moritur, per ſe nullo movetur modo, neque accedit, defluit, neque refluit; diaphano recedente aliquo, ipſum non diſcedit: Opaco à ſe illuminato abeunte, ipſum non abit. Termino diaphani non terminatur,

tur, sed ultra protenditur; fonte suo abeunte abit, redeunte, redit; sui multiplicatione gaudet, ut faciunt omnia semina; nulla re sordida inquinatur, ab illuminante, non ab illuminato pendet; diaphani non est proprium, opaco impeditur; ab opaco refrangitur, ab opaco resilit; vel in seipsum, vel ad angulos colorem secum fert, eumque ostentat, eoque intingitur; & alia fortasse his similia plura cum radiis habet communia. Propriam vero ut habet lumen essentiam, ita & vires proprias habet, & actiones, nec non etiam passiones. Quod equidem argumento est, lumen vires suas alterius rei societate, non amittere; & quam in speciem corporis trinè dimensi, sese ostentet, incorporeum tamen est; sicuti & fons ejus radius, neque ullam cum corporibus antytipos habet cognationem, neque etiam contrarietatem ullam per quam ab eis lædatur, aut minuatur, aut obscuretur: neque enim eorum umbram in se admittit; neque ipsum in se umbram efficit; cum incorporea incidit diaphana, quasi per cognata lætabundum sese insinuat; eaque & penetrat & quaque versum permeat, & tota hilaritate sua & fæcunditate replens: opaca vero quasi hostilia indignabundum aversatur; & quasi ea tetigisse ipsum pœniteat, ex quo resilit illico, & cupit potius frangi, quam ibi remanere; & si quod ibi sit foramen, per illud sese immittit; & quasi ea fuga gloriabundum, latius atq; amplius quam foramen sese contraria parte ostentat. Summa autem rei hæc est, lumen à sole amplissimo dependens, & amplissimum veniens, tanto sese amplificandi desiderio tenetur, ut quoquo modo potest, id faciat; & ut id faciat, in angustissima foramina sese colligere non dedignatur; dum modò per illa in amplius sese fundat: trans enim foramina quæcunque quantacunque transire non indignatur, & trans ea majus quam in foramine, & latius sese ostendere; dedignatur tamen ibi remanere; & si quis foramine obstructo nitatur ipsum quasi carceri includere, avolat illico carceris impatiens: si quis vero ingenuè secum agat, & præterquam per fissuram; per quamvis aliam foraminis figuram transierit, perfectiore figura orbiculari sese ostentat: tantus est ei perfectionis amor. Id autem amoris habet, quia orbis solaris & orbicularium radiorum est progenies. *Omne enim productum producenti partim est simile, partim dissimile.* Neque tamen in transitu foraminum ullo, aut contrahitur, aut densatur, sicuti nec rarescit post transitum, quamvis dilatetur à foramine abeundo magis. Inde est ut per fenestram ingrediens latius atque amplius in solio aut pariete se fundat, quam fenestrarum amplitudo; hac tamen conditione, ut minus spacium magis illuminet, quam spacium majus, hoc ipso indicans, vires suas fonti viciniores, esse fortiores, quando ingressui propius illuminet vi-

va-

vacius, sed angustius; majore autem digressu latius quidem illuminet, sed languidius, quasi coangustum, vividius & robustius fiat dilatatum, quasi rarescat, fiat minus validum. Hoc enim suæ naturæ videtur proprium esse, ut in progressu semper magis ac magis debilitetur, ita ut tandem lumen obliviscatur, ac desinat, & vertatur in umbrationem; non quidem dum lumen permanet, sed postquam lumen esse ipsum pœnitet, & contrariis tenebrarum filiis locum cedit: si vero valens sit, à majore scilicet & vividiore luce oriens; clarius illuminat, & longius se diffundit: hinc fit lumen manifestum, etiamsi corpus incorporeum sit, & substantialis forma; attamen quasi esset qualitas, magis & minus recipit, & maximum lumen & minimum esse potest; & medium multis forte gradibus distinctum: maximum autem lumen id esse ratio dictat, quod à fonte proximè derivat, & radiorum luci est proximum. Lumen econtra illud minimum est, quod à fonte abest longissimè, & quod divisum, vel magis digrediens, luminis formam proximè amittit. Lumen vero medium quod inter hæc extrema duo fulget, idque gradibus pluribus pro diaphanorum ratione. Est tamen lumen, res in se tam perfecta & absoluta, ut dum nulli miscetur diaphano, non semidiaphano, non opaco, non semiopaco, non sordibus inquinatur, non coloribus proli suæ non cognatis luminibus aliis, non sibi denique ipsi commisceatur. Lumen qualitatem corporum nullam esse, jam ostendimus: lumen sordibus non inquinari, omnium oculis est manifestum. Cognatis quoque luminibus non commisceri, certissimo est argumento id, quod sæpissimè spectamus; candelarum nimium diversarum lumina, per idem foramen transeuntia, in foramine non confundi: quoniam trans illud recta, perfecta, distinctissima visuntur: quinimo si alterum à vivaciore candela venerit in foramine ipso, inter socia alia lumina, vivacius fulget: & inde egressum, reliquis apparet fulgentius; sicuti & per fenestras intrans, non prohibet, quin lumen ab opaco nitido reflexum, ab ullo eorum inter se confusione in opposito conspiciatur. Sed in hac luminum diversorum cognatione, illa non minus sunt admiranda; quod inter languidiora lumina, si quod sit vivacius, tale etiam visitur; & quod minus fulget, nequaquam inter vivaciora aut cernitur, aut sui dat sensum. Ita enim est à Natura constitutum, ut luminis majoris præsentia, minus quod est, veneratione veluti quadam sese occulit quidem, ac fit invisibile; non tamen extinguitur, aut quicquam patitur; sed & ipsum suam speciem procreat, quantacunque esse queat; tametsi in simili majore non cernatur: nam sicut flammula in majore lumine, quasi absorbetur; ita lumen minus absorberi videtur in majore; idque ideò, quia ab utro-

utroque illuminatus aër, novi nihil patitur à minore; imo vero similis accessione, rationi est consonum, ipsum augeri & perfici, quamvis lumen majus id offuscet, quod est minus. Cui rei fidem facit, quod plura lumina magnitudine flammarum, unde veniunt differentiæ, majorem efficiunt candorem; multiplici nimirum inter se, vel reflexione, vel coagmentatione. Est & lumen virtutum cælestium vehiculum, & vinculum universi, superi & inferi: quam rem Plato clarissimè est testatus, quando in hanc sententiam scripsit: *Per universum cælum ac terram, extensum lumen veluti columnam iridi similem, sed puriorem, quod lumen cæli est ligamentum, & universæ circulationis, cujus ligamenti extrema usque ad terram sunt extensa.* Neque hoc sine magna ratione dixit: lumen enim quod Elementis infunditur, cælestis luminis est imago; lumen autem cæleste, & cæli risus quidam, & animarum cælestium actus & energia: &, ut Hermes, & Dionysius loquuntur, earum ἀκτῖνες & radii; lumina autem cælestium animarum à luce sunt intellectuali; intellectuale autem lumen, ab intelligibili luce emicat; hæc autem lux ab ipso fonte, ac Patre luminum. Nunc quæ de lumine supersunt persequamur: Cum lumen à cælo in Elementa funditur, & cælestis cum terrestri parte, universique vinculum efficitur, ut puris tenebris nusquam pateat locus. Nam sicuti in lumine, & per lumen cernuntur omnia, colores, opaca, diaphana; sic quoque lumen ipsum non nisi in lumine cernitur; & sibi ipsi est quasi medium, ut cerni queat: unde fit ut lumen universalis quædam forma sit totius visibilis, tum diaphani, tum opaci, tum colorum omnium; colores autem particulares quædam sint visibilium formæ, & omnia sint evidentiæ quædam & luces, & lumen ubique sit veluti color, & color ubique itidem sit veluti lux & lumen: unde concluditur, mundum hunc nostratem, totum participatione luminis, & visibilem esse & pulchrum; & si corpora quæ in mundo sunt, tanto pulchriora & perfectiora esse judicantur, quanto lucis, splendoris, & luminis hujus externi sunt participia; sic quanto lux, splendor & lumen, magis participes sunt luminum Essentiæ, vitæ, intellectus, animæ, naturæ, & materiæ, quæ interna & magis radicalia sunt; lumina tanto perfectiora pulchriora & proximiora fonti & origini æternæ luminis judicantur, & ut veriora, invisibilium simulacra, & visibilium & corporum, ut colorum & motuum exemplaria. Incorporum & corporum vincula certissima ab authore nostro nominantur, in mundo hoc universa: quasi in Dei Optimi Maximi templo est quasi visibile quoddam numen, denique simulacrum: nam & ipsum bonitate sua se cunctis & facillimè communicat; rebus omnibus sese largitur; & quaqua versum per omnia sese diffundit; & causa est ut omnia

nia

nia illustrentur & incalescant, & formentur & generentur, & nutriantur, & excitentur & conserventur: dum enim cuncta penetrat tempore suo, cuncta alit intus, & fæcundat, intus & extra; luminis nempe participatione omnia gignuntur. Est enim lumen quasi vita una, per omnia means, blandissimaque suavitate sua, & intus & extra communicans; luminis namque vita donat & nutrit; nutritio namque etiam fit ab extra: Cum lumine cælesti calor advenit blandus & vitalis, in quo est vis motrix & formatrix omnium, & in omnibus est intimæ fæcunditatis effusio, & diurnæ pulchritudinis & bonitatis imago certissima, & evidentissima. Itaque mundus universus per lumen, & luminosus est, & visibilis, & pulcher pulchritudinem suam tum Diis tum hominibus ostentat, suomet lumine seipsum videt; ipse & sui aspectu pulcherrimo delectatur; & sibi placet & seipsum amat: est enim & ipse anima præditus nobilissima, quæ per lumen omnia & sentit & agit, & vita donat: mundus ergo hic universus visibilibus plenus per lumen est perfectissimus.

## De calore innato, quinto Elemento Seminario.

### ARTICULUS V.

SI per spacium congenitum corpora sint trinè dimensa, si per lumen visibilia, si per calorem & constant & vivunt, magno merito hæc tria Elementa seminaria dici possunt, ex quibus omnia constant & in quæ omnia resolvuntur. De Spacio, Luce, Splendore, & Lumine jam actum: restat, ut de Calore aliquid dicatur. Sed dicitur in scholis Peripateticorum calorem esse qualitatem ignis; & ignem statuunt in Lunę concavo; sed sublimius erit hic philosophandum: imò calor hic non est calor concretorum Elementorum, sed calor ignis divinioris, nempe omnis actionis calor; nam in prima emanatione à causa singulæ res effervescunt. Sic vita definitur *effervescentia essentiæ*, & *actionum origo*: & talem calorem intelligit ipse Peripatus, si quid benè in tota sua Peripateja intellexęrat de Generatione; quem textum citat Author noster: & ut omnes in ore habeant, persuadet cum plurimum; ad distinguendum ignem vivificum à destructivo; & dicit hunc ignem sive calorem diviniorem esse igne Elementari concretorum: & ait, sicut animæ nobilitate & obscuritate inter se differunt, sic corporis caloris hujus naturam differre; quia dicit, *in se continere semen, quod ipsum vocat calorem qui igneus non est*; videlicet, non participans aliquid de elemento ignis concreti; cum sit potius calor hic semina-

rius concreti illius participatum; imò & spiritum vocat: & naturam hanc correspondere ait Elemento stellarum; & dicit calorem solis & animalium, tum etiam animalium excrementa, similem calorem vitalem in se habere. De hoc igitur calore Zoroaster, Humanæ totius sapientiæ Pater, intelligebat, quando dicebat, *sunt omnia ab igne unogenita*: quod oraculum & pro universi conditrice causa, & pro materiali causa, ab ea procreata: & ita Heraclitum, intellexisse creditur. Sic in alio loco Deum Patrem ignem nominat; *Seipsum Pater rapuit, neque in sua potentia intellectuali claudens ignem.* Pater, inquit, proprium ignem non clausit in potentia sua intellectuali, in primo nempe intellectu, qui ab ipso uti jam sæpe vidimus, Potentia Patris & Paterna nominatur; sed si hunc suum ignem Pater non clausit, quò eum effudit, aut diffudit, & in mentem primam, & in secundam; & in ideas & in mentes alias, & in animos, & in omnia corpora usque ad centrum; horum testimonia afferamus: de Prima quidem Mente ita canit:

*Non enim in materiam ignem ultraneum primum,*
*Suam potentiam includit operibus, sed menti.*

Pater, inquit, suum ignem primum, qui ultra & trans omnia est, ejusque est potentia, non includit in materia, ejusque operibus, sed in mente, scilicet prima; quæ potentia Patris est vocata. Deinde hunc ipsum ignem secunda mens sibi induit; ait namque:

*Qui ex mente exiliit primus*
*Indutus igni, ignem vincientem, uti impleat*
*Fontanos crateras, sui ignis florem immittens.*

Ut eo igne repleret fontanos, crateras, ideales, scilicet, unitates & essentias. Hanc autem secundam mentem, Hermes, alter sapientiæ Pater, Deum ignis & spiritus nuncupaverat: sed & multis Sacrorum Biliorum locis manifestum est, Deum ignem nominari: sed sufficiat locus unus Danielis, in quo scripta sunt: *Thronus ejus flamma ignis; Rotæ ejus ignis accensus; fluvius igneus rapidusque egrediebatur à facie ejus*: à quo forte loco, si eum legit, Orpheus sumpsit:

*Tuo Throno igneo adstant laboriosi Angeli.*

Sed & Apollo Delphicus oraculo quodam suo, à Lactantio adducto, cecinit de Deo:

*In igne habitans.*

Singulæ ergo Trinitatis personæ, & simul omnes non divisim, sunt nomine ignis appellatæ, & in igne habitare, & sedere. Sed & Ideas igneas Zoroaster facit, cum canit:

*Sed in partes mentali igne sunt divisa.*

Et in alio loco:

*Multum decerpentes ignis florem.*

Mentium quoque creatarum is ordo, qui Seraphinorum est, igneus & flammeus est cognominatus. Et Ezechiel vidit ignem inter cherubinos: itaque & mentibus Dei ministris ignis est tributus; sicuti fecerat idem Zoroaster:

*Quia operatrix, quia largitrix est ignis vitiferi.*
*Et influit synocheis robur vitidonum ignis.*
*Et Hyperocas ignis flos.* Et alibi:
*His verò ignis mentalis mentalibus fulminibus omnia.*

Sed & intellectui ab anima participato dat ignem:

*Sed mentis extensæ extensa flamma.*

Et opera ejus nominat ignea:

*Mistis canalibus ignis incorrupti opera efficiens.*

Et canales igneos etiam quosdam:

*Neque incidere super Empyreis sparsim Canalibus.*

Sed & ignis molem aliam esse ait, Mundi hujus fabrum:

*Erat enim quædam ignis moles alia, quæ hæc omnia*
*Efficiebat, ut corpus mundanum evolveretur.*

Hunc autem ignem, ait à superis huc defluere per canales.
Alibi quoque ait, usque ad centrum hunc ignem penetrare:

*Desuper penetrans ad oppositum*
*Per centrum terræ, & quintum medium alium*
*Igneum, ubi descendit usque ad materiales canales*
*Vitifer ignis.*

At & solem, & astra, ignes facit:

*Compegit multum cælum astrorum inerrantium,*
*Ignem ad ignem cogens.*

De Sole vero:

*Sex eos constituit septimum solis;*
*In medio jecit ignem.*

Animæ quoque nostræ ignem dedit:

*Undecunque non ficta anima, ignis habenas tende.*

Ignis ergo hic supernus à Deo Patre, per suum profundum, primo protensus, deinde extra profundum per omnes rerum gradus incorporeos & corporeos,

poreos, usque ad Mundi omnes cavitates, & usque ad centrum Terræ eum extendit. Sed quid sibi vult hic Ignis? an forte Lumen illud, quod anteriore libro à Deo prodire demonstravimus, hic idem ignis est, quem modo persecuti sumus? Omnis enim ignis per se lucidus est, & de se lumen emittit. Et omnis lux calida est; & omne lumen calet; ita ut vere videatur dici posse, ignem hunc nihil esse aliud quam lucem: & hæc quatuor eandem esse rem, ignem & calorem, & lucem, & lumen; ratione quidem inter se distincta; subjecto vero idem esse omnia. Ita ubicunque lux est, ibi & lumen est, ibi & ignis est, ibi & calor est: & ubi eorum unum est, ibi sunt & reliqua. Sed eorum duo videntur in se consistere, Lux & Ignis; duo vero alia extra ea prodire, lumen & calor. Et sicuti illa duo semper sunt sibi juncta, ita hæc duo nunquam à se invicem disjunguntur: neque vero duo hæc ab illis duobus, aut divelluntur unquam, aut avelluntur: neque duo hæc, illa duo non producere possunt. Neque enim lux de se lumen non emittere potest; neque ignis non emittere de se calorem potest; neque lux calida non esse potest; neque ignis non esse lucidus. Sed cur ignis & lux sunt à Zoroastre & Hermete, à Prophetis & Sanctis viris Deo tributi? Philosophicam aliquam rationem, si possimus, adhibeamus. Inter corporeas res igne nihil efficacius; calore nil vitalius; Luce nihil evidentius; Lumine nil blandius, nil jucundius. Et quidem Ignis est calor corpulentus; calor ignis fere incorporeus. Idem sunt quoque Ignis & Lux: Ignis est lux calida; lux est calor lucidus, per calorem entia generantur & vivunt, & constant, & augescunt, & conservantur, & generant, & perficiuntur: per lucem verò & lumen, & cognoscuntur, & cognoscunt; & iis oblectantur, & libentissimè fruuntur. Quoniam igitur lux & ignis, & horum proles, calor & lumen, corporearum rerum sunt præstantissimæ; humana mens non habuit illustriora nomina quibus Dei aliquam notitiam vel ipsa susciperet, vel aliis præberet; vel majore Deum honore in sermone afficeret, quam his nominibus, Ignis præsertim, qui est per se, & in se lucet, & extra se lumen spargit, & calore vitali omnia replet: Deus namque sui natura & supereminentia, tam alte positus est, ut omnes nostras cogitationes & mentis conceptiones transcendat: ut humano intellectui sit penitus ignotus; atque ideò dictus est, seipsum à nobis rapuisse. Ignis igitur, quatenus sui natura est calor, entibus omnibus dat ut sint, eisque essentiam & vitam largitur. At hæc ipsa à Deo esse, jam demonstratum; & sic ignis Deus dicitur. Ergo di-

ctum

ctum verissimè est: *ab uno igne omnia esse progenita:* nihil enim hic ignis significat aliud, quam summi Dei virtutem illam infinitam, omnipotentem, per quam Entia omnia ab eo sunt creata, & de illo, uti de proprio fonte, educta; igne nimirum hoc procreatore & rerum generatore, in suum profundum prius sparso; deinde in ministras suas mentes, atque animos conspersio, & distributo: omnia sunt à Deo, uno igne, progenita, & vivendi viribus donata. Ideoque à Zoroastre eodem, Ignis hic ζωηφόρον & ζωηφορέον, *vitifer* & *vitam ferens* & ζώδωρον *vivi-donum* est appellatus. Igitur à summo Opifice per mentem secundam, per Ideas, per Dei Ministros Hecaten, Synocheas, Teletarchas, per animum mundanum, per cælos omnes, per Mundum hunc Hylæum, usque ad Terræ centrum, & ultrà, calor vitalis, & Ignis *vitam ferens*, omnibus penetrat, & permeat: namque tametsi à divo Paulo dictum est; *Deus noster ignis consumens est*: ad Hebræos scribens, tunc ad id retulit quod in veteri Lege ob eorum peccata, sæpe experti fuerant; quando per ignem pœnas luerunt; & fortè sensu aliquo alio, quem Theologis relinquimus. Deus inquam non est ignis, ut hic noster comburens omnia; neque etiam qualis est cælestis per radios solis, ac lumen ad nos protensus. Qui tametsi causa quædam sit generationis rerum nostrarum, (Sol enim & homo hominem generat,) & calor qui in animalibus est, elemento respondeat stellarum; attamen, si quando diutius nos ferit, Sol res, à se etiam genitas, consumit: & ab Hippocrate scitissimè est pronuntiatum: *Idem calor qui nos constituit, etiam consumit*: Sed animi calor ignisque vigor, nempe vivificus, quo rebus omnibus, quibus ipse jungitur, vitam tribuit & animationem θέρμον ψυχοῦσα τὰ πάντα calens, animans cuncta; longe est excellentior, & suavior cælesti; nedum quovis Elementali. Hi enim & comburunt & consumunt: Ille verò animarius, nulli accedit rei, quam non illico vivificet, animet, nutriat; & cætera tribuat innumera, quæ animalium animatarumque rerum sunt propria. Namque Elementarium calorum is qui subterraneus est, subterranei est proles maxima: hic vero caloris cælestis est proles & imago: Cælestis autem calor proles & imago est caloris Empyrei; Empyreus vero calor & ignis proles & imago ejus est luminis, quod universum, infinitum spacium ostendimus primo replevisse. Huic animus primarius ac fontanus præsidet, ipsiusque progenies & imago est lumen illud, cui blandissimum calorem suum influit, mens secunda. Mens autem hæc, quæ Deus, ignis dicta est à mente prima; & à Patre rerum om-

omnium authore & fonte retulit. Non enim calor subterraneus, aut superterraneus principium calorum & ignium omnium est; sed hic veluti fex est superiorum; tum ejus qui in aqua tum in aëre, & in sole, & in astris, & cælo est; & ipsius denique Empyrei. Nam quod ante de natura, de cognatione, de lumine ostendimus, idem est de calore atque igne faciendum: hosce nimirum in suam primissimam ideam & unitatem per gradus resolvendos: nam calor qui in terra, in aqua & in mistis est, ab aëreo pendet; hic à cælesti; is à sole & astris; hic vero ab Empyreo; Empyreus à luminis calore; hic ab animario; hic ab intellectuali; hic à vitali primario; hic quoque à primario essentiali; hic itidem ab Ideali, qui in Deo habitat, & à Deo Patre est derivatus. Ignis igitur & calor Patris est ipsius Profundi virtus; ipsa rerum omnium conditrix est, vivificatrix, servatrix & perfectrix invisibilis, sui natura; sed per visibilia lumina, per ignem Empyrei cæli, per ignes astrorum ac solis, & per calorem cælestem in Elementa diffusum, per canales (uti loquitur Zoroaster) usque ad universi centrum, propriis quasi vehiculis est devectus, ad vitam omnibus largiendam; quæ quidem calor & ignis, Deus ille fortè est quem Hermes *Deum ignis & Spiritus*, nuncupavit; ac forsitan spiritus ille quem Moyses super aquas ferri dixit, eas nimirum in omnes efformans rerum formas; & per omnia means, omnia fovet, omnia generat, omnia nutrit, omnia conservat: quo dixit Hermes omnia animata egere: & quem Democritus animum appellavit Mundi; at Stoici Mundi spiritum, per omnia meantem, & omnia vivificantem: & quem Aristoteles vocavit spiritum & potentiam, omnia penetrantem, & stirpibus & animantibus spiritus præbentem.

## *De Sulphure Fixo,*

## Sexto Elemento Seminario.

### ARTICULUS VI.

Dictum supra fuit Deum esse ignem, & in igne, & calore habitare; imo & dicitur ignis consumens, à Paulo ad Hebræos scribente; quia ob peccatorum delicta in veteri lege sæpè experti fuerant, ut igne pœnas luerent; & forsan sensu aliquo quem Theologis relin-

ſinquam. Deus tamen non eſt ignis, ut hic noſtràs, comburens & deſtruens omnia; nec qualis cæleſtis, ſed qualis animarius, aut qualis fuerat in profundo Ideali, nempe qui extra profundum eſſentialis, vitalis, intellectualis, animarius fuit; & inde ſpacio, luci, ſplendori, & lumini coëxtenſus calor fuit: & ulterius per fluorem in concreta Elementa protractui ignis fuit conſumens; cujus comites ſunt aliquando lumen, ut in rebus ſulphureis; aliquando calor, ut in ſole. Luminis munus eſt, per flammam exteriora patefacere, caloris occultas naturas rerum movere: nec differunt ſulphur & ſal, origine; ſed proprietatibus: origine enim omnia entia unita fuere; in progreſſu vero diſtincta: in origine enim ſulphur fuit ſcintilla ſulphuris fixi & inviſibilis, ex ipſo profundo divinitatis emanans: quæ quoniam ſuper omnem exiſtit locum, æquè in quamlibet loci partem ſe ſe diffundit; ac progrediens, dum in gyrum movetur, flammeus orbis efficitur, oculis manifeſtus: quando inviſibilis fuerat, flamma erat compreſſa, viſibilis verò, ſcintilla profuſa; & ſcintilla illa, in origine fuit *eſſentia*, *vita*, *intellectus*, *natura*, *&* *materia*; in progreſſu lux, lumen, ſplendor, calor, & ſulphur fixum, & tandem corpus cæleſte, æthereum, & denique Elementare, & concretum in flammam: & quanta varietas in animabus, ratione lucis ſpiritalis; tanta eſt in propriis earum cæleſtibuſque corporibus. Viſibilis luminis varietas, eademque anima, quaſi lux eſſe videtur; quæ dum ſcintilla manet, ſentit quidem, ſed non ſentitur: cùm vero explicatur in flammam, ſentitur quidem jam, ſed ipſa nihil ſentit amplius; & ſicut ſenſu careret, quicunque flammam videns ſcintillam ſe videre negaret, ita carebit anima, quod dum globos æthereos ſuſcipit, quaſi quoſdam animarum circuitus, & animas ineſſe illis quaſi centra non ſenſerit: quod ita ſignificat Heraclitus: Αὐγὴ ξηρὴ, ψυχὴ σοφωτάτη. id eſt, *Lux ſicca, anima ſapientiſſima*: jam reſtat, ut flammæ ſeu ſulphuris viſibilis notitiam explicem. Certum eſt omnem flammam in ſe habere duplicem naturam, uſtionis videlicet, tum lucis, ſplendoris & luminis, adurentem facultatem; per participationem habet ſalis fixi, cujus eſt proles, in ſale, ut infinitæ potentiæ germine, per finem limitatæ. Omne enim volatile originem habet à fixo, ſicut ab æterno & ſtabili principio; lucentem vero ab infinita potentia terminata in ſulphure, per finem. Nec ſolum lucentem iſtam facultatem habet à ſulphure, ſed etiam à ſale: ſal enim ſulphuris eſt quaſi parens, & proxima corporea cauſa, cui albedinem quam in ſe habet, luci, ſplendori, lumini, acceptum refe-

referet. Diſtinguitur ſulphur in fixum & volatile: fixa autem parentum æternitatem æmulantur; talia ſunt adamantis, carbunculorum, ſmaragdi, hæmatiſtæ, ſaphyri ſplendor: & color talis eſt in auro & argento, & innumerabilibus multis aliis; ſplendor & nitor, qui ipſis innatus eſt, non accidentarius; quia abſque ſubjecti diſtinctione avelli à ſubjecto vix patiuntur. Et iſtæ omnes proprietates, quamvis diverſæ in progreſſionis termino ſint; tamen in radice eadem fundantur; ut clarius patebit illis, qui Philoſophiam meam Pyrotechnicam revolvere velint: multa enim ibi reperiuntur, quæ propter brevitatem hoc in loco referre eſt impoſſibile.

Alia volatilia, & ita dicuntur, quia ſicut fixum omnem ignis impetum ſpernebat; volatile illico ab igne effugit; & ab igne conſumitur; & perpetua continuatione & influxu materia inflammabili eget; ſine qua illico deficit ejus lux, ſplendor, lumen & calor; & talis materia eſt pinguedo; ſive ſit vegetabilium, animalium, ſeu mineralium: & hæc materia eſt ſenſibilis, & veſtit ignem inviſibilem, ut parentum lucis, nempe ſplendoris, luminis & caloris divinitatem; & in eo ut in ſemine deliteſcentem; ut ab inquinato hominum conſpectu non ſolum abſconderet, ſed ut tacitas mundanæ Anatomiæ diſpenſationes continenter abſolveret; & opere ſoluto diveſtitis corporibus, ad nobiliora cauſarum diverſoria tendens, lucem, ſplendorem, lumen, & calorem denuo cum ſulphure volatili indueret, & ſenſibilem redderet. Exuit ſe igitur ignis, ut artifex rerum corporearum, ut induat corpora ſulphurea, & corporea omnia & concreta Elementa, ut inde mixtum pro continuitate hujus Mundi cum Archetypo ſuppeditet. Sed cum nec à ſpatio, nec præcedentibus ſeminariis, nulla veniat atytipia aut reſiſtentia, quid erit hoc ſulphur fixum? Corpus ne erit adhuc? an non? reſpondetur: ſi eſſet hoc ſulphur corpus, non eſſet Elementum ſeminarium, ſed concretum; & ita rationes incorporeas corporis, nempe trinam ſpatii dimenſionem, quæ ſunt principia corporis, ſulphuri concreto non ſuppeditaret; & proinde ſaltaret; & vacuum in ſpeciebus relinqueret, quia non haberet quod incorporea corporibus vinciret, aut corpora produceret: non eſt igitur hoc ſulphur corpus, ſed incorporeum corpus, ad corporis dimenſiones, per Atomorum fluibiles rationes tendens, ut inde in fluorem, ignem & aërem, principiis hypoſtaticis, tranſiens, tactibilitatem ipſis corporibus hypoſtaticis ſalis, & ſulphuris, tum Aquæ & Terræ characterem imprimeret,

ret, & Mundi compagem ex insensibilibus & sensibilibus coaptatam perfectam redderet.

## De Atomis, seu minimis corporibus:

### *Septimum Elementum Seminarium.*

### ARTICULUS VII.

JAm autem restat ut de minimis partibus, & diversissimis veterum & neotericorum partibus materialibus, quas *Atomos* vocant, agamus: de quibus censebant tam primævi quam recentioris sæculi Philosophi, eas à natura seu forma fuisse productas, sed à Deo ut instrumenta primæ causæ fuisse creatas. De quarum natura qui velit esse instructus, commentaria mea in textum authoris legat, & ibi omnes veterum opiniones de atomis inveniet, rationibus sensibilibus stabilitas: aut alioqui, qui tam immensos labores effugere cupit, recurrat ad tractatum meum de Atomis in libro meo de Elementis Philosophiæ Pyrotechnicæ, Gallico idiomate conscripto; & omnia quæ ad eorum naturam spectant, cum his simul inveniet: nolui enim ea hic propter duas rationes inserere: unam, quia in nimis magnam molem assurgeret hic liber: alteram, ut cujuscunque nationis sint illi, qui illam Philosophiam, quasi è tumulo longè redivivam, addiscere cupiunt, simul cum scientia, & linguæ Gallicæ ad artes tradendas, & omnia officia humana peragenda necessitatem etiam addiscant; sed super omnia, ut gentem cordatam, gentis mores, mansuetudinem, civilitatem, saluberrimam auram, fæcundissimum solum, situm jucundissimum & Reipublicæ Europeæ quasi Cordis & Capitis exemplar, & ideo Galliam, quasi totius Mundi *Galeam* agnoscant. Nec me pro elogiorum istorum præcone nimis suspecto tenere debet aliquis, cum peregrinus sim, & extra illorum oras hęc memorem; nec etiam credant me ex levi experientia & usu hæc didicisse; sed propemodum quadraginta annorum consuetudinem acquisivisse, & nunc in lucem demùm promulgasse.

Interea, ut ad atomos accedam, in mentem revocanda erant ea quæ de spacio supra dicta fuerant. Inter quæ primum esto spacium, quod est infinitum; infinitum autem nullas habet vires ut majus fiat, aut illam in

partem aliquam ampliorem sese amplificet; in omnes enim æquè fusum est, æquè scilicet, quaqua versum infinitum est. Cum autem majus seipso fieri nequeat, mundo verò aliisque cunctis majus sit, & simpliciter maximum, & maximum omnium est. Maximum autem id revera est, quo aliud majus esse nequit: sin autem ipso majus nihil omnino est, ipsum maximum omnium est. Et si seipso majus fieri nequit, maximum simpliciter est. Id enim omnibus rationibus maximum est, quo majus nec est, nec esse potest. Itaque spacium hoc, & est id omne quod est; & est id omne quod esse potest; & si maximum hoc est in rebus, in rebus etiam erit minimum. Altero namque contrariorum posito, poni necesse est & alterum: At quid nam hoc minimum est? Contraria, opinor, innotescet ratione; nam ut maximè magnum est, ita minimum maximè est parvum: & prout maximum id est quo majus nihil esse potest; ita minimum illud est quo minus esse nequit: & sicut maximum est infinitum, sic minimum erit finitum: & maximum maximè dividi potest; ita minimum maximè dividi potest. Atq; hoc utrumq; de spacio est intelligendum: & sicut illud infinitum spacium divisibile est in infinitum; sic finitum divisibile est in infinitum: atque ita falsum vetus illud dogma apparet, *omnem quantitatem seu quantum, dividi posse in infinitum*. Et contrarium dogma verum esse necesse est, ut scilicet finitum spacium eo usque divisibile sit, ut divisio ea ad minimum spacium perveniat. Ita ut si amplius dividatur, amittat ut sit spacium, neque jam spacium esse queat: sed aliquid in spacio minimum, & diversum à spacio fit, hoc est non spacium: atque hoc est quod veteres Geometræ *punctum* appellavere; *punctum* & nos appellamus. Quod sicuti spacium non est, ita nullam habet dimensionem; & ideo non habet, quia contrarium ejus, spacium scilicet, omnes habet: & quia hoc omnes partes habet, punctus habet partes nullas: & quia nullas habet, impartibilis erit, & indivisibilis, & quà indivisibilis est, cur non etiam erit unitas? quæ & ipsa nequaquam dividi potest. Dixere veteres momentum temporis, & momentum motus esse indivisibilia: sunto; sed puncto sunt posteriora. Tempus enim post motum, vel cum motu est: motus post corpora; & cum corporibus corpora post dimensionem trinam, post binam bina, post unam, una vero post punctum. Punctum ergo ante omnia; hoc est quia in spacio omnium primus positus est; qui itidem unitas est. Verum cum essentialiter ambo idem sint, nomina ad aliud relationem sortita sunt; punctus relatione ad lineam, unitas relatione ad numerum: est enim Punctus principium lineæ; sicut unitas numeri principium est: si vero principium quoque dicatur relatione rei productæ, proximè erit à puncto producta; at si productionis nomen induca-

ducamus, motum inducemus; quem quinto gradu distare à puncto, modò dixeramus: non ergo motus attingit punctum: si non motus, nec productio; si non productio, nec principium lineæ punctus erit: quid ergo? si linea puncto non producitur, linea non erit? erit sane; sed non producta; nec erit linea punctus fluens, quod veteres aliqui autumarunt. Quid ergo linea est? pars ea spacii quæ inter duo puncta interjacet. Sunt enim puncto & unum & plura; imo omnia in spacio, quando quidem extra spacium nihil vel est, vel esse potest: linea ergo est spacium duobus punctis interceptum. Cum autem duo puncta dico, jam & numerum indico. Et sunt in spatio duo puncta actu: Itaque numerus actu, una cum continuo est. Neque numerus ante lineam est, nec linea ante numerum. Nec jam posteros quæstio illa vexet, quæ veteres male torsit, num continua vel discreta quantitas, natura antiquior esset ac prior: simul enim sunt, neque est altera ante alteram; nec altera sine altera est, nec esse potest. Ac veterum scientissimi Pythagoræi rectè dixere, binarium, qui primus numerus esset, lineæ respondere: ternarium, qui secundus est, respondere superficiei: quaternarium, qui tertius est, respondere corpori; suadente, cogenteque, quamvis tacite, rerum natura; quæ nec ultra quatuor numerum, (ex quo numerorum denarius ultimus conficitur) nec ultra corpus passa est continuum progredi; idque ipsum intra quatuor: etenim sicuti quæ inter duo puncta spacii, pars intercipitur, linea est, quæ inter tria prima est, superficies triangulus; sic quæ inter puncta quatuor spacii pars continetur (uno in eodem posito) primum corpus efficitur pyramis; post quod si quinque punctis spacium comprehendatur, si sex, si alii pluribus, non aliud quam corpus absolvent, hoc est trinam dimensionem longum, latum, & profundum; quibus partes spacii infiniti (nam totum ut infinitum non metimur) dimetimur. Magnaq; admiratione prosequendum est, duo puncta lineam, tria superficiem, quatuor corpus, tres spacii partes includere, neque ultra progredi posse ad speciem aliam, præter corpus formandum: intraque eadem quatuor, numerus perfectissimus denarius consistat, ultra quem replicatio sit eorundem, non alterius formæ productio. Hæc tamen cuncta à nobis finita imaginari debemus, mentemque nostram finita sibi in opus sumere, quæ spaciis mundanorum corporum possint accommodari; à quibus corporibus non per abstractionem mens ea separat, ut quidam contenderunt: quoniam ea spacia non sunt primo, & per se in mundanis corporibus, sed sunt ante corpora, actu in primo spacio; neque etiam in phantasia aut Dianœa nostra, (ut quidam alii viri admirabiles tradiderunt) veluti in subjecto dimensiones illæ, & quæ inde for-

formantur, reliqua subsistentiam habent; sed mens è spacio illo primo vi sua, partes eas desecat, quæ sibi vel exemplationi, vel operi usui futura, easque omnes vel continuas, vel discretas: continuum autem asserimus esse id, quod extenditur; discretum verò quod de continuo desecatur. Et continuum semper actu est; mente vero nec actu, nec potentia dividi, sed divisum imaginari tantum: & sicuti continuum primum actu maximum est; sic in eo minimum actu esse quoque est necesse; quia sit necesse in natura, ac rebus ultraque contraria existere: & sicuti maximum continuum est id quod majus esse non potest; ita minimum continuum erit illud, quo minus esse nequit. Et sicut maxima magnitudo ea est, quæ nec major esse potest, & id omne ac totum est quod esse potest: ita quoque minima magnitudo ea erit, quæ minor esse nequit; & quæ in parvitate, id totum est quod esse potest; neque tamen id est punctus, quem supra dicebamus esse minimum in spacio. Minimam autem magnitudinem dicimus esse minimum spacium, sive spacii minimum; in quo sistetur necessario illa continui divisio, credita in infinitum: neque mirum videri debet, eam sensu non comprehendi, quando nec totum ipsum spacium primum, nec ejus partem ullam, parvam, magnamve sensus percipit. Certè ratio ut spacium illud universum adinvenit atque argumentis multis comprobavit, ita proximæ rationes, cum superioribus, spatium etiam minimum reperiunt, & confirmarunt. Patuit quoque continuum sui natura omni divisione antiquius ac prius esse, cujus divisio ac desectio, humanæ cognitionis vi facta, numerum procreasse putatur. Atque hinc etiam fit manifestum, cur numerus, discreta quantitas, à veteribus, divinantibus potius, quam causam scientibus, sit appellatus. Patet quoque continuam quantitatem, à natura esse; numerum vero humanæ mentis esse opus: in mundanis autem corporibus inter se divisis esse etiam à natura, clarum quoque evasit, continuum antiquius esse discreto; quoniam discretio nulla fieri potest à vi ulla, nisi continuum antecederet. Solviturque hinc quæstio illa, apud veteres recentioresque ardua, utra prior esset natura, continuum an discretum; neque aliquem turbare debet, ut pauca obiter dicam, quod ego Pythagoreorum more ex Mathematicis Physica componere videar. Non enim velim intelligas materialia corpora, ex figuris & numeris, tanquam ex Elementis & partibus, sed tanquam ex terminis quadam resolutione componi; quod videlicet naturalia in illa quasi priora, ac velut terminos resolvantur: quinimo & Plato formas Physicas omnino materiales appellat; quia & communi & propria materia indigent, & absque illa cogitari nequeunt, vel quadam analogia aut mutua scientiarum dependentia inter se co-

se cohærent. Pythagorici enim similia Elementa in spiritibus atque in corporibus constituebant. Quatuor apud Metaphysicos vocantur, essentia, esse, virtus, & actio: apud Mathematicos quatuor; signum, linea, superficies, profundum: apud Physicos quatuor seminaria naturæ, virtus, pullulatio, naturalis adulta forma, denique compositum. Redde singula singulis; essentiæ quidem signum, ac semen; ipsi verò esse lineam, pullulationesque; virtuti, planum atque formam; actioni, profundum atque compositum: & ubique extrema veluti solida duobus concilia mediis: manifestè quod in Mathematicis signum est; Plato in Physicis virtutem seminariam, individuamque & stabilem esse putat, quod in Mathematicis linearis in longum productio, & in Physicis geminantis formæ pullulatione: item quod ibi planum, hic propriam formam; ut enim planities corpus terminat, sic forma materiam: denique ut ibi profundum, hîc compositum.

Interea ut ad veterum Philosophorum de Atomis mentem veniam, &, ut est in Platonis Timæo, de primis illis corporibus, igne, aëre, aqua, terra, agens, addam Mercurii, salis & sulphuris corpora, & Platonem deinceps philosophantem audiamus. *De his omnibus*, inquit, *adeo parvis ita putandum est, quod si singula duntaxat singulorum generum capiantur, nullum eorum, propter parvitatem, cerni à nobis poterit; sin vero multa invicem congregentur, eorum moles magnitudinesque cernantur.* Hæc Plato: quapropter crassius illi de hac subtilitate cogitant, qui hos Democriti atomos putant similes illis minutis, quæ loco opaco, per transversos solis radios volitare conspiciantur; cum in singulis illis corpusculis, vel mille, quales agnovit Democritus, atomos agnoscere queas; si, quod ab experientia ratio clarissimum facit, consideramus.

Pediculi ulli intercutes, quos acaros vulgo vocant, cum sint tantæ tenuitatis, ut aciculæ cuspidi admotos, in luce vix capiat visus acutissimus; animalia sunt tamen sensui communicantia; neque enim tantum nutriuntur & crescunt, quod animæ vegetantis beneficio tribuitur; sed suffusione facta, quasi cuniculis incedunt, magna cum mutatione & sensione partis. Est igitur anima sentiens, & quidem in corpore organico, atque adeo ex pluribus organis constructa; quorum singula quam multis partibus constent, fidem excedit. Nisi quis forte adeo fuerit imperitus ut putet eam nutritionem, attractionem, cibi concoctionem, secretionem, sine instrumentis fieri, vel incessum illum sine vi, vel vim illam sine organis fieri; quæ & cutem transforent, & papulam cum pruritu excitent; & aquam veluti nutritionis excrementum relinquant, si in illis instrumentis partes duriores cum mollioribus, crassiores cum subtiliori-

bus

bus conjungeremus; si igneas, aëreas, aqueas, terreas, ad ejusdem instrumenti compositionem, in crasin coire diceremus, quis non ferre potest, si, quod certissimum est, spiritus naturales, vitales eorum instrumentorum motores, materiales quidem & corporeos, sed innumeris gradibus subtiliores, quam reliquas partes, asseramus? nonne quem Democriti risum auditoribus moveamus? quid tamen horum, si non sensus, at ratio certa, clarissima, non judicat esse verissimum; neque enim quæ dicimus, etsi sensui minus familiaria, Medicorum, Peripateticorumque judicium refugiunt: quippe norunt Medici, norunt Peripatetici Doctore Aristotele, animam esse actum corporis organici, animamque etiam vegetantem, maximè verò sentientem, variorum instrumentorum concentum requirere; hæc singula ex plurium diversarumque partium similarium symmetria constare. Rursus partes illas ex omnium elementorum varia coitione coalescere, spirituum diversorum ministerio animam uti ad horum instrumentorum motionem, hos spiritus, corpora quidem esse, sed præ incredibili subtilitate appellationem sortita spirituum, partes instrumentales per meatus multiplices; his spiritibus, esse pervias: quæ omnia, etiam in minutissimis animalibus, ut ratio ipsa & sua principia cogunt fateri: sed mittamus ea instrumenta multiplicia, mittamus multiplices eorum instrumentorum partes, animales illos spiritus, quos nemo nisi ignarus incorporea corpora esse negaverit; considerantes, quemadmodum, & in cæteris animantibus ponamus, paulatim & successive, & per partes excedere; & inde sequatur rei interitus; ad quem per ejusmodi spirituum dissipationem successivam, ratio cogit, ut fateamur. Deinde horum spirituum per partes affluentium, partem unam contemplans, reputato, cum si totum illud pediculi corpus quod instrumentis variis instructum est, in tam tenues partes dissolveretur, in quot millia partium abiret? Ex aliorum animalium comparatione, cogita, quantum sit discrimen inter partes, ex quibus organa constant, & illas quæ spiritus constituunt, quæ quidem corpora sunt, sed præ subtilitate spiritus appellata, quam tenues meatus, per illa instrumenta spiritualia spiritibus hujusmodi viam facientes.

Subtilia quidem hæc; verùm si cum iis comparentur, quæ Aristotelis exigit dogma, crassa videbuntur. Imaginare minimam spirituum illorum partem; eam Aristoteles probat in infinitum posse dividi Cap. 2. lib. 1. de Generatione; hac potissimum ratione Democriti sententiam insectatur; quod minutas illas rerum particulas, primas atomos, i. e. individuas insectilesque putaverit; nempe conatur ostendere nullum adeo exile corpus dari posse, quod non

non re ipsa in partes minutiores posset dispertiri. Hæc præmissa voluimus, ut qualem naturæ subtilitas petit, subtilem lectorem habeamus. Is demum subtilis erit, & ad naturalium speculationem aptus, si cogitare possit, quicquid ipse reputat subtilissimum, id ad naturæ harumque atomorum subtilitatem crassissimum; si contemplationem Physicam, nempe vulgi opinione metuendam, neque sensus judicio terminandam putet; sed ubi sensus obtusus desierit, mentis acies pergat in subtilissima penetrare, duce ratione. Quemadmodum in exemplo proposito, de effectibus illius pediculi, judicat sensus; deinde mens colligit harum affectionum authorem, animatum esse, ac sensu præditum; inde penitus ingressa rationis ductu ea omnia pervestigat. *Sed sunt vocabula sicut nummi*, nunc usu valent quæ in usu olim non fuerunt. Opiniones Philosophorum, aliis emergentibus, una cum scriptis eorum abolitæ sunt. Fuerunt olim totius Antiquitatis testimonio viri sapientissimi, Pythagoras, Empedocles, Democritus, Socrates, Anaxagoras, Parmenides, & plurimi alii, quorum tamen dogmata vel plane ignorant; vel talia ipsis attribuuntur, quæ fabulis anilibus quam sententiis viro sapiente dignis, attribui videntur: seu, ut Franciscus Titelmanus lib. 5. Philosoph. Natural. loquitur: *quæ si à nobis intelligerentur, forsitan non penitus nobis viderentur improbanda; quæ tamen nunc prima facie, cum non intelliguntur, velut absurda videntur; ac velut Philosophis indigna abjiciuntur.* Equidem Aristoteles antiquorum opinionem passim, & recensuit & acriter impugnavit. Sed ingenuè confitetur Pererius lib. 4. Comment. de rerum naturalium Prin. Cap. 16. se inficiari non posse, Aristotelem in aliorum opiniones inquirendo, & in his ipsis dijudicando, magis quam æquum erat, durum atque acerbum arbitrum, & judicem extitisse. Et ibidem Simplicii sententiam refert, qui existimavit priscos illos Philosophos solitos esse celare sententias suas ænigmaticis & allegoricis obscuritatibus: quocirca Platonem & Aristotelem veritos, ne qui rudiores hebetioresque sunt, ob eorum abstrusa sensa introspicienda, quod primo aspectu quasi apparet, ex eorum dictis arripientes in errorem laberentur; ita opiniones eorum tractasse, ut eas vulgo improbare ac reprehendere videantur; ut de aliis non dicam, Democritus, Hippocrates, Synchronus, ut non solum ex epistolis Hippocratis, sed & Diogene Laërtio, & Plinio, lib. 30. Cap. 1. patet. Philosophiæ studiosissimus fuit, & non modo Anaxagoræ, qui ætate minor 40. annis fertur, sed ut Philosophorum sententias diligenter perpendit, & Sapientiæ conquirendæ gratia multis annis peregrinas regiones, Chaldæam, Indiam, Persiam, Æthiopiam, Ægyptum peragravit, & Magos & Sapientes illorum locorum audivit &

consuluit, ut ex Plinio libro variarum Histor. Cap. 20. Diogene Laërtio, in ejus vita, Clemente Alexandrino, lib. 1. Astrol. & Euseb. de præparat. Euangel. l. 10. Cap. 2. Plinio lib. 30. ut videre est, & vitæ satis longæ spacio (obiit enim annum centesimum nonum agens) ad rationis & experientiæ trutinam omnia diligenter examinavit, & ita in Philosophia excelluit, ut vulgo Πένταθλος quasi *quinquertio* victor, i. e. qui in naturalibus, moralibus, Mathematicis & reliquis disciplinis, scientia emineret; ab Hippocrate in Epistola ad Damagetum, *hominum sapientissimus* ἀνδρῶν σοφώτατος, *vir sapientissimus* ἀνὴρ σοφώτατος; & in epistola ad Democritum ἄριστος τῆς φύσεως καὶ κόσμου ἑρμηνευτής, *præstantissimus naturæ & mundi interpres* nominatus; & ab Aristotele de Generatione & Corruptione O. 2. Textu. 5. omnibus priscis Philosophis in scientia naturali prælatus fuerit; Senatuique verò Populoque Abderitano tanto in pretio habitus, ut in Epistola ad Hippocratem scribat, se metuere, si Democritus male valeat, ne urbs Abderitana penitus pro deserta habeatur: & in eadem Epistola σῶμα σοφίης *corpus sapientiæ* nominatur; imò ab iisdem *Philosophia* dictus fuerit; ut refert Ælianus allegato loco: ac vel hoc ejus insigne in cognoscenda Physica studium arguit; quod Plinius lib. 14. Cap. 2. scribit, cum vitium innumera atque infinita pene sint genera, & totidem penè quot sint agri, eorum tamen genera comprehendi numero posse, unus existimavit Democritus, cuncta sibi Græciæ cognita professus. Non ergo credibile est virum σοφώτατον, ut appellatur ab Hippocrate, ac tam sagacem & vitæ utilissimum, ut à Plinio lib. 28. cap. 8. nominatur, tam absurdas, ut hodie ipsi attribuuntur, opiniones fovisse; nec vero consentaneum est, ut verbis Pererii lib. 4. Phys. Cap. 4. utar, *virum cordatum & sapientem ac multifarie laudatum ab Aristotele*; res tam perspicuè falsas; nec occultè modo rationi, sed apertè ipsis sensibus adversas credidisse, & enunciasse. Inter alias autem opiniones quæ Democrito & Empedocli, aliisque pluribus nobilissimis Philosophis antiquis tribuuntur, est; quod atomos principia rerum naturalium constituerint, ex quarum varia unione, reliqua corpora orta sunt. Atque hæc sententia antiquissima fuit; & jam monacho cuidam Phænicio, quem ante Trojæ excidium floruisse memorant, tribuitur. Imo communem fere fuisse Philosophorum ante Aristotelem sententiam, ex initio lib. 8. de generatione & corruptione patet. Primus Aristoteles ab hac sententia recessit; statuitque corpora illa minima, non solum in mistione uniri; sed & per mutuam actionem, & passionem qualitatum primarum inter se ita alterari, & affici, ut desinant esse id quod ante mistionem erant; & in corpus quoddam, ita ὁμοιομερὲς transeant, ut

ut quælibet etiam pars minima, non amplius ignis, aër, aqua, vel terra; sed mistum dicatur: de qua re plura de mistione dicentur. Etsi vero satis odiosa doctrina de Atomis & corporibus indivisibilibus vulgo proponitur, tamen si rectè explicetur, absurda non videtur: imò rationes quæ pro hac sententia adferuntur, non sunt leves, aut subtiles; sed urgent & cogunt; quæque haud facilè solvi possunt, ut ipse Aristoteles de generatione & corruptione lib. 6. Cap 2. confitetur, quasque se certo soluturum promittere non potest; sed *tentandum* scribit, πειρατέον; & procul dubio agnovit, se solidè hanc sententiam refutare non posse; ideoque quod omnino facere debuisset, propriis & Physicis rationibus, fere usus non est; sed Mathematicis & alienis. In hunc autem modum, doctrinam de Atomis explicari posse videtur. In rebus naturalibus, generationi & corruptioni obnoxiis, quia perpetua generationum & corruptionum vicissitudo est, simplicia quædam corpora sui generis esse, necesse est; è quibus composita generentur; & in quæ rursum composita abeant: cum enim videret Democritus corpora naturalia, neque ex nihilo, neque ex punctis fieri, necessario statuit ea ex minimis corpusculis componi. Ubi notandum, Democritum non quæsivisse, an detur individua magnitudo Mathematica, sed an dentur minima corpuscula naturalia; quorum multitudine congregata, certa species corporis naturalis emergat; appellantur ita hæc corpora minima naturæ, Atomi, atoma corpuscula, σώματα ἀδιαίρετα *corpora indivisibilia*; idque ideo quod in natura, in resolutione, ultra ea, ad minora progressus non fiat; & contra à quibus corpora naturalia suum exordium habent, quę quidem in natura revera sunt, tam parva verò sunt, ut sensibus non pateant. De iis Plato in Timæo scribit: *de his adeo parvis ita putandum est, quod si singula duntaxat singulorum generum capiantur, nullum eorum propter parvitatem cerni nobis poterit; si multa invicem congregentur, eorum moles magnitudinesque cernuntur. Neque enim quæ oculis cernuntur*, in aëre volitantia corpuscula, atomi sunt, de quibus nobis sermo; sed jam corpora composita: agnoverunt eas doctissimi quique Philosophi, ut de Empedocle, Democrito, Epicuro, utpote quorum doctrina, forsan non rectè intellecta, suspecta est; non dicam: & de iisdem Galenus lib. 1. de Elem. Cap. 9. mentionem facit: & omnino passim apud Philosophos & Medicos, tum antiquos, tum recentiores, corpusculorum minimorum, seu atomorum fit mentio; ut mirer novitatis nomine, istam de Atomis doctrinam traduci, ut præter eos quos jam laudavi, alios non memorem, qui de contemptu veteris Philosophiæ, vel novitatis studio forsan suspecti esse possent, Franciscus Aquilonius Optic. lib. 5. ita scribit: Inter Elementares duæ imprimis quæ

passiva vocantur, longissime à natura luminis distant; nam neque humiditas qualitatem, neque humectatio alterationem significat. Est enim in aquea substantia, humiditas; quod in oleacea pinguedo: & ut pinguedo illita pinguefacit; sic humiditas solo adhæsu humectati. Rursus siccitas est solius humiditatis defectus, exsiccatioque humoris absumptio. Inter activas verò frigus nullam de se frigiditatem effundit: quod etsi mirum fortassis nonnullis videbitur, est tamen à ratione minime alienum; & experientia hoc ipsum manifestè demonstrat. Nullum siquidem, quantumvis frigidum attractu corpus existit, ut glacies, in proximè admota ullum frigiditatis sensum ingerit; sed sola attrectatione frigidum unumquodque sentitur: quod sæpè inficiantibus ludicro experimento ostendimus; cum porrecta manu obvelatisque oculis, edicere ipsos juberemus, an admoti proximè frusti glacialis frigiditatem persentiscerent? fiebat enim subinde ut sentire se quippiam dicerent, cum nihil esset admotum: aliàs se nihil sentire affirmarent, cum frigidum corpus adeo propè admoveretur, ut solum non tangeret: calor tamen, ut apparet, sui diffusivus est, quemadmodum lux. Deinde veri similius equidem existimo à materia igne succensa, vaporem item succensum efflari, qui occultè per aërem delatus, obvia quæque attactu calefacit, atque etiam deurit, si densitatem aliquam obtineat: hinc etiam fit, ut luculentiori igni propius admota ustuletur, tametsi aspectabilem ipsum ignem non contingeret; id quod in charta ac stupa persæpè apparet, at longè manifestius in naphta, asphalto, succino, aliisque quæ è longinquo flammam suffurantur. Fit hinc etiam ut supernè validius acriusque quam infernè, aut ad latera ignis excalefaciat; quod scilicet ignitus vapor calore attenuatus, superna capessat: quod sanè qualitati non proprie convenit, sed substantiæ: non enim rectè calorem levem dixeris, sed id potius quod calidum est: hoc namque caloris vi deductum fit levius; uti gravius id quod materiæ condensatione in angustiorem molem compingitur. Hinc præterea genuina causa edici potest, cur hyeme acrique in gelu vivaciores sint flammæ: frigus namque quod circumstat, exspirationem prohibet; & calor ignis neutiquam continuata actione traducitur, sed una cum ignito vapore occultè per aërem deportari, non aliter, quam odores, tacita exhalatione submixi, è corporibus odoriferis exspirant, tenuique aëre suscepti, huc illucque fortuito oberrant: sic inquam igneus calor, succenso quodam spiritu vectus, rectà, quantum ignis potestas valet, extruditur, summo quidem impetu sursum versus; at eo segnius quo infernè magis: solutus vero jam, & quasi jure donatus, liberius per aërem vagatur; motuque vel levissimo quamvis

vis in partem propellitur, cujus adhæsione propinqua calefiunt: quemadmodum ea, quæ juxta odorifera collocantur, sola exhalationum adhæsione redolent. Experiuntur hoc in castris milites, cum cæsa sylva medio in campo pyram construunt, accendunt, circumstant; qui namque ventum à tergo habent, nil propemodum caloris sentiunt, quamvis proximè adstent, vento scilicet ignitos spiritus in oppositam partem propulsante: quod ventus præstare non posset, si sola qualitas per aërem traduceretur: hac enim cum corpus non sit vento liberum, transitum concederet. Hæc Aquilonius. Sed quid authoritatibus opus est, cum res ipsa per se plana sit: etenim si ἐμπειρίαν in Democrito ab Aristotele tantum laudatam consulamus, inveniemus & generationes & corruptiones rerum naturalium per atomos fieri, & passim συγκρίσεως & διακρίσεως atomorum in natura exempla consistere. Cùm verò Atomorum non sit unum genus, sed pro corporum naturalium varietate varia; eas & secundum corpora simplicia, quæ Elementa dicuntur, sed secundum compositum considerare libet. Primo enim ipsa Elementa in talia corpora resolvuntur, & corpuscula rursum coëuntia, tum composita corpora, tum ipsam molem Elementorum, cum ex compositione, resolutione & corruptione, tum ex globo terreno, in quo omnia sunt Elementa, & in aërem elevantur: unde variæ aëris mutationes fiunt, varieque & hominem, & animalia alia, & plantas afficiunt. Omnino vero de primis atomis verum est, si singula duntaxat singularum genera capiantur, nullam earum propter parvitatem à nobis cerni posse: si multa vero invicem congregentur, earum moles magnitudinesque cernuntur: quod & ante dictum; & Plato in Timæo docuit. Corpora ergo hæc, cum sint minima, ac subtilissima, in alia corpora facilè se se penetrant, & aliis materiam præbent. Ut per omnium corporum naturalium genera discurramus; prima Elementa quod attinet; ignis in Terram & Aquam sese insinuat, idem insensibili modo, aëri permistus, tempore æstivo æstum parit; imò, quod compertum aliquando, sylvas accendit. Idem aliis rebus variis permiscetur, & pro varia cum iis commistione varias species exhibet. Et quidem per se, neque lucet, neque urit ignis; ut Julius Cæsar Scaliger exercitatione 9. docet; sed quod lucet & urit, id facit aliena corporis admistio, & partium propinquitas; quarum coalitione, in minore spatio substantia major, ac propterea major vis agit. Non comburit verò rarefactus, sicut nec lucet quidem: qui fumus ascendit, is in se ignis habet plurimum; neque tamen vim habet com-

comburendi, neque luce ulla fulget; & quæ in verubus aſſantur, ab eo quem videmus igne, non tanguntur, ſed ab eo tanguntur quem non videmus; ita vero tanguntur, ut etiam crementur tandem; neque tamen viſibilis eſt ignis iſte. Et idem Exercitatione 325.ſubt.7. Ignis longe pellucidior quam aër; tenuior enim hic apud nos flavus eſt, propter admiſtionem ignis. Eſt nimirum ignis in vapore, in fumo, in carbonibus ignitis, in flamma; & Ariſtoteli flamma fumus ardens eſt; nec planè malè: flamma enim nihil aliud eſſe videtur, quàm coitio & unio particularum ignis, ſeparatis heterogeneis admixtis: dum enim propter diſtantiam & contrariorum admiſtionem coire minimæ ignis particulæ non poſſunt; ablato obſtaculo, uniri incipiunt. His accidit, ut ubi locus in quo ignis continetur concluſus eſt, flamma non excitetur; quam primum vero aëri ingreſſus edatur, & heterogenea illa corpuſcula excutiuntur, flamma excitetur. Nec tamen flamma planè pura eſt; ſed aliquid heterogenei in ſe continet, quod vel color docet: ille vero ignis, qui ſupra flammam purior eſt, & propterea non videtur; nimirum ex diverſo atomorum concurſu, ſæpè diverſa, quæ tamen ſunt unius naturæ, oriri videntur. Ignis eſt unus tantum, diverſa tamen nomina ſubit, pro diverſo atomorum concurſu: ita mutuarum partium homogenearum concurſus requiritur ad ignis exiſtentiam, ſub forma lucis, & actu cauſtico; cui tamen ubi pauca defuerint, ignis eſſe non deſinit. Aër vero omnibus corporibus pene ineſt; cum enim corpora pleraque naturalia poroſa ſint, eorum vacua ſpatia naturaliter aër implet. Ut de aliis non dicam, metalla alia ſonantia ſunt, alia ſonum non edunt: quæ ſonum edunt, aërem in poris ſuis continent, utpote qui ſoni ſubjectum eſt: ita ligna ad ſonum admittendum apta ſunt; quod non fit niſi beneficio aëris; & id accidit maximè in lignis ſiccis, quia abſumpta humiditate aquea, quæ ad ſuſcipiendum ſonum minus apta, in ejus locum ſuccedit aër, ſua qualitate ad ſonos ſuſcipiendos & provehendos commodior; & ſi quis baculum in extremitate una tangat, alteri vero aurem admoveat, ſonum percipiet; quod fit beneficio aëris, qui in eis, quamvis ſolidiſſima videantur, continetur: & milites, hoſtes longè advenientes, aure ad terram admotâ, explorare ſolent.

Aqua vel aër humidus, qui nihil aliud eſt quam aër vaporibus aquæ plenus, in ligna ita ſe inſinuat, ut etiam mole augeantur; unde valvæ in aëre humido, ſæpè aperiri & claudi non poſſunt, & doliorum aſſeres; quibus exſiccatis dolia rimoſa evaſerunt, aquæ immerſi dilatantur. Terra tandem,

dem, etsi crassior, tamen & ipsa per minima corpuscula aliis rebus se se insinuat & permiscetur. Sic videmus Thermis Styrias & tophos canalibus accrescere, ut quis non immerito miretur, quomodo in tam limpida & clara aqua, corpus tam crassum latere potuerit. Si ergo aër & aqua, ita se se in corpora etiam solida insinuare possunt, & terra aquæ ita promiscuè permisceri potest, ut visu non percipiatur; cur non etiam ignis, qui longè subtilior est, idem facere possit? ut jam non opus sit disputare, quomodo ferrum ignitum urat, cum revera ignis atomos in se contineat, quibus evanescentibus, ad naturalem actualem frigiditatem redit: eadem de causa metalla etiam liquantur, & postea refrigerata iterum indurantur; de quo mox dicetur.

Quæ si quis diligenter perpendat, animadvertet alterationes vulgo dictas, non esse saltem in qualitatibus mutationes, sed corporis alieni participationem, aquæ calefactionem, esse atomorum ignis participationem, ob quas etiam vim urendi habet; quibus evanescentibus aqua ad pristinum suum frigus redit. Id quod vel ab experientia cognoscere licet, quod scilicet aqua calida lagenis stanneis conclusa, calorem ad horas decem & plures in ipso hyberno frigore conservet, & iter cursu facientes, fœminæ nobiles, pedes à frigore defendere solent. Etenim si aqua caliditatem tantum ab igne contraxisset, illa impressa qualitas in loco frigido in lagena metallica, & aëri frigido tanto temporis spatio exposita, vix durare potuisset. Sunt ergo, procul dubio, igneæ particulæ diversæ, quæ lagenæ densæ, & metallicæ conclusæ & coërcitæ, aliquo ibi tempore morantur, antequam sensim omnes per poros corporis densi effluere & dilabi possint: sic æstivo tempore vinum & cerevisiam, non qualitatem tantum calidam contrahere in aëre calido, sed partes igneas etiam in se recipere sequenti experimento discimus; si nimirum duo vasa eodem tempore vino vel cerevisia impleantur, & ambo frigida maxima sui parte immergantur, alterumque sit clausum, alterum apertum, citius refrigerabitur vinum vel cerevisia, quæ in aperto vase continetur, quam quæ in clauso: quod ideo accidit, quia Atomi igneæ, quæ liquorem calefaciebant, vi contrarii frigoris compulsæ citius exhalant, si liber pateat exitus, quam si vasi denso clausæ coërceantur. Imo non absurdum videtur, aërem qui in hypocaustis nostris igne in fornace accenso calefit, non solum aërem, sed & aliquid substantiæ ignis accipere: neque impossibile est, ignem fornacem penetrare posse, cum aër, quo tamen ignis subtilior est, & in ferrum & in vasa

fictilia

fictilia penetret: imo res ipsa hoc testatur; cum videamus papyrum, vestes & res alias inflammabiles fornaci calidæ admotas, flammam sæpè concipere; etsi istæ instantiæ referantur ad meras alterationes: quomodo in eadem aquæ parte calor & frigus esse poterit; & cum nullum accidens agat, nisi virtute suæ formæ; aut, ut melius dicam, substantiæ, aqua fluit, quomodo calor ille ab igne & in frigus, & in alia corpora agere poterit, igne jam absente & extincto? utrum autem est absurdius statuere, in aqua esse ignem, in quo tanquam proprio suo subjecto fluit calor; aut calorem cum frigiditate, in alieno subjecto statuere: atque ita rem sese habere, multi doctissimi viri agnoverunt; atque inter eos Averroës, qui lib. 2. de Anima textu 115. *Non est opinandum aquam calefieri dum pura aqua fuerit; neque quod aër infrigidetur, dum est aër purus; sed hoc accidit propter corpora admista cum iis calida aut frigida.* Et manifestum est hoc in aëre frigido, qui minus urit plantas cum agitatur, quam cum quiescit. Frigida enim corpuscula aëri permixta plantis adhærentia, plus nocent quam dum agitantur. Concedit hoc ipse Julius Cæsar Scaliger dum Exercitatione 12. Subt. 3: *as ignitum fieri statuit per partium ignis in poros ejus immissionem.* Idem Scaliger Exercitatione 54. docet aquam *ferventem esse ignitam, seu habere ignem & siccitatem.* Et ex aqua fervente ignem exhalare scribit. *Est*, inquit, *aqua fervens, habens ignem & siccitatem, quam in fumo abeunte comprehendimus intellectione, atque etiam sensu; urit enim, qui calor in aqua est: ignis est*, inquam, *contrario submistus.* Imo jam olim hoc docuit Galenus; qui libro primo de Element. Cap. 6. ait: *Ego illum, qui in gelu calefit, ab igne dico ignem in corpus assumere: & substantiam ignis & aëris in alia corpora penetrare.* Illud quoque docet, quod digestiones quæ in fimo, vel balneo, seu aqua calida perficiuntur, nullo modo in cineribus, quemcunque etiam gradum ignis adhibeas, exactè perfici possunt; & quod in calido vel sicco res facilè comburitur; quod non fit in calido & humido. Docet & combustorum & refrigeratorum curatio, ut res aliæ frigore congelatæ, alterationes, quæ hactenus tales esse creditæ sunt, non esse meras alterationes, sed Atomorum sui admixtiones generis. Si quis enim ova vel poma congelata aquæ calidæ imponat, vel aëri calido admoveat, (quod fieri deberet, si esset nuda alteratio) corrumpuntur: si vero aquæ gelidissimæ immergat, gelu extrahitur, & instar glaciei extra adhæret, ipsa vero integra servantur. Ita qui tempore hyberno iter faciunt (quod Norwegis & aliis septentrionalibus notissimum, nec nostris hominibus planè ignotum,) & membra quasi congelata

lata

lata habent, si ad locum & ignem calidum, statim accedant, maximè pedes læduntur, & summum dolorem percipiunt: & sæpè accidit, ut pars gangræna corripiatur, frigido dico (non frigiditate) ad interiora penetrante, & calorem insitum extinguente. Si vero prius membra nive fricentur, vel aquæ gelidæ immergantur, aqua vel nix atomos illas & minima corpuscula frigida, quæ parti sese insinuarunt, ad se ob similitudinem attrahunt. Contra cum membrum aliquod quocunque modo combustum est, si aquæ frigidæ, quod alterationis lex requirit, immergatur, certissimè periclitans; contra sanabitur, si non aquæ frigidæ immergatur, sed calidæ; quæ calida illa corpuscula ob similitudinem ad se trahat, admoveatur; membrumque, si combustio non sit magna, igni admoveatur; vel cineres calidi ei applicentur. De quo Fernelius lib. 6. de methodo medendi: *ut ignis si propius ipsi pars usta admoveatur, citius in usti mali fit alexiterium, eamque revocato empyreumate dolore levat.* Sic nonnulla impressum partibus ardorem foras calore prolectant, atque ita sedata inflammatione, ambustis medentur: nimirum ignis & calida ob similitudinem atomos igneas attrahunt. Hac ipsa etiam de causa, ut Aristoteles Sectione 24. Problemate 12. scribit; *calida magis in sole, quam in umbra refrigerantur*: accidit enim hoc quia solis radii atomos igneas extrahunt.

Neque solum Atomos illas primas Elementorum variè se passim diffundere, & in alia corpora penetrare, sed ex iisdem etiam mista constare, antiqui docuerunt; simul tamen immutabilia esse statuerunt, & suam naturam, quocunque modo misceantur, servare, & ab iis cum quibus miscebantur, separata, eam integram retinere. Ita enim Lucretius lib. 2. scribit:

*Cedit enim retro, de Terra, quod fuit ante,*
*In Terras, & quod missum est ex ætheris oris,*
*Retrorsum cœli rellatum templa receptant;*
*Nec sic interimit mors res ut materiai*
*Corpora conficiat, sed cætum dissipat ollis.*

Itaque Meteora pleraque non sunt nisi elementarium atomorum varia congeries; exhalationes enim & vapores, quod vulgo creditur; non corpora continua sunt, sed congeries infinitarum Atomorum: id quod ex vaporibus ex aqua, quæ ad ignem calefit, ascendentibus manifestum est. Hi enim etsi procul corpus videantur continuum, tamen qui propè est, aut qui in montibus aëre nebuloso ambulat, vel visu discernere potest vapores tales non esse corpora continua, sed atomorum congeriem. Nubes nihil aliud

aliud ſunt niſi infinita Atomorum multitudo; ut enim dum fumum aliquem à pice vel ligno aliquo accenſo videmus, putamus procul eſſe corpus continuum; ſi tamen propius accedamus, & diligenter fumum intueamur, non continuum, imò nec contiguum corpus eſſe videmus; ita etiam de nubibus res ſe ſe habet; quæ antequam corpuſcula minima iterum conjungantur, (quod fit in pluvia & nive) non corpus continuum ſunt, ſed variarum Atomorum mille myriades. Nubes autem ut diverſi generis ſunt; ita dum rurſum coëunt, diverſa è nubibus generantur, pluvia, nix, grandines, venti, fulgura, & alia meteora dicta; interdum tamen & corporum perfectè miſtorum Atomi meteoris permiſcentur. Sunt enim alterius præter Elementa res generis Atomi, (quos ſi quis prima miſta appellare velit, ſuo ſenſu utatur) in quæ ut ſimilaria alia corpora compoſita reſolvuntur; & omnino in miſtione rerum naturalium, ſeu quæ fit in non viventibus, corpora, è quibus conſtant, ita in continuas partes confringuntur, & comminuuntur, ut nullum ſeorſim & per ſe agnoſci poſſit. In omnibus etiam fermentationibus, digeſtionibus, & coctionibus, quæ vel à natura vel ab arte fiunt, nihil aliud agitur quam quod ad minima rediguntur; & ea ſibi arctiſſimè uniantur: contra reſolutio corporum naturalium, cum ea quæ à natura, tum quæ arte fit, nihil aliud eſt, quam in minima corpora reſolutio.

Probantur atomi ex reſolutionibus chemicis omni exceptione majores, & inprimis reſolutiones chemicæ atomos patefaciunt; & quam minima ſint iſta corpuſcula, ſatis docent. Ita ſpiritus vini per chartam ſcriptoriam quadruplicatam in alembicum penetrans, & ex plantis ac mineralibus in diſtillationibus, ac ſublimationibus, ejuſmodi atomi à cucurbita in alembicum, vel cum recipiens admovetur, per retortam vix aliquot myriades iſtorum Atomorum, dum rurſum coëunt, ſæpè vel unam guttam vel ſenſibilem molem propemodum conſtituunt. Neque hic quis ſibi perſuadeat, dum ex aqua, ſpiritu vini, vaporem ex pice, ſulphure, lignis accenſis, fumum aſcendere videt, eſſe mutationem horum corporum in aërem; ſed aqua, ſpiritus vini, & alia corpora in minimas Atomos reſolvuntur; & quæ ubi coëunt, in aquam vel ſpiritum vini rurſus abeunt; id quod chemicorum Alembici, & vaſa recipientia docent. Dum enim ſpiritus vitrioli, vel alia diſtillandis corpuſculis ejuſmodi parvis commoda (nondum tamen planè minimis) igni admoventur, vas recipiens ſæpe per biduum vel triduum continuo plenum eſt, & ſingulis momentis aliquot

aliquot myriades ejusmodi corpusculorum præsentes sunt, & sibi succedunt; exigua tamen liquoris quantitatis ex iis coëuntibus & consideratis provenit; ita ut quæ eodem modo præsentia sunt atoma corpuscula, quorum tamen aliquot myriades sunt, vix unam guttam constituant. Videmus idem in aliis resolutionibus, si quis exiguam picis particulam accendat, flammamque supprimat, ingens aëris spatium repletur fumo illo, qui corpus continuum non est, sed innumera exiguorum corpusculorum multitudo: & quanta inter corpus compactum & in atomos resolutum sit differentia, vel candela extincta docet; si quis enim flamma è candela accensa flatu dissipet elychnium fumigans, quod vix pisi magnitudinem æquat, tantam continuo atomorum copiam emittit, ut magnum aëris spatium ea repleatur. Ita flores sulphuris in sulphur liquescunt, mercurius præcipitatus & sublimatus, aut quocunque modo resolutus, iterum in currentem & vivum Mercurium abit. Ita quamvis aqua, in qua metallum solutum est, non nisi limpida aqua esse videatur, & tam exactè sit mista, ut talis aqua etiam per chartam transfundi possit; tamen metallum suam naturam in ea integram servat; & facili negotio forma subtilissimi pulveris, ad fundum præcipitatur, qui postmodum in metallum iterum funditur. Ita etiam si una massa ex auro & argento fiat per fusionem, & ita per minimas atomos coëant, ut corpus istud ex variis constare nemo agnoscere possit; interim in minimis illis atomis unumquodque suam formam retinet, & per aquam fortem separari & in pristinum corpus reduci potest. Hinc multarum operationum chemicarum, & in eorum quæ in chemicis fiunt, causæ reddi possunt. Si plumbo quocunque modo calcinato effundatur acetum distillatum, plumbum quidem solvitur in aceto, sed sal aceti plumbo se unit; ut si distillatione separentur, planè insipidum exeat sale aceti cum plumbo remanente; quod mistum, dulce saccarum tunc appellatur. Ita si oculi cancri, coralia, margaritæ, ab aceto & aliis liquoribus acidis solvantur, & in liquorem redigantur, ut etiam per chartam colari possint, & sal liquorum illorum acidorum ob similitudinem, cum soluto se unit; ut si distilletur, non nisi magno negotio separari possit; si vero in resolutionem imprægnatam instilletur oleum tartari per deliquium factum, sal tartari, cum sale aceti ob similitudinem se unit: & margaritæ per coralia soluta, ad fundum præcipitantur. Ita si argento vivo affundatur oleum vitrioli, vel sulphuris, argentum vivum in iis solvitur; sed sal quod fuit in spiritibus istis, unitur argento vivo; & si spiritibus istis

argento vivo impraegnatis affundatur salsum; unde Mercurius praecipitatus oritur; qui inde etiam tantam corrodendi vim habet, nisi lavetur: ex argento vivo, vitriolo & sale, fit Mercurius sublimatus: ex mercurio & sulphure, si simul sublimentur, fit cinnabaris: ita metalla in pulverem abeunt, dum in aquis fortibus soluta, ad fundum praecipitantur: redeunt autem & revertuntur in pristinam naturam, sublato illo corpore seu sale, quod in solvendo adhaesit: quae operatio reductio appellatur; quae quidem pluribus modis fieri potest. Mercurius praecipitatus, si cum oleo tartari per deliquium soluto teratur, Sal quod Mercurio adhaeret unitus sali tartari, Mercurium deserit, unde ille vivificatur. Ita si Mercurius vivus calci vivę misceatur; & retortae indatur, sal vitrioli & commune, quae sublimato insunt calci vivae adhaerent; atque ita argentum vivum in pristinam naturam redit, & vivificatur. Eodem modo etiam cinnabaris in argentum vivum reducitur: calces metallorum in metalla abeunt fusa; dum nimirum igne forti, quod metallo admistum est, dissipatur: quod tamen facilius facit pulvis aliquis fusorius, (chemiam igitur utilissimam, & intimioris naturae scrutatori pernecessariam discant & cognoscant Philosophi Physici, ex operationibus chemicis; priusquam vel è Physicis aut Medicis aliquid ineptè blaterare innocentulis adolescentibus audeant.) Sales enim è quibus pulveres illi fusorii constant, salem qui calcinato metallo adhaeret, ad se trahunt, à quo liberata metallorum atomi ob similitudinem uniuntur, & ita in pristinum corpus abeunt. Et quamvis multas formas diversas, corpora naturalia cum aliis mista induere videamus, pristinam tamen manere formam eorum substantialem, vel unus Mercurius docet; qui tot formas externas induit absque formae substantialis deperditione; ut merito omniformis dicatur: mutatur in aquam limpidam, in liquorem, butyro similem; sublimatur, praecipitatur, redigitur in pulverem, in vitrum; plumbi, auri, etiam & argenti substantia, ut etiam laminari possit, figuram primam, & nescio quas alias formas induit, absque formae substantialis interitu: quas tamen omnes deponit, & pristinam ac nativam formam induit, si id quod ei admiscetur, ab eo separetur. Quid ergo ad humores in hepate constituendos, (supra quos omnes funestae nostrae indicationes fundantur) opus habemus forma ista singulari, aut substantiali, quam rectè ab ipsius rei natura deducere possumus. Hanc etiam de Atomis doctrinam manifestè confirmant inunctiones Mercuriales, & suffimigia ex argento vivo, in quibus argentum vivum in atomos

reda-

redactum, totum corpus penetrat, usque ad ipsas fauces, & os in quo aureis nummis excipi potest. Imo atomi dantur non solum corporum inanimatorum quorundam; & ipsa anima interdum in talibus minimis corpusculis integra latere, & se se conservare potest; ut postea de mistione dicetur. Et huic de atomis doctrinæ totam penè suam de spontaneo viventium ortu, sententiam, superstruxit Doctissimus Fortunatus Licetus, de quo suo loco dicetur. Plantæ certè manifestæ atomos exhibent: quis enim crederet in vino limpido, & permiscuo tartarum, & materiam calcariam & Tophaceum inesse, nisi depositio eam ostenderet, dum tartarum à vino secretum, lapidis instar doliorum parietibus adhærescit. Et materia alendo corpori inutilis, ad articulos detrusa, arthriticos dolores excitat; & tandem in illis calx quæ tophos generat, concrescit. Idem & aliorum morborum generatio docet: cum enim varia corpori nostro alendo inutilia, cum alimentis assumantur, ea quamvis sint amara, acida, salsa, acerba, aliisque modis infinitis & omnigenis, tamen ut Hippocrates de Prisca Medicina loquitur, *mixtione & mutua inter se contemperatione, neque molestia hominem afficiunt; at ubi horam quippiam secretum fuerit, & per se exstiterit, tunc & conspicuum fit & hominem molestia afficit*: Atomi quorumcunque purgantium medicamentorum, lac purgans efficiunt, ut etiam Galenus Epid. com. 5. lib. 33. ait: *Mulier capra, elaterium aut cucumerem sylvestrem edentes, pueris purgatio erit*: etsi enim planta purgans à capra devorata in ventriculo ejus coquitur, & Chylo permiscetur; Chylus ille in sanguinem muaturr, sanguis iste in mammis capræ in lac vertitur; lac hoc à nutrice bibitur; & tot mutationes accidunt; tameu in iis omnibus atomi purgantium Plantarum integræ & vires suas salvas retinentes remanent; lac etiam ipsum, etsi unum corpus apparet, tamen diversas partes, per minima mistas demonstrant, serum, butyrum, caseus, ubi separantur. Ita sanguis animalium, esse unum corpus homogeneum apparet: tamen non solum diversæ in eo partes, quæ diversis membris alimentum præbent, reperiuntur; verum etiam si distilletur sal volatilis, qui antea non apparebat, magna copia recipienti adhærescit. Quod etiam accidit, si cornua & ossa animalium distillentur. Etsi igitur atomi illæ sint minima corpuscula, tamen in iis formæ essentiales specierum integræ manent, ut modo dixi, & ipsa experientia testatur: si enim simul aurum & argentem fundantur, atomi auri & argenti ita per minima miscentur, ut nullo sensu hæc ab illis discerni queant; interim viræque suas formas integras servant. Quod vel ex

eo patet, quod si massæ isti aqua fortis affundatur, argentum solvitur, & in liquorem abit: aurum verò in forma pulveris remanet: argentum solutum, si præcipitetur, forma pulveris albi subtilissimi subsidet: uterque pulvis si seorsim fundatur, in pristinum aurum & argentum abit. Ita si argentum vivum sublimetur, præcipitetur in aquam, abeat in alias externas formas, quæ fiunt pro varia atomorum in quas resolvitur, & cum aliis, mistiones & mutationes induat, semper tamen suam formam essentialem retinet; facileque à corporibus, quibus miscetur, separatur, & in pristinam currentis Mercurii formam redit. Neque hoc fit in metallis saltem, sed & in vegetabilibus. Dum enim aquæ distillatæ & spiritus à Chemicis parantur, atomi in Plantis insensibiles ascendunt; ita ut in cucurbita nullo modo percipi possint; at dum in Alembico coëunt, & in liquorem abeunt, forma sua iterum sese produnt, dum alius est spiritus vini, alius juniperi, &c. & si capra alatur quibusdam herbis purgantibus, lac vero capræ bibat nutrix, fiet ut infans qui lac nutricis sugit, purgetur: ut antè ex Galeno Epid. 133. dictum. Habent tamen & atomi à natura suas leges: & procul dubio subtiliores sunt atomi ignis, quam Atômi terræ; etsi id à nobis cerni non possit. Ita enim cum rebus naturalibus comparatum est, ut formæ non nisi in certo quanto consistant: & sicut ultra naturales terminos se non diffundere solent, ita non nisi in certo quanto conservari possunt. Observavit etiam hoc Franciscus Aquilonius, qui lib. 5. Opt. propositione 8. exemplo Luminis hanc rem declaravit; dum scribit, licet non detur minimum quantitatis, dari tamen minimum luminis naturale; hoc est lumen adeo tenue, ut citra interitum magis attenuari non possit. Quo pacto & corporum naturalium minima dantur, quæ nimirum si amplius dividuntur, formam essentiamque deperdunt. Uti namque corpora ad naturalem subsistentiam, nonnullam exposcunt quantitatis molem, cum ipsa nihil aliud sit quam ipsius substantiæ corporeæ medulla: ita & qualitates, nisi aliquo excellentiæ gradu præditæ sint, sponte depereunt. & Prop. 15. asseruit Lumen non sub quocunque intensionis modulo, posse suapte vi solitariè existere; sed aliquem esse parvitatis terminum, ultra quem progredi, dividendo non liceat, citra interitum: quem proinde minimum naturalem non incongruè possumus appellare. Si autem majori lumini dijungatur quantumvis exiguum, nil vetat quin hoc illius ope queat sustentari, dummodo utrumque simul minimum naturale saltem attingat. Et porro hæc subsistendi ratio, non iis-modi qualitatibus, quæ majoris ac minoris diversitatem admittunt solum; verum etiam omnibus corporibus, quæ magnitudinem variant, communis; ut enim hæc sine

aliqua

aliqua mole, sic illa sine aliquo excellentiæ gradu, sese ab interitu vindicare non possunt: ultra namque vires attenuantur in nihilum, collapsæ pereunt, nullo contrario interimente, sed solius naturæ defectu, quæ ad propriam cujusque rei interitum, velut necessaria conditio, irrefragabili naturæ lege exposcitur. Verum quod ille de qualitatibus dicit, multo magis de formis accipiendum est, à quibus qualitates fluunt.

Quæ vero contra Atomos de continui divisione, de lineis insectibilibus, disputantur, ex alienis principiis, Mathematicis, non propriis, non Physicis disputantur. Non enim, ut ante dictum, hic quæritur, an continuum Mathematicum sit divisibile? sed an Natura, in corporum resolutione & generatione, in minimis quibusdam corporibus subsistat?

## Caput VII.

## *De Principiis Corporum.*

Authornullam nobis hic dedit Anacephalæosin; sed titulum hujus Capitis de Principiis duntaxat corporum constituit: & quia *principii* nomen, nisi discutiatur, ambiguitatem in animis legentium inferre potest; dicam alia esse principia principiantia, alia principiata. Principiantia præcedunt Elementorum Radicalium ordinem; & per consequens illorum autypostaticam naturam constituunt; à quibus tam hypostatica rationum Seminariorum, tum principiorum corporis natura dependet: principiata vero sunt à primis istis derivata. Et cum principiantium, nec hic aut alibi faciat author mentionem, occasione principiorum corporis in hoc capite arrepta, hunc defectum supplere conabor; & ipsa originalia principia (quæ huc usque ab omnibus Philosophiæ Chemicæ Coryphæis, aut neglecta aut omissa, aut forsan non planè cognita, à Misochemicis fastuosè desiderata,) nunc solidis & inconcussis radicibus stabilienda aggrediar: & quamvis primam hujus operis seriem jure merito obtinere debebant; tamen ne Authoris ordinem invertere videar, pari passu de primis & secundis principiis tractabo. Author igitur hic, loco Anacephalæoseos, sedulam curam & indagationem (in superandis difficultatibus, & obscuritatibus Tyroni in hoc genere studii obviam euntibus) recommendat, propter insignem totius hujus Philosophicæ Messis remoram, quam imperitia reconditæ doctrinæ hujus Capitis adferre valet,

valet, (quæ alias fores Naturæ obſerare in integrum poteſt) neque celare videtur author obſcuritatis ſuæ affectationem; cum, in calce capitis, iniquum eſſe judicat, Naturæ theſauros temere proſtituere; cui addit ſuum, *qui poſſit capere., capiat; ea enim lege accepimus.* Denodandæ igitur erunt iſtæ difficultates per facilem principiorum tam primorum quam ſecundorum explicationem; nominatim per Mercurii (quem fluorem ſeu ſpiritum vocamus) in fine hujus capitis explicationem; tum per ea quæ hactenus à nobis expoſita ſunt capitibus de Elementis radicalibus & ſeminibus.

Titulus hujus capitis eſt, *De Principiis Corporum*; de quibus cum ampla ſit, ut ait Author, inter omnes authores vocabuli ſignificatio; primo diſcutiendum qualia debeant eſſe iſta principia, de quibus intelligit hic author? & reſpondetur eſſe principia corporum; & talia eſſe quæ generationum & tranſplantationum cauſas & proceſſus proximè declarare poſſunt: & ad intelligentiam cauſarum, dicit author in præcedentibus, ſe propter principia iſta Elementorum & ſeminum demonſtraſſe proprietates, antequam ex ſuis abyſſis, hoc eſt ex infinitæ potentiæ viribus, ut cauſis producta fuerant; quibus Elementis & ſeminibus, talem naturam adjungere oportuit, quæ temporum, locorum omniumque dimenſionum explicationes neceſſarias admitteret, & quæ vitalibus & infinitis ſeminum potentiis terminum conſtitueret, à quibus Naturæ flores claudi debebant; & talis Natura fuit finis, de quibus ſupra dictum eſt. Principia igitur talia non ſunt prima principia, ſed proxima, ſcilicet principiata; & ab Elementis radicalibus & ſeminalibus orta: & talia ſunt principia hypoſtatica corporum, & concreta Elementa; qualia hactenus dicta ſunt, fuiſſe Mercurium vel fluorem, ignem & aërem, quæ corporibus tam primis, nempe ſulphuri & ſali hypoſtaticis, quam ſecundis, terræ & aquæ terminos præſcribere debent: & hæc principia corporum proxima, poſteriora ſunt Elementis radicalibus & ſeminalibus; ſicut principia vera Elementis radicalibus ut Enti creato, priora fini & infinitæ potentiæ vero proportionata: ut hactenus per præcedentia patuit: quæ quamvis explicari videantur à ſenſibus per externa quædam corporum veſtigia; tamen ultra proportiones, gravitates, calores, frigora, magnitudines, numeros, quæ principiis corporum adventitiæ ſunt, qualitates tamen quales ſunt ſpecificæ, vix ſenſuum trutina tali inveſtigari queunt; quanquam illorum exordia in Elementis radicalibus, ut in cauſa latentia, in ſeminibus, ut in effectu proximo, & in rerum generationibus contineri videantur: & proinde author juxta inſtitutum inquirens corporum origines, differentias & proprietates, quatenus generatio & tranſplantatio

requirit,

requirit, definiendo Elementa Entium universorum, quæ sunt etiam principia seminum, ait ea esse essentiam, existentiam, vitam, actum rerum; nulla differentia quatenus vel ratio animadvertere, aut sensus prosequi possit, inter se in primo ordine entium discrepantia: sicut supra dictum fuit de circuli centro; sed in remotioribus ordinibus ab unitate ad multitudinem profluentibus, vel, ut dictum fuit, à centro ad circumferentiam dilabentibus, separantur, & differentias monstrant rationi & sensibus præcipuè in ultimis ordinibus versus circumferentiam manifestas. Itaque Elementa & semina quæ in suis fontibus, nempe in ente creato unita fuere, neque officiorum varietate, aut multitudine distrahebantur, (habentia unam existentiam, unum actum, unam vitam & essentiam) sed postquam, ut ait author, sæculi mundani œconomiam administrare jussa sunt, ex æternis divinæ sapientiæ Thesauris exeuntes existentiis, vitis, essentiis, separata sunt: itaque semina à suis fontibus progressa, non egressa, in alio fundari oportuit; nec ibi quiescere debebant; sed fructuum, hoc est, corporum constanti multiplicatione, generationum & transplantationum vicissitudines moderari: itaque si seminum imagines, (hoc est principia hypostatica, & Elementa concreta) ab elementis radicalibus peregrinari debebant, (hoc est à causis progredi) elementorum imaginibus illis consentaneam naturam, nempe corpoream comitari oportuerat; & sicut semina nempe effectus, multum à parentum (hoc est à causarum) dignitate declinare debebant, simili modo matrices, loca, domicilia & receptacula, à primorum elementorum & domiciliorum vigore & simplicitate tantundem discrepantia, accipere debebant.

Quare similia conjugii fædera facere debent, ut nunquam corporibus destituantur semina, ita ut quascunque magnitudines, figuras, distantias, numeros explicare videntur semina, cogitatione citius adesse debent corporum rudimenta, officiis seminum consentanea: itaque nunquam corporibus destituentur semina, & pariter corpora in æternum seminibus inservient: & talem esse corporum originem asserit. Sed quia ista principia sunt principiata, & à principiis Metaphysicis dependentia; quicunque rerum Physicarum originem, principia & progressus intelligere se posse absque Metaphysicâ cognitione autumat, in vanum laborare ne dubitet. Sed cum de Metaphysica loquor, non hic intelligo Metaphysicam illam nugatoriam, quæ de Entibus ex parte rei & rationis divagatur; sed illam solidam & Divinam à primis parentibus, tum Hermete, Platone & Proclo, Plotino, imò & à sanctis primæ Ecclesiæ Patribus excultam. Proinde relictâ analyticâ methodo, ad syntheticam

ascendam; dicendo, scientiam rei, esse cognitionem, per suam causam primam, veram, immediatam & causam conclusionis. Scientia igitur principiorum fiat à cognitione causæ: unusquisque enim tunc scire incipit, quando Entium causas cognoscit. Omnis autem causa aut aliquid agit: aut nihil: si nihil, causa erit extra ordinem Entis; & per consequens nihil: si aliquid agat; erit Ens: omne enim Ens, est illud quod agere potest & pati. Et omne Ens vel est increatum, vel creatum: à creato igitur ascendendum erit ad increatum; & dicemus omne creatum obtinere triplicem modum Entis, nempe modum causæ, formæ & participationis. Inter omnes hos modos nobilissimus est esse causæ, quamvis nihil in Deo esse, sed seipsum omnia causare ajebant. Proinde cum Plotinus asserit, Deum nihil intelligere; nihil aliud dicere videtur, quam si asserat hanc perfectionem esse in Deo secundum modum formæ; hoc est Deo hoc attribuere secundum nobiliorem modum. Triplex hic entis modus triplici exemplo ostendetur; solis, Elementorum simplicium, & mixtorum; sol non est calidus sed causat calorem: ignis urit, quia est ejus forma, lignum per participationem. Sed aptiori methodo distinguemus triplicem hunc modum entis per triplicem creaturarum gradum, secundum Platonicos, in corporeum & visibilem, ut cælum, Elementa, animalia, vegetabilia & mineralia, in invisibilem, & incorporeum non solum, sed omnis corporis expertem, hoc est incorporum. Et talis est natura Intelligibilis, seu natura Angelica. Inter hos extremitatum gradus continetur tertius, qui quamvis sit incorporeus (imò potius incorporum quid) invisibilis, immortalis, corporibus tamen motum præstat; & huic officio corporibus alligatur, & dicitur Anima; quæ Angelicâ inferior est, & tamen corporeo præferenda. Supra hos tres gradus, omnis creatura Deum omnium rerum authorem & causam agnoscit, quæ in ipso fonte ens causæ perhibetur; & inde immediatè, ad esse formæ relucet in natura Angelica: denique relucet in Anima, per naturam Angelicam; de qua participat has tres naturas, nempe Dei, naturæ Angelicæ, & Animæ: Platonici, Peripatetici, & Theologi confirmant primam; nempe Divinam non posse multiplicari, sed solum & unum Deum, principium & causam omnium rerum esse. De hac virtute legantur plura apud Picum Mirandulanum tractatu de uno & ente. Hoc testatur Plato in Timæo; & Aristot. lib. 12. Metaphysicorum; ubi Deum Entis totius esse causam ait; ibique demonstratur omne Ens reduci in unum primum Ens verum: & secundo Metaphysicorum, *primum in unoquoque genere est causa omnium aliorum Entium*: quapropter omnium Deus est causa. Secundum autem ipsum Platonem & Aristote-

ſtotelem, non cauſat totum Ens Deus niſi intelligendo & volendo: propter quod dixit Ariſtotel. in eodem 12. Deum eſſe primum intelligens, & primum volens: & Plato in Parmenide dixit: *Mirabile eſt Deum privari cognitione*: & iterum in Philæbo; *omnes ſapientes conſentiunt, cæli terræque Regem eſſe intellectum*: quapropter Deus per ſui ſcientiam, & voluntatem cauſat omne Ens. Undè Averroës in eundem libro 12. ait; ſcientiam Dei eſſe ſecundum contrariam diſpoſitionem ſcientiæ noſtræ; noſtra etenim cauſatur à rebus; ſed Dei ſcientia cauſat res. Hujuſmodi autem ſcientia non eſt ſpeculativa: nam 6. Metaphyſicorum & de Anima ſpeculativa non eſt de agibilibus nec factilibus: erit igitur factiva; ſed faciens per ſcientiam, gerit ſimilitudinem facti; ſicut domificator, faciens domum, habet ſimilitudinem domus apud ſe. Tum 7. Metaphyſicorum: Domus extra animam fit à domo in anima. Quapropter ſi Deus eſt totius Entis factor per ſui ſcientiam, quæ non poteſt eſſe abſque ſimilitudine rei factæ: Deus habet ſimilitudinem rerum faciendarum. Talis autem ſimilitudo eſt ſpecies, quæ nihil aliud eſt quam rei ſimilitudo; ut hic de ſpecie loquimur. Deus igitur per ſpecies omnium Entium cauſat omnia Entia. Quod totum vates Orpheus cecinit in Hymno, cum dixit:

*Sic Latine vertitur:*

*Eſt Deus Altitonans, primus Deus, ultimus idem.*
*Principium Deus, & medium Deus, omnia fecit*
*Fundamenta; Deus terræ eſt, cælique coruſci:*
*Mas Deus eſt, Deus eſt immortalis; quoque Nympha,*
*Flamen cunctorum indomiti, Deus impetus ignis;*
*Radix ipſe maris Deus eſt, ſol, Lunaque Rex eſt.*
*Cunctorum Deus eſt Princeps, qui fulmina torquet.*
*Namque tegens cunctos in Lucem rurſus amatam,*
*Pectore de Sacro profert, mirandaque patrat.*

Hæc vetuſtiſſimus Poëta ſacris carminibus mandavit, quæ poſt ipſum Boëtius cecinit 3. de conſolatione.

*Tu cuncta ſuperno*
*Ducis ab exemplo pulchrum, pulcherrimus ipſe,*
*Mundum mente gerens, ſimilique in imagine formans.*

Divus quoque Auguſtinus in libro 83. Quæſtionum, dixit fuiſſe iſtas Ideas Platonis; cui non videtur diſſonare Auerroës 12. Met. Commen. 18. & 36. & in 2. de Generatione, Commen. 51. Species ergo rerum faciendarum, in mente Divina, cauſant omnia Entia: ſed ſciendum ejuſmodi ſpecies non eſſe acci-

accidentia, nec ſubſtantias; cum in Deum nulla cadat compoſitio: nam 12. Metaphyſicorum, dicitur actus puriſſimus: & Plato in Parmenide; Deus eſt prima unitas: verum ipſe Deus eſt illa ſpecies, quæ per ſuam unitatem ſimplicem omnia cauſat, omnia fovet, omnia repræſentat: eſtque tantum multiplex ratione rei repræſentatæ, non repræſentantis; ut ſapienter dixit Averroës 259. Comment. Metaphyſic. immediateque Deus eſt totius entis cauſa, per talem ſpeciem, &, ut ait Divus Dionyſius; *Ipſe Deus & ſua ſpecies non eſt Ens reale, neque intentionale, neque Ens, ſed ſupra Ens, innominabile, incomprehenſibile, Sanctum, terribile, ab ipſo ſolo comprehenſibile.* His igitur jactis fundamentis de cauſis & principiis primis entium in genere, per authoritates, nunc ad inductiones Platonicas veniendum; dicendo: Deum primam cauſam omnium rerum, aut ſine principio, aut cum principio omnia feciſſe. Si abſque principio; omnia debebant eſſe confuſa, nihilque nec primum nec ſecundum debebat eſſe, neque ordo, nec numerus, nec perfectio, nec pulchritudo: & per conſequens nec bonum, nec Ens: quæ omnia contraria ſunt iis quæ probari debent per plurimas propoſitiones, demonſtratas in Commentario ſuper textum. Si cum principio; hoc principium debebat eſſe primum; & ſi primum, debebat eſſe unum; & hoc unum, aut aliquid facit, aut nihil: ſi nihil, hoc accidit aut per impotentiam, aut per ignorantiam, aut per defectum voluntatis: ſi per impotentiam, hoc eſt quia impotens eſt, de ſe; aut quia impeditur: ſi de ſe impotens, caret viribus: & omne quod viribus caret, nullam habet eſſentiam: nam quidquid eſt, aliquas habet vires: ſi impeditum; ſequetur hoc eſſe debilius impediente: & quod impedit; aut illi eſt ſuperius, aut æquale, aut inferius: ſi ſuperius, hoc unum non erit primum; & ita omnis multitudo non eſſet particeps unius; contra primam propoſitionem præcognitorum de Ente, & multas alias; ubi manifeſtè demonſtratur nihil eſſe ſupra unum, *quoniam omnis multitudo particeps eſt unius*, Prop. 21. de ente. Et ita certitudo hujus argumenti ſtabilis & firma manebit: Nihil eſſe primum, nec ſupra unum; ſi illud quod impedit, eſt æqualè: ſequetur etiam hoc unum non eſſe primum. Quare enim eſt, quod hoc, quod impedit, unum, non poſſet eſſe æque principium, quã ipſum unum? Et ita non erit primum principium ſolitarium multitudinis: ſed duo: *Omnis enim multitudo fit particeps unius*; & non duorum; per propoſitionem ſupra nominatam: igitur ſequetur, quod illud quod impedit, erit inferius uno; quod ejus eſt imparticipabile: juxta propoſit. 7. & 9. præcognitorum de Ente; eſt igitur impoſſibile quidquam eſſe æquale uni: & ſimiliter eſſet contra naturæ ordinem, ſi per ignorantiam, oportebat unum

eſſe

esse pessimum omnium Entium. Omnes enim res per naturæ instinctum, aliquid facere norunt: si per defectum voluntatis, hoc fit quia dedignatur aliquid facere; aut quia credit non esse expediens; & hoc accidit, quia veretur ne debilis in actione sua maneat; aut quia amat in otio delitescere: quæ omnia in tali principio quale debet esse unum, imperfectionem magnam denotant. Quod quidem unum est, etiam bonum; quemadmodum demonstrabitur in 3. Proposit. Præcognitorum de Ente: concludendum igitur, si unum nihil faciat, non opus est ut cum Entibus maneat; neque Entia cum ipso; & ita natura sua ab omni Ente sequestrabitur; sed si unum aliquid facit, debet ex necessitate aut unum quid, aut plura facere; si plura, aut omnia, aut multa, aut pauca faciet: & si dicamus facere nisi unum, hoc aut per impotentiam, aut per ignorantiam aut per defectum voluntatis accidit: & ita ad easdem impossibilitates supra illatas redeundum erit; si omnia facit, de necessitate & pauca; & multa etiam faciet, cum illa etiam omnibus inferiora sunt: cogemur igitur in sequelam infallibilem incidere, quæ docet unum esse principium, quod omnia facit, sive sit incorporum, hoc est non corpus, incorporeum corpus, hoc est magis incorporum quam corpus, sive corpus incorporeum, & hoc est magis corpus quam incorporum, denique corpus: unum igitur, hoc solum unum est, & primum omnium Entium, omnia facit & producit. Et hoc probando, sicut probatum fuit, est probare, unum esse principium omnium Entium; hoc igitur unum primum, à quo omnia Entia producta erant antequam produxerat, aut nullum in se ens continebat, aut aliquod; si nullum? rogamus, quomodo potuerat producere omnia; nihil enim dare potest, nisi hoc prius dator in se contineat. Certissimum ergo est, hoc unum habuisse in se omnia, antequam dare potuerat: & si habuerat, aut sicut unum, aut sicut aliquot, aut sicut omnia: sed si sicut duo prima habuerit; hoc maximam impotentiam & imperfectionem in prima essentia denotaret; sicut supra dictum fuit, & demonstratum. Concludendum igitur, quod omnia in se habuerat, & quia bonum erat, de necessitate omnia debebat de se producere. Hæc necessitas voluntatem producendi impertit, & voluntas necessitatem: sequitur enim voluntatem primi Entis necessitas, ut ait Hermes, & Orpheus in Hymnis: *Dura necessitas omnia tenet*, unum igitur, aut unum, aut aliquot, aut omnia producit: & quoniam bonum, & unum, non sunt nisi unum, per Proposit. 3. præcognitorum Entis; quod cum plenum bonitatis fuerat, unum nec

aliquod, ſed omnia producere debet, ſed oportet productum productori eſſe ſimile; producit ergo ſimile ſibi ipſi, prius quam diſſimile; quod unum debet ſimul eſſe & unum, & omne; & cum ſit res productiva, oportet ut productori ſit ſecundum; & hæc productio eſt actio; & actio duplex, aut in eſſentia, aut extra eſſentiam: ſi in eſſentia productio facta fuerat, aut contigerat abſque diſceſſione à producente; & proinde manet idem cum producente; ſed ſi extra eſſentiam fuerat diſceſſio, fuerat à producente: itaque per primam hanc productionem productum manſit in uno, & permanſit unum; aut diſceſſit ab uno, & devenit non unum. Fuit ergo & unum, & non unum; ſi non unum, oportebat eſſe plura, aut pauca, aut omnia; ſi pauca, producens impotens fuerat, & productum recipere totum non poterat; ſed cum nulla fuerat in producente impotentia, nulla ſimiliter in eo perfectio cadere poterat: quod igitur productum fuit, non fuit aliquid, ſed omne; unum enim primum producit, & unum ſecundum in ſe productum recipit; & quia productum egreſſum fuit, aut potius emanationem fecerat à producente, ſequetur productum non eſſe omnino unum, cum altereitate diſtinguatur: ſequetur igitur, quod ſicut Pater à Filio per relationem productum, & producens, per actum productionis diſtinguuntur; qui quidem productionis actus non eſt in tempore, ſed æternus, proprius bono & uni productori, primo quod nullo modo producto indigere poteſt; quamvis productum non poteſt concipi abſque productore; cum productum fuit illi ſecundum, aut poſterius; proinde quod productum fuerat, cum radice tam intimè & proximè adhærebat, ut ſeparari abſque ſumma imperfectione non potuerit: ſi enim non eſſet hoc productum perfectiſſimum, aliqua re indigeret; quod dici non poteſt: nihil enim à producente differt; imò non magis quam ſicut lumen & radii à luce, quæ non differre poſſunt, cum ſint ex eadem ſubſtantia: ſed producens quoniam eſt ſummum bonum, inceſſanter productum ſuum concomitare debet: ſimili modo atque lumen radios, & ita producens jungitur producto; quanquam per ſui emanationem videatur in altereitatem cadere; quæ emanatio, deſiderium aut amorem, ſeſe cum ſuo principio uniendi ſuppeditat: hic amor tertium principium conſtituit, quod per Eccleſiam Chriſtianam & veteres Philoſophos Spiritus Sanctus nominatur, qui nec Pater eſt, nec Filius; quanquam illi conſubſtantialis, nec creatus, nec genitus, ſed ab utroque procedens; ſicut nos docent ſacræ literæ. Filius enim, de ſe intelligens dicit: *Pater & ego unum ſumus*, & alibi: *Omnia mihi à Pa-*

*à Patre data sunt, & omnia quæ mea sunt, ejus sunt.* Et quanquam sufficienter demonstratum credimus, quod à nobis susceptum fuerat; nihilominus adhuc dicemus, si unum sit principium omnium Entium, omnia Entia ab uno veniunt: *nec à principiatis aut primis, aut mediis, aut ultimis:* si sunt à Principio, sunt à primo principio, quia nihil principio prius est, juxta Axiom. 33. præcognitorum de ente; *media enim nec ultima non possunt esse principiis priora*: & cum sint producta, nobilius esset productum producente; quod esset contra Proposit. 3. Præcognitorum Entis: & si sunt à primo principio, sunt ab uno; si ab uno, sunt à re simplicissima, & sufficiente de se; omne enim simplex quatenus simplex, aliena ope non eget; & si de re sufficiente, sunt etiam de re perfectissima, veniunt de bono; & si de bono, veniunt de pulchritudine; veniunt etiam de vero: pulchritudo enim illa est, quæ sibi ipsi quadrat: si sunt de vero, sunt etiam de se existente; & si de existentia, sunt de existentia valida & de existentia operante: omnis enim potentia egreditur ad actum; & si sunt de existentia operante, sunt etiam de existentia vivente; sunt etiam de producente; omne enim quod vivit, producit in se & extra se; & aut producit seipsum, aut de se producit aliquid aliud; si seipsum, debet esse sui principium, se primum, se unum, se simplex, se sufficiens, se perfectum, se bonum, se pulchrum, se verum, se existens, se potens, se vivens, se operans, se producens, se producens in se, sed in se, alia extra se producens, & producit, & faciet productum se alterum, aut non se alterum; si se alterum, sequetur omnia futura eadem quæ prius fuerant: si non se alterum, aut producit idem sibi, aut non idem; si idem sibi, simul & semper producet; si non simile, aut producet aliquid sibi æquale, aut inæquale sibi; si æquale sibi, idem erit atque prius; si inæquale sibi, non potest esse principium, non unum, non primum, non simplex, non sufficiens sibi, non perfectum, non bonum: sequetur igitur, quod non producit essentiam in se producentem, nec producet aliam æqualem, nec inæqualem sibi; nullo pacto ergo erit producens in se, sed forsan aliquo modo producens extra se; & producens extra se, aut seipsum, aut aliquid aliud producet: sed quomodo producet seipsum? oportet igitur ut sit aliud productum extra se; & si aliud extra se, non erit perfectum, non principium, non unum, non simplex: & si in se maneat, aut erit consubstantiale sibi, aut diversæ substantiæ: si diversæ substantiæ, non erit principium, non unum, non primum; si consubstantiale, aut æquale, aut inæquale: si æquale, sequetur

tur esse aliud principium, aliud primum, aliud unum. & si inęquale, non erit principium; & si non unum, oportet sit vel duo, vel tria, aut aliquid aliud: sed quare de principio omnium non debeat produci aliud sibi principium æquale: & si sibi æquale? quare non aliud principium, & alia principiata, cum omnia ab eo proveniant; & extra se producantur: & quare de primo non aliud primum æquale sibi? & quare de uno aliud unum sibi simile produceret, quoniam omnia alia extra se? & quare de se sufficiente, non produceret aliud sufficiens extra se? & quare de re perfectissima de se, non produceret aliud perfectissimum? & omnia alia minus perfecta extra? & quare de bono non produceret aliud bonum, & omnia alia minus bona, extra se? & quare de re pulchra non produceret aliam rem pulchram, & omnia minus pulchra extra se, cum producat etiam omnia alia extra se? & quare de vero non produceret aliud verum, & omnia alia minus vera; quoniam alia producit & extra se? & quare de re existente, non produceret aliam rem existentem, & res alias minus existentes, cum producat alia extra se? & quare de re operante non produceret aliam rem operantem, imò & minus operantem; quoniam producit alia & extra se? sequetur igitur, quod erit aliud principium, aliud primum, aliud unum, aliud simplex, aliud sufficiens, aliud perfectum, aliud pulchrum, aliud verum, aliud existens, aliud potens, aliud vivens, aliud operans, sed secundum à primo, Filium nempe primo natum, de primo Patre: & quoniam ambo propemodum unum sunt, non potest fieri, quin quod genitum est, reflexionem in se non faciat, & ad locum unde venerat, quin se convertat versus Genitoris unitatem: & de ista reflexione mentali rei genitæ versus gignentem, gignitur tertius intellectus; qui quoniam similis esse debeat, per ejus emanationem à gignente, debet secum omnia deferre, quæ in gignente fuerant; & ita erunt tria principia consubstantialia omnibus Entibus, primum nempe principium, quod cum voluntatem habeat sese communicandi ad extra, & agnoscens seipsum, non poterat nisi operi mundano insignem pulchritudinem communicare; quoniam voluerat mundum, ad typum tam pulchri exemplaris condere, quale est unum continens omnia in se.

Deus ergo Pater & omnium rerum Creator, genuit omnia Entia, & est certum quoddam medium inter Patrem & Entia, quod Potentia appellatur; & est progressio & quasi separatio ab uno, seu potius extensio, non solum in essentia Entium, sed etiam in spatio, quasi in imagine insepara-

bili

bili Entis, itaque propter potentiam, unum ſeſe communicat in eſſentia entium. Hæc igitur potentia eſt maximè prima & ſupra eſſentialis; nam eſt ante eſſentiam; quoniam medium tenet inter unum & eſſentiam, & præcedit Entia, eſtque prima genitura unius; & ita rectè à Zoroaſtro Potentia Patris nominatur, & per Hermetem Patris Filius; & ſi per potentiam unius datur tranſitus de uno ad Ens, tunc ſequetur quod per motum quendam Eſſentia genita eſſet, per unum in ſpacio Entis infinito: oportet enim ut de neceſſitate, quod ita fiat, aut per motum aut per quietem, aut per motum & quietem ſimul, aut nec per unum nec aliud; ſi nec per unum, nec aliud, non erit per utrumque; ſi non per utrumque, erit per illorum aliquod. Hermes ait unum non movere de loco, & tamen quod ſe ſe moveat, & ſi maneat in uno, in alium locum non progreditur: ſed non poteſt eſſe abſque motu; unum ipſum manet, ergo & progreditur: progreſſio autem ex loco, eſt motus, & motus eſt actio, & omnis actio eſt aut in eſſentia, aut de eſſentia: in eſſentia videtur fieri pro motu progreſſionis & productionis; entia enim niſi per iſtum motum non exiſterent: ut igitur egrediantur, egent motu ab eſſentia, aut potius motu de conſiſtentia unius quam ex eſſentia; unum enim non evacuatur propter emanationem entium ex conſiſtentia unius: nullum enim habet motum conſiſtentia, ſed progreſſio Entium ex conſiſtentia fuerat, ratione quietis; neque etiam quieſcit, neque in uno loco manet; nullum enim locum habet ubi maneat niſi in ſeipſo, nec ſe movet in aliquo loco; nam ubique eſt: ſed progreſſio Entium cum illo non eſt motus, ſed ſe movet in illo; itaque manet in loco cum motu; & quod movetur in illo, & per illud, cum ſtabilitate & firmitate movetur; & quod manet, mobiliter manet; quanquam maneat idem & per fecunditatem, ex ipſo omnia deducens; & producens extra ſe; imò & in ipſo deducit rem eandem quæ prius fuerat; neque enim poteſt eſſe minus quam unum; & ut res, quæ debeant ex ipſo deduci, egrediantur, extra ipſum, quoniam eſt ubique, & cum contineat in ſe omnes res productas; non igitur evacuatur neque exhauritur, ut fiat minus quam unum de omni; neque de ſe uno ſeparatur, neque de plenitudine omneitatis ſuæ, neque dividitur in plura; producit radios extra ſe eodem pacto ſicut lumen ſolis, quod non inde diminuitur; ignis calorem extra ſe jacet, nihil minus tamen quam prius in ſe caloris habet; eodem pacto principium; ita unum, ita bonum, ita Deus omnia produxit abſque illa principatus diminutione ex ſuo principatu, ex ſua unitate, ex

ſua bonitate, ex ſua deitate, & abſque materiæ ope, imo & à ſe eduxit, imo & extra ſe miſit, ut inde multitudinem rerum generaret, ſed extra ſe poſuit propter bonitatem ſuam: unum igitur in productione ſecundum extra ſe non egreditur; neque ſe movet; ſed quando exponit extra ſe, & quamdiu egrediuntur de ipſo, ipſe idem in ſeipſo manet: ſed res per actionem ex conſiſtentia egrediuntur, non ſecus atque aqua ex fonte egreditur, ad ſcaturiginem, fonte ſemper immobili manente, & aquam ſemper pellente; ſed aqua mota, & ex origine egrediens: producit ergo hoc unum, & non producit; facit & non facit, per modos ſuos ineffabiles, facit & producit res extra ſe; & res quæ de ipſo fluunt, à ſe non facit, quia ſeparat duntaxat res, in ipſo prius exiſtentes: ſed omnis ſeparatio ab uno cauſa eſt multitudinis; & quando multiplicatio in ipſo inchoatur, ſequitur deinceps manifeſtatio; ſed ſi unum non eſt illud quod ſeparationem facit; inde igitur multiplicatio, & inde manifeſtatio; ſed unde veniet niſi à potentia, de qua hactenus diximus, ut mediatore inter unum & Ens: ſi enim potentia non intercederet, non fieret productio; ſed bonitas movet hanc potentiam, & iſtam ſeparationem procurat. Bonum igitur, non in quantum unum, ſed in quantum bonum eſt, rerum ſecundarum ſeparationis eſt cauſa; & ſeparatio, cauſa multiplicationis eſt; & multiplicatio, cauſa progreſſionis; & progreſſio, cauſa motus; ſed motus eſt actio; & omnis actio, aut eſt in ſe, aut in eſſentia; & manet in cauſa, & ſe ſe conſervat in cauſa, & è cauſa egreditur, & fit effectus; hoc eſt minus nobilis cauſæ; de tali indole ſunt creaturæ omnes; talis eſt Mundus, qui ad eſſentiam creaturæ in nihilo approximat, niſi ſicut umbra corpori: unuſquiſque enim effectus aliquid retinet de natura cauſæ, per quam etiam fit cauſa inferior, aliquo ordine entium; perdens etiam aliquid per quod fit effectus altioris gradus cauſæ; & quanto opus inhæret ſibi ipſi interius, tanto plus aſſimilatur cauſæ; & quanto plus exterior, minus retinebit cauſæ; & ita videtur cauſa ſimilitudinis omnium creaturarum, hic infra; quanto plus vel minus accedunt, aut, nempe, recedunt, à vera cauſa. Nam quod operationem facit ad extra, ab eſſentia uniformi procedit, ut ſe multiformitate veſtiat; & per conſequens altereitatem & diſſimilitudinem cauſæ inducit; circulus & centrum nobis erunt pro exemplo. Sit cauſa interna quaſi punctus, aut centrum Circuli; quale Mathematici abſque ulla dimenſione corporea excogitant. Idem centrum, quamvis valdè unum, uniforme, indiviſibile, incorporum, continet tamen in

ſuo

ſuo interno, modum, Ideam, & exemplaria omnium circulorum, centro adjacentium, uſque ad ultimum univerſi terminum; omnes magnitudines & dimenſiones ſenſibiles accipiunt, per operationem ſenſus; nam lineæ quæ antea occultæ fuerunt in ſinu centri, cum lineis dimenſiones tacitas, numeros, circulos, latere ſuperficies, habentes tum unitatem rerum multiformium continentes, imo qualitates immateriales, Elementorum materialium, qualitates incorporeas rerum corporearum, qualitates indiſtantes rerum diſtantium: & quamvis ibi innumerabiles lineas per centrum traduxeris, unde originem deduxerant, nihilominus invenientur ſemper in reditu uniformes, indiſtantes, immateriales: ſed quo magis lineas ſeu radios iſtos à centro imaginatus fueris, & eo magis interiori diſſimiles reddes, artificis ingenium cum artificio ſuo ſimilitudinem explicabunt; ars etenim qua utitur artifex, nobilior eſt & multo perfectior, & ordinatior in mente artificis, ut interiori, quam extra; continet enim in ſe formas univerſales, exemplaria & ideas incorruptibiles rerum ſingularium, & caducarum artificii ſui. Et ita poſſum ordinem totius univerſi, per acceſſum & deceſſum rerum à veris Entibus demonſtrare: & ad iſtam cauſam, veteres propagationes Entium à Deo in Mundum corporeum circulo comparabant; cujus centrum eſt ubique, & circumferentia nullibi; quod dici non poteſt de illo ente, niſi de Ente entium, in quo epitheto cum omnibus ſectis Philoſophorum, qui de Natura Divina egerunt, conſentiebant; dando ipſi etiam, in ſuo interiori & eſſentiali, attributa, nempe unius, veri, boni, & Entis; nam qui Ens dicit, verum dicit; qui verum, bonum, qui bonum, unum; nam ad unum referuntur omnia attributa divina, in interiori abſque altereitate, nec diſſimilitudine: ſed in operatione externa promanantia diverſa omnia dabant epitheta, juxta res quas aut approximari, aut moveri ab interno judicabant; quamobrem Creatori nomen boni, quaſi Mundo interiori; Mundo vero externo, nomen pulchritudinis, ſicut exteriori imponebant: quæ quidem pulchritudo nominari poteſt flos aut efferveſcentia bonitatis. Et quamvis differentia operis ad extra per innumerabiles gradus exprimi poſſit, tamen ſapientiores Philoſophi ad numerum ſeptenarium (propter proportionem quam habet ſeptenarius numerus, indiviſibilis cum uno indiviſibili) reducebant, quod ens creatum vocamus, aut primum mixtum *Metaphyſicum*; *deinde in eſſentiam, in vitam, intellectum, animam, naturam, & materiam*; quaſi circulos, circa unum & bonum, & ſub iſtis circulis comprehendun-

tur omnia quæ Deus creavit in suo opere ut faceret. Ita quemadmodum centrum est causa & exemplar omnium circa se circulorum; ita circuli proximi circumdantes centrum, retinent aliquid de centro aut interiori, & perdunt etiam aliquid; omne internum manens causa externi, semper oportet, ut inter causam & affectum sit quædam similitudo: ita primus circulus centro junctus, retinet aliquid de natura & unitate causæ, per quam similis fit causæ; nihilominus quia sensibiliorem divisionem, & per consequens altereitatem & multiformitatem majorem, quam alias in interiori faciebat, dissimilis. Ita secundus ordo circulorum habebit dimensiones & varietates multiformiores, quam non habebat primus circulus: oportebat etiam de circulis tertiis & quartis, eodem pacto philosophari; & ita concipere usque ad infinitum de omnibus circulis debemus; nam quamdiu & quantum res creatæ à centro recedunt, tanto plus varietatis & multiformitatis induunt; & è contra; exempli causa, primus ordo entium creatorum proximè à causa prima progredientium, erit essentia, à viribus & actu primi Entis tantum discrepans, quantum circulus à centro distare concipitur, aliquid de sua causa retinens, nempe stabilitatem & permanentiam, per quam attributo causæ concordat: nam quidquid mutat naturam, & quod varietate vestitur, non potest cum primo vero concordare; quod quidem constanter & immobiliter persistit, per subsistentiam quandam æternam, per quam neque tempori nec loco subjicitur; tamen cadens in multiformitatem loci, temporis & motus, videtur declinare multum ab uniformitate unius; quod est illorum prima causa, & exemplum. Servat igitur productum aliquid causæ, ut testetur se aliquando inde venisse; per hoc enim assimilantur causæ: similiter perdit etiam aliquid, ne videantur esse idem cum causa; & sicut provenit ex potentissima & excellentissima causa; itidem affectus plus internæ & intimæ suæ causæ affinis est, quam affectus deinceps per ipsas productus; qui non potest esse sibi ipsi: nam essentia, est plus intima Enti, quam affectus (qui vita est) non potest esse essentiæ, & intellectus, non tam internus vitæ productori suo est, quam est vita essentiæ; nec est anima tam interna animæ, quam anima intellectui productori suo, quam est intellectus vitæ; neque est natura tam interna animæ, quam anima intellectui productori suo: neque est materia tam interna naturæ, ut suæ causæ, quam est animæ natura; neque est corpus tam internum materiæ, quam est materia circulo formæ, productori suo: & ita res omnes creatæ dependent

alia

alia ab aliis usque ad corpora mixta: quæ omnia ex tabula sphæræ Entium Radicalium videri possunt. His igitur super increato Ente, sicut super lapide angulari jactis principiis, ad reliquam hujus capitis partem quæ de Ente creato & Physico tractat, discedendum. De Corpore nempe tum principiis & differentiis corporum;& tres insignes differentias corporum adfert Author, deinde quibus usibus cognitio istorum corporum & principiorum in Medicina valeant, aperte nobis usque ad finem capitis aperit: & antequam de differentiis corporum tractet, sedulo monet, ne ea quæ de corporibus, Elementis, & seminibus in posterum traditurus sit, ad simplicia radicalia, aut absoluta Elementa, sed ad concreta Elementorum corpora seminum viribus perfusa, referamus.

Prima igitur differentia corporum ex Elementorum concretorum ordinibus deducitur; dicendo: alia corpora seminum proprietatibus magis insignita esse, & illorum impressiones fæcundas esse; in iis enim saporum, odorum, & vitalium omnium potestatum vestigia manifestè deprehenduntur: & quamvis concurrant qualitates adventitiæ, calor & frigus, ab illis tamen actiones non producuntur, corpora vero quæ Elementorum concretorum proprietatibus magis insigniuntur, ea sunt in quibus nulla interna latet potestas, saltem steriles caliditates, & frigiditates: & quanquam à multis Elementa vocantur; tamen non sunt nisi fructus seminum & radicalium Elementorum, perenni fluxu & irrigatione, generationibus inservientium: & ex istis alia exordiis suis viciniora, alia longius processere; viciniora, cælestia, spiritualia, vitalia, valida, vegetaque appellantur: alia terrena, crassiora, invalida & mortua dicuntur: & dicit in vicissitudine aut mutatione illorum proximorum, & remotiorum corporum, etiam spiritualia, sæpè etiam corporum affectiones induere; hoc est quando lege naturæ, ista diversitas non amplius debeat esse corporum seorsim subsistentium, ut fuerant seminariæ rationes, principia corporum & Elementa concreta, in multitudine progredientium, sed conjunctorum denuo in mutuam societatem, ut fiat mixtum aut indiviuum. Ita enim lege naturæ pactum est, ut dato in aliquo genere uno contrariorum, debeat etiam dari alterum; igitur à fine & infinita potentia, cùm oriatur & detur Ens primò creatum, aut primum mixtum Metaphysicum, quod postea in diversas species & ordinis & multitudinis fluere debet: eadem ratione & multitudo rursus in unum collecta, constituere etiam debet oppositam speciem, nempe primam compositionem Physicam, ex spirituali ad corporis naturam tendentem, hoc est compositum seu mixtum Physicum: &

 quia

quia natura ejuſmodi corporis compoſita erat, quæſitum fuit diu, quæ fuit natura ejuſmodi compoſiti ? tunc alii, utpote vulgares, ſenſuum radiorum ſolùm examine contenti, ex iſtis quatuor ſolum vulgaribus Elementis, Igne, Aëre Aqua, & Terra, naturam illius corporis deducebant: & verum eſt, rudimenta iſtorum concretorum in omni mixto conſpici, & non ſolum in illa natura, ſed in minimis ſeminibus œconomiam mundanam complentibus; cum talis naturæ omnia quaſi in omnibus percipiantur. Et hac ratione fultus forſitan Crollius, in præfatione ſua ſuper Baſilicam Chemicam, dicat; aliquem, micam panis in manu oſtendentem, tenere cælum & terram. Sed quam ſunt illa longè petita, & quaſi per crines divulſa, unuſquiſque judicet, ut unicuique in ſuo ſenſu abundare liceat: & dato, quod in iſta mica panis cælum & terra contineantur: quæ quidem verba, quamvis obſcuritatem redoleant, tamen in bonum ſenſum trahi poſſunt, & oſtendere plura eſſe in mica panis elementa, quam vulgaria illa quatuor. Quæ demonſtratio ex vulgarium Philoſophorum rudibus ſpeculationibus oſtendi vix poteſt; ſed ex ſolerti verorum Philoſophorum artificio; qui ſeparatione exacta mixti naturam, & ſingulorum componentium partes exponunt, & alia, quippe potentiora Elementa apprimè oſtendunt, Elementorum radicalium & ſeminum naturas, proprietates & conditiones magis explicantia, & maxima Phyſices & Medicinæ utilitate, rerum naturas expandentia. Ea autem ſunt Mercurius ſeu fluor, inter principia hypoſtatica concreta ſuper alia duo, terram & aquam, activiora, validiora, vividiora judicata. Cave tamen credatur Mercurium, ſalem, & ſulphur vulgi eſſe iſta Elementa: ſunt enim individua illa in ſua ſpecie abſoluta; nempe argentum vivum, aut ſulphur, eſſe materiam ex qua pulvis pyrius conficitur, aut ſalem ex quo condire ſolent coci carnes; iſtis enim nominibus non propter identitatem adornantur, ſed propter analogiam; quia in nullis totius naturæ ſpeciebus, quam in Mercurio, ſale & ſulphure non vulgaribus, magis explicatas habeant facultates. In reliqua hujus Capitis parte vulgares Phyſicos & Medicos taxat, quod fundamenta totius Naturæ, in quatuor vulgaribus Elementis poſuerant, & ex iis generationum, tranſplantationum, facultatum, omniumque actionum cauſas deduxerunt; & his quatuor, ſimiles qualitates, quas ſummas & primas nominant, ſtabili conjugio junxerant; quarum permixtione materia opem ferente ſecundas qualitates & tertias, imò & quartas qualitates induxerunt: ita ſimilibus cauſis, omnes mutationes interpretati ſunt, imo & iiſdem qualitatibus & complexionibus herbarum facultates adſcripſerunt; tametſi quam injuſtè plantarum facultates

tates

tates similibus qualitatibus sint subjecti, Botanicorum turpes contradictiones, & Sapientum querelæ, de dissonantibus in ea re omnium Medicorum opinionibus satis testantur: in secundarum itidem qualitatum explicatione, id est incisione, penetratione, abstersione, levigatione, incrassatione, materiæ tenuitatem & crassitatem adjungere coacti sunt; etiam qualitates sudorificas menstrua cientes, eâdem lege complexi sunt: quartam deinceps qualitatem, quam occultam nominant, adduxerunt. Talem autem in pharmacorum & alexiteriorum specificorum purgantium qualitatibus, in Mineralium, animalium & vegetabilium mirificis proprietatibus, quoniam ex primis deducere non potuerant, ad totius substantiæ opem effugerant; quam inexplicabilem portionem mixtionis quatuor qualitatum, quam occultam qualitatem posteri vocarunt & amplificarunt, & tandem fatis si placuerit, similia vellificationum argumenta, (ut ait Author) inusitata metamorphosi exponunt, ut ex manifestis Philosophis occulti; & ex Dogmaticis Empirici tandem fiant. Hanc igitur imperfectam causarum admissionem non aspernati profundiores Philosophi, nec sensuum rudi speculatione contenti, artificiosam per Chemicam resolutionem addiderunt; per quam, substantiarum facta separatione, proprietates quæ antea compositionis virtute occultabantur, in conspectum artificum venere; unde actionum fontes proximi demonstrarunt. Inde tot dubia de opio & similibus extricantur, ut est stupefaciendi vis, quam Dogmatici ineptè frigiditati attribuunt, cum infinita sint frigida, quæ non stupefaciunt: sed si frigidum, quare inflammabile? quare amarum? quare odoriferum? est enim inflammabile à ferventissimo oleo, seu sulphure, in opio adminiculo Chemiæ per separationem delectum; omnia autem inflammabilia oleaginosa sunt, vel, ut cum Chemicis loquar, sulphurea; & proinde sunt calidissima: omnia itidem sapida, ut sunt amara, dulcia, acria, à fixissimo sale hoc habent: Proinde rectè dicunt Chemici, quod talia calida sint, ut odorifera etiam omnia, à sulphure, quod est oleum; sic poma Mandragoræ quæ odoratissima & caput feriunt, & fumis narcoticis replent, hoc à sulphure volatili calidissimo habent: quod igitur species tales, sint calidæ aut frigidæ, & per consequens activæ, non à quatuor primis, nec secundis, nec tertiis qualitatibus habent; cum ejusmodi qualitates sint adventitiæ, & substantiis seminariis, spiritibus corporeis & corporibus incorporeis principiis hypostaticis tempore, essentia & actione, posteriores; & proinde umbratiles: & ut eas vocat Author, relolaceæ, hoc est sublocatæ; & ab ordine essentialium *qualitatum derivata, à subjecto absque subjecti interitu divisibiles*; absque actione & viri-

viribus. *Omnis enim actio à viribus, & vires ab essentia*; & subjecto agente, à qualitate substantifica subjecto suo semper inhærente; & talis qualitas est illa anodyna opii; aut ut eam cum vulgo dicam, Narcotica. Quamvis in opio, ritè hoc est Philosophicè præparato, nihil unquam Narcotici, nec Necrotici unquam aderat; & si aliter apparuerit, suaves somnos inducendo, hoc non à vi somniferâ, sed anodina pacificante; sedante & mitigante dolores atroces, implicabiles & tumultuantes, quæ tam sæva symptomata, & quæ multos gravissimos morbos, cum jugis vigiliis, arcendo vexare solet, accidit: sunt igitur variæ qualitates, una Autypostata prorsus & se-stantifica qualitate prædita, præcedens actum, quæ in radicalibus primis & fundamentalibus naturæ Elementis, nempe Ente *Creato*, *essentia*, *vita*, *intellectu*, *anima*, *natura*, & *materia* manent: & per hanc rem sunt, vivunt, intelligunt, movent, cognoscunt, in se movent; & tales sunt qualitates quæ progrediuntur à mansione & à potentia stabili; & erumpunt extra in effectum; & dicuntur potentiæ ab Hippocrate, libro de antiqua Medicina: & si à potentiis solis, seu qualitatibus essentialibus, seminariis rationibus, astris, (ut author ob suas non invalidas rationes vocitare solet) spiritibus corporeis, corporibus incorporeis, principiis hypostaticis, fluore, igne & aëre, imò & præcipuis corporibus hypostaticis, sali & sulphuri omnes actiones provenire contendit, quæ sequuntur qualitates; nempe accidentariæ simplices corporum calidorum, frigidorum, humidorum, & siccorum, nempe caliditates, frigiditates, humiditates & siccitates in terra & aqua, ut & in calidis Elementis, nullum habebunt actum: proinde dicit Hippocrates, non esse calidum, frigidum, humidum, & siccum; quod facit magnas mutationes; sed esse amarum, salsum, insipidum, & πικνπῖον, seu seminarias illas qualitates, quæ adscititias, & accidentarias qualitates excitant; & tales sunt calidum super calefaciens, frigidum, super frigefaciens, labor, dolor.

## *De Fluore Mercurio, seu spiritu, primo Elemento concreto.*

QUi exactam corporum cognitionem adipisci desiderat, is imprimis ex fluoris intima cognitione ut hauriat oportet: idem enim est fluor in ordine principiorum & concretorum corporum, aut Elementorum, quam fuerat Ens in genere Elementorum radicalium, & spacium inter Elementa seminalia. Nam sicut primum Ens creatum potentiam & promptitudinem ad actum exercen-

exercendum Elementorum radicalium, hoc eſt incorpororum ſui ordinis pro-
ducendorum declarabat: ſic ſpacium actu ſeminali in ſe incorpororum & cor-
porum vinciendi, & ligandi facultatem obtinuit: & ut hoc præſtaret, nec
incorporum, nec corpus fieri debebat, ſed mediæ naturæ aliquid. Et quia
duo fuerant extrema nempe incorporum & corpus; duo etiam fieri debebant
vincula, nempe incorporeum corpus, & corpus incorporeum: ſic incorpo-
reum corpus cum incorporo, & corpus incorporeum cum corpore conveniet:
ſed plus incorporei quam corporis retinebit; & è contra incorporeum cor-
pus, corpus incorporeum, plus de corpore quam incorporo tenebit; & corpus
producere & ſubſiſtentiam præbere corporibus debet; & ſic productor fluo-
ris nempe ſpatium, à progreſſione radicalium, ab Ente ad materiam, & ite-
rum per Entium illorum intermediorum converſionem ad ens productum
fuit, ut principia corporeitatis in ſe reciperet: ſic ſpatii in ordine ſeminario-
rum rationum, progreſſiones & converſiones denuo ad ſpacium, Mercurium
ſpiritum ſeu fluorem & ſui ordinis imparticipabile principium conſtituit. De
quo acturus hoc in loco, operæ pretium erit diſcutere dubium, an corpus per
ſe abſque ſuſtentatore ſubſiſtere poſſit: & ita argumentabor: Contra cor-
poris ſubſiſtentiam rerum univerſitas reclamat, juxta Peripateticorum do-
ctrinam, ſubſtantiis & accidentibus; accidentia neque à ſe ſunt, neque per
ſe ſtare aut eſſe poſſunt: ſubſtantiis enim opus habent, è quibus naſcantur, &
iis innitantur; in quibus ut ſint, & ſtent, & iis accidant, & ab iis iterum rece-
dant: Ergo in univerſo & in univerſum, omnia tot numero & tam illuſtria
accidentia, nec eſſe, nec è ſe eſſe potuerant, & per ſe ſtare nequeunt.

Et ſtantium, quæ dicuntur, quadruplices conceduntur gradus: magis aut
minus ſtantium inter ſe diſcrepantes; incorporum nempe ſe ſtans, corpus
aliſtans, incorporo oppoſitum. Se ſtans non cernitur, corpus aliſtans cernitur;
& inter has duas, ſunt duo media: unum quod eſt magis ſe ſtans, quam ali-
ſtans, aliud magis aliſtans quam ſe ſtans. Erit uterque primum, nempe in-
corporeum corpus, ſecundum corpus incorporeum, & medio modo ſe ſe ad
duo oppoſita iſta habebunt: & ex his duobus extremis unum erit, αὐτουπόστα-
τος, ſe ſtans, aliud ἑτερόστατος aliſtans; medium vero utrumque erit ὑπόστα-
τος ſubſtans: ſe ſtantia convenient Elementis Radicalibus, hoc eſt incor-
poris; aliſtantia vero convenient quatuor ultimis Elementis, ordinis Ele-
mentorum concretorum, nempe ſali, ſulphuri, terræ & aquæ, corporibus,
non per ſe, ſed adminiculo hypoſtaticorum principiorum ſuſtentantium, nem-
pe ſeminariorum rationum, & principiorum hypoſtaticorum trium primo-

Nn rum

rum ordinum Elementorum concretorum, Fluoris, nempe ignis, & Aëris: quibus corpora proximè innituntur; & corpus istorum Elementorum nec artificiale, nec Mathematicum debet esse, sed corpus naturale; quod longitudine, latitudine, profunditate, & antitypia, seu resistentia constare, definierunt veteres; & tali ordine, ut resistentia seu antitypia corpus naturale perficiat, modo tres præcedentes dimensiones à spatio mutuatas habeat; & quibus eget, ut corpus naturale. Ergo antitypia non è se, nec à se corpus naturale conficit; neque dimensio illi proxima, nempe profunditas, in opus exit; & latitudo longitudine eget; quæ ipsas præcedere debet: & longitudo sola ex istis quatuor esse posse videtur consistere; quia ab aliis non pendet; at sola longitudo corpus naturale non constituit; & per se sola quantitas est; quantitas vero accidens est, & accidens subjecto indiget: ergo & longitudo non est è se, principium corporis; & ut corpus naturale conficiat, aliis tribus eget; ergo harum quatuor, longitudo rerum, latitudo, profundum, tum antitypia esse, aut à se, aut per se non possunt; ergo neque corpus ex iis constans, è se vel à se aut per se, vel est vel esse potest, vel stare potest. Iterum corpus naturale, vel totum est, vel non est totum: si totum, non pars totius aliqua est: si pars est, toto suo eget, ut pars sit, & etiam ut sit. Ergo corpus, qua pars est, non è se aut à se, sed à toto est: sin autem corpus totum sit, totum autem partibus constat, partibus igitur ut sit, indiget: igitur è se & à se non est, nec stare potest.

Præterea corpus naturale omne sensibile est; sensibile omne sensibus est subjectum: atque ita vel calor, vel sonus, vel odor, vel sapor, vel tactilis qualitas est. At ita qualitas, & quantitas facit omne naturale corpus sensibile; at qualitas & quantitas accidentia sunt: accidentia subjecto egent; ergo corpus naturale, qua sensibile est, subjecto eget, ut sensibile sit: ergo à se sensibile non est, at subjectum hoc forte per se fuerit, & à se: si nudum maneat, corpus naturale non constituet; quod si constituere debet, aliud acquirat necesse est, quod formam vocavere veteres; cum qua juncta subjecto, corpus naturale constitueretur; subjectum ergo hac forma indiget, ad corporis constitutionem, & forma itidem subjecto; ut ex utrisque corpus confletur: ergo ab illo sunt corporea omnia; ergo mundus universus corporeus, ab illo est, sed à quo? à causa sua conjuncta, aut proxima, nempe ab hypostatica sua natura, quæ media est inter incorporum & corpus; & talis naturæ sunt corpora incorporea, ut sunt ignis & aër; & incorporea corporea, fluor seu Mercurius, & omnes virtutes seminariæ, suo ordine distinctæ, ut supra di-
ctum

ctum est: remotior autem omnium causa erit autypostatica natura; quæ sola verè dici potest substantia, supra extremam primi cæli lationem degens αὐ-ταρκα, optimam & sapientissimam vitam ducens, quibus aliorum esse & vivere debent. Est ergo aliquod corporis principium proximum, remotum,& remotius; quod hucusque solidis rationibus demonstravimus & confirmavimus. Præterea videtur fluorem, in prima mundi creatione, ex Ente primo sua causa fluxisse; & variè egisse in creaturis: qui quidem ante creationem una res erat, sicut prima unitas, quæ una est per essentiam, sed varia in creaturis; sicut lumen in opacorum corporum coloribus. Utor hoc exemplo, quia descendunt varia lumina ab intellectu Patris luminum; & uti hac ratione intellectus ille sese manifestat, & unitas est simplex & absoluta, principium numeri maximæ & incomprehensæ virtutis, cui apparitio non nisi in varietate numerorum deprehenditur; ut puncti vis ineffabilis, quæ solum in quantitatibus ab ipso simplicissimo puncto descendentibus, quasi luminibus variis notificatur. Est momentum vis simplicissima & incomprehensa, quæ solum in successivo temporis fluxu deprehendi potest; omnia autem secundum numerum, in unitate, secundum quantitatem in puncto, secundum fluxum successivum in momento, & omnia secundum id quod sunt, & fuerunt, aut erunt, aut esse poterunt, in infinita omnipotentia, Dei virtute. Deinde tempori coævus est fluor, & ævum esse mensuram facultatis, nunquam in actione deficientis, notum est: at ubi non est deficientia; ibi est perpetua continuatio, & fluxus facultatis activæ, & per consequens fluor. Sic ens dicitur plurimarum unitatum fluentium unitas: Æternitas,vita, una, infinita à Plotino dicitur: à fine & infinita potentia participata; à vita ergo una infinita, & ubique usque ad infinitum protensa est: unitas est continuus fluor, & genus suas vires in species & individua diffundens, continuitate influit: igitur à genere ad individua, est & fluor omnis ex uno prodiens, vivificus est, & omne vivificum est continuum, & fluidum; *mens*, *anima* & omnia Elementa Radicalia & seminariæ rationes, dum producunt producta, ad suum authorem denuo absque discontinuitate reducunt; per Prop. 8. Articul. de vita. Sunt ergo fluida & infiniti fluoris germina; *participans enim participato est inferius, & participatum imparticipabili:* per Prop. IX. Articul. de Ente; est & perpetua progressio ab Ente ad omnes imagines entium, est & continuitas & progressionis fluxus; *& si primum in unoquoque ordine Entium sit causa omnium illius ordinis Entium*, Mercurius seu fluor sui ordinis causa ex se omnibus Elementis sui ordinis fluorem pro effectu tribuit, & influit; sunt ergo omnia Elementa & inde mixta omnia

corpora fluida, propter Mercurium; Mercurius ergo primum fluidum sui ordinis est; & illam fluiditatem primo igni & aëri, & per ignem sali & arenæ, & per aërem sulphuri & aquæ impertit. Mercurius, spiritus, seu fluor, igitur fluorem quem à seminariis rationibus & radicalibus Elementis prius acceperat, cum aliis omnibus potestatibus, virtutibus, viribus & actibus seminariis acceperat, aliis Elementis sui ordinis, nempe igni & aëri primo hypostaticis, & per ignem sali & arenæ, & per aërem sulphuri, & aquæ infundit. Sed qui tractatum integrum de Elementis intelligere velit, in Philosophia Pyrotechnica mea Latina, tum in Elementis Philosophiæ Pyrotechnicæ Gallico Idiomate editis, in integrum inveniet. Certissimum igitur est, quod corpora egent sustentaculo; & absque quo nec esse, nec sensibus innotescere possunt: & proximum illorum sustentaculum, est fluor, Mercurius seu spiritus, substantia inter incorporum & corpus media. Restat autem nunc ut aliquot fluoris qualitates in medium proferamus, quarum prima est fluere; imò & omnis humiditas fluit; & multæ aliæ res quæ neque aquæ sunt, neque fluidæ, & tamen fluunt; imò omnia quæ veniunt ab Elementis, fluida sunt: & an sit arena fluida quæ terra est, nec ne; consulendi sunt vitriarii qui vitrum ex arena conficiunt. Et si verum sit, *nihil esse in effectu, quod prius non fuit in causa*: juxta axiom. 1. Præcognitorum capite 1. oportet, ut fluor qui apparet in Elementis, in corporibus vegetantibus fuerat prius in Elemento corpore incorporeo, igne nempe, illorum causa, quæ prius acceperat à spiritu vel Mercurio. Præterea flamma, quæ nihil aliud est quam sulphur inflammatum, & aqua, fluunt eodem pacto, sicut aër corpus incorporum, à proxima illorum causa incorporea, qui etiam aër, ab igne originem trahit; sicut ignis à Mercurio, qui est participatum Elementorum sui ordinis, & omnium mixtorum: omne ergo hoc totum universum, extra profundum paternum, aut fit ex fluido aut est fluidum. Nec satis est hic per experientias fluorem probare; sed deveniendum erit ad demonstrationes, hoc jacto fundamento; *quod omnis multitudo provenit ex unitate*: juxta Prop. 1. præcognitorum de Ente, quod nec valde differens est ab alia Prop. quæ est quòd *Omnis unitas fit ab Idea multitudinis*: quod facile percipitur ascendendo ab effectu ad causam, & à causa ad effectum denuo descendendo. Omnis enim fluor terreus aut subterraneus, non est primus fluor; sed unus ex ultimis: jam ante fluorem terræ, ratione ordinis & non originis, fuit fluor aquæ; & ante fluorem aëris fuit fluor æthereus, & ante æthereum fuit fluor cælestis; & ante fluorem cælestem, fuit fluor cæli Empyrei; & ante fluorem vitalem, caloris fuit & luminis, aut mundi luminaris

naris fluor; & ex Mundo luminari est prima & proxima causa; quæ est idea & unitas fluoris: fluor ergo unitatem suam ab idea & unitate necesse est sumpsisse. Debebat igitur fluor hic fluxisse à prima sua unitate, & idea primigenia, ut productionem faceret corporearum rerum creandarum. Deus enim, opifex universi, creavit omnia solo verbo, in quo fuerunt omnes Ideæ rerum creandarum. Et hæc est compendiosa via sciendi rerum causas, iis qui in generali cognitione causarum manere desiderant. Et non secus in hoc fit, quam in illis, qui chorographicas descriptiones in genere probè callent; sed cum ad typographicas descenditur, cæcutiunt, & cespitant: non est ergo manendum Philosopho in generali causarum cognitione, sed oportet ut ad specialia descendat; & à Creatore ad res creatas, per multa media descendat, quia omnium rerum perfecta cognitio consistit in indagatione prioris & posterioris ordinis dignitatum: quæ enim origini viciniores, digniores sunt, quæ vero remotiores, obscuriores sunt: sic quæ Aristoteles brevibus constrinxit verbis, de materia & forma rerum: cum brevitate ista insignem nobis obscuritatem reliquerat, non explicando typographicas formæ, & materiæ descriptiones, *quæ ex essentia, vitæ, intellectus, anima & naturæ* explicatione dependebant. Propterea dicimus per syntheticam methodum, corpus provenire ex Idea aut exemplari corporum; & de essentia, de vita, de intellectu & anima corporum, de spiritu aut natura, & de materia corporum, quasi gradibus hypostaticis corporum, imò & de rationibus, septem seminariis corporum; in quibus ipsum corpus actu seminali esse, ut in principiis hypostaticis intelligitur; & primo in spacio, quod principia prima corporeitatis continet: nam si principia talia non fuissent, spacium compingere, & contingere, atomos corporum destinatorum, pro contento hujus spatii, nunquam potuisset: & sicut spatium infinitum, ordinatum fuerat pro conservatione rerum corporearum & factibilium; sic etiam ut per reduplicationem imaginis hujus infiniti, se se impleret; nam sicut imago debet esse minus nobilis, quam exemplum: imago hoc loco primorum principiorum dimensiones, in spacio infinito accepit, per reduplicationem plurimorum corporum indivisibilium, numerum atomorum necessario-rum, pro fabrica universi; quorum contiguitas, non continuitas, assimilabat corpori tenebroso: quod sacræ literæ tenebras nominabant; & Philosophi veteres fluorem vocitabant. Itaque dictum fuit primo capite Geneseos, *tenebras fuisse supra faciem abyssi*, hoc est supra hoc spacium profundissimum, (ex profundo spatii infiniti demissum) virtutibus, potentia

tentia & actione artificis infiniti repletum; qui debebant incumbere his atomis, ut ipsis pro vinculo finem daret, & terminum producendis germinibus rerum corporearum commodum. Sed ultra rationes, quæ originem tactibilitatis hactenus demonstrarunt, ecce alias res quæ dant tactibilitatem & resistentiam, quæ non potuerant fuisse nec incorporum, nec corpus: nam si incorporum, tunc corpus fuisset antequam fuisset: oportebat igitur fuisse medium quod inter incorporum & corpus, videlicet trinam dimensionem spatii: omne enim corpus habet in se triplex spatium, nempe longitudinem, latitudinem, & profunditatem: sed hæ tres species fuerunt aut plenæ, aut vacuæ: si vacuæ, & non impletæ aliis rebus quam seipsis ab initio, (nempe spatio) non poterant; ita nec formare corpus naturale. Celebriores Philosophi tenent & definiunt *Corpus*, quod ultra trinam dimensionem debebat etiam habere resistentiam & renitentiam tactus: quam resistentiam talem voluerunt, qua obedire nequibat tactui omnino, aut quia obediendo resistere poterat, aut quia repugnando in initio, in fine non repugnaret, sed faceret talem resistentiam tactui. Oportet igitur aliquid investigare quod poterit esse nova causa talis resistentiæ; nihil enim ante se est, quod potest esse causa proxima illius resistentiæ; quam spacium & lumen primigenium; sed spacium verè exhibet & præstat rationes incorporeas rerum corporearum & tactibilium, sed non tactibilitatem ipsam, spatium enim cedit corporibus: lumen etiam hoc præstare non potest, quia nulli resistit, imò & omnibus corporibus cedit: neque calor vitalis, qui etiam omnibus cedit: oportet ergo ut sit aliquid crassius, quod tactibilitatem & resistentiam dare possit, nempe talem quæ potest tria spacia corporum replere, & per actionem dare resistentiam talem, quæ possit ingredi longitudinem, latitudinem, & profunditatem corporum, & implere vacuum, ne amplius diceretur terram esse inanem & vacuam. Sed certum est, nihil posse ingredi neque moveri in omnibus istis distantiis, excepta re quę poterat facile fluere, & influere in ista spatia: debebat igitur corpus habere fluorem, eo fine, ut ultra trinam dimensionem, habeat etiam renitentiam & tactibilitatem; ut fiant corpora naturalia, & talis fluor ita debet esse in se dispositus, ut possit se se condensare, & iterum rarefieri: nam per istam condensationem & rarefactionem fluoris, omnipotens Deus voluit omne corpus formari. Concludendum igitur, posse esse quatuor principia aut Elementa seminalia interna corporum, nempe spatium, lucem, calorem primævum, & fluorem: o-

por-

portet igitur concludere, quod omnia corpora sensibus nostris se se offerentia, habeant ista quatuor Elementa, pro principiis internis; quorum fluor est proximum Elementorum & corporum concretorum principium; & absque his quatuor virtutibus seminariis, nihil poterat concipi, fieri, nec conservari; & primo omnia sunt facta cum spatio, aut brevi post spatium; & absque tribus spaciis, longitudine, latitudine, & profunditate, Entia corporea non poterant esse, fieri, nec consistere, nec durare: oportet enim ut omne corpus naturale, ultra tria ista spatia, habeant renitentiam, resistentiam & tactibilitatem quæ ex fluore proveniunt; & fluor ille recipit materiam formalem à spacio, & formam essentialem à calore, quæ intruditur & defertur in eum, per lucem internam: lux enim est vehiculum illius caloris; & calor suppetit & temperiem corporibus, & simul essentiam, vires, & actionem; per quas actiones suas in corpore dirigit & agitat in corpore, & extra corpus prodit, & vitam propriam exercet: nam absque isto calore non esset corpus naturale, & fluor non fieret, nec in se condensaret, nec induraret in se, nec iterum se funderet, & se se extenderet; & absque tali calore corpus solidum nunquam esset, neque erit, nec poterit subsistere. In quocunque igitur loco invenitur fluor, ibi etiam & calor vitalis: & ubi est calor ille vitalis; inde differtur per lumen: & ille calor, illud lumen, & ille fluor concentrantur in spatio: ita quatuor hæc possunt dici Elementa aut principia interna corporum: sicut *essentia*, *vita*, *intellectus*, *anima*, sunt elementa incorpororum. Ut ergo ad propositum meum deducam ea, quæ antea à me dicta sunt de fluore, dicam in compendio, quòd omnia Entia, quæ universum composuerunt, à Deo primo emanarunt, & per vias quas hactenus diximus, nempe per mediationem unitatum & Idearum, *per essentias*, *per vitas*, *per intellectus*, *per animas*, *per naturam*, *aut formam*, & in materia; & sicut ab illis producitur spatium, lux, calor intellectualis, & vitalis; eodem pacto & ab illis manat tactibilitas, aut fluor universalis: & ita demonstrando progrediemur; quicquid habet fluibilitatis actionem, debet primo vires habere ad fluibilitatem istam producendam, & quicquid vires habet, habet etiam essentiam, in ista fluibilitate, & fluidum est; & si fluor iste est in luce primigenia, debet etiam esse in calore isto intellectuali, & vitali ejus producto: & si calor iste per propriam suam actionem fluat, oportet etiam ut vires fluendi habeat; & si vires, oportet etiam ut habeat essentiam fluidam, & ut sit aliquid fluidum: calor enim intellectualis & vitalis, cum veniat ex luce quasi

quasi ex fonte suo & origine, habet inde quod calor est, & quod fluat; sed lux primigenia & calor intellectualis, & vitalis, componunt secundum Empyreum cælum: igitur Empyreum fluit & erit fluidum, & per essentiam, per vires, & per actionem; & è contra, si per actionem, debet etiam fieri per vires; & si per vires, etiam per essentiam. Præterea probari potest cælum Empyreum fluere, quia illuminatur per suavem, benignam, intellectualem aut vitalem flammam, à vinculis illius Mundi administratam: sed omnis flamma sua natura est fluida, & fluit, quia fluit à lumine primigenio, à calore intellectuali & vitali, quæ fluida sunt: appello intellectualem aut vitalem, non calorem illum, qui ex rebus inflammabilibus oritur; sed certam substantiam incorpoream, seu potius incorporeum corpus, nempe scintillam sulphuris incombustibilis: quæ una est ex septem virtutibus seminariis Elementorum; & scintilla illa provenit à motu essentiali vitæ, quæ est effervescentia essentiæ ad extra: sicut videtur in tabula Entium radicalium: sed verum est, quod quicquid habet actionem continuam, fluidum est, & fluit ut istam actionem conservet; & est actio fluoris: primam originem nobis indicat, à primo Ente creato, usque ad primum exemplatum, aut primam virtutem seminariam Elementorum, quod spacium est; & inde per omnes gradus, virtutum seminarium, usque ad Atomos; qui cum sit ex ultimis sui ordinis gradibus, convertuntur ad causam, aut originem, ut materiam productivam fluori, nempe Mercurio, sive spiritui incorporeo corpore, in primo ordine Elementorum suppetat, & ita vocatur per cognationem, quam habet cum Mercurio vivo fluente. Nam ut qui Chemicas officinas alatus intrat, sicut Mercurius, vulgi fluore ligat, & unit metalla, & ad se attrahit; ita hujus Elementi versatilis ingenium, ligat alia sex Elementa sibi, format, nutrit, qualitates causarum præcedentium & producentium distribuit, juxta ordinem & excellentiam, & naturæ suæ proximitatem; ita lux post spatium est excellentissimum omnium virtutum seminarium: & hæc lux mediante motu producit scintillam sulphuris inextinguibilis; quæ nihil aliud est quam calor vitalis & intelligibilis: & hic calor producit ignem, & in isto fluore ignis actu seminario est; in quo etiam sunt exemplaria ignis; & hoc exemplar causa est quod fluat ignis usque ad centrum uniuscujusque rei, absque penetratione corporum; cum non intelligatur ista penetratio de corporibus, sed duntaxat incorporeis; hinc Zoroaster ait; *unde descendit ad materiales canales vitifer ignis.* Neque hic objiciendum erit,

erit, nos hîc absque necessitate multiplicare Entia; hic enim est maxima necessitas; non multiplicandi quidem, sed distinguendi entia in ordines, sine quo Natura explicari non potest. Nam inter primum Ens creatum & materiam, est hiatus magnus, & magnum vacuum, quem Natura nunquam saltat; sed per ordinem procedit, de causa in effectum; ut distinguat non solùm dignitatem, & eminentiam causarum super effectus, quæ sunt imagines, & imaginum imagines, exemplata prima aut secunda verorum Entium. Sed juste hoc potest redargui Peripateticis, qui absque necessitate multiplicant Entia, sicut numerum intelligentiarum cælestium, quem non demonstrant. Idem dici potest de illorum prima materia, de potentia, de privatione, forma, natura, fortuna, & aliis similibus.

## *De Igne & Aëre, duobus aliis Principiis hypostaticis corporum, tum duobus corporibus hypostaticis & activis, Sale & Sulphure, tum duobus Elementis passivis, Arena & Aqua, quæ septem Concretorum Elementorum numerum comprehendunt, in genere; speciatim vero in Commentario agetur.*

CUm corpora omnium individuorum ab Elementorum vulgarium matricibus eductorum, composita esse animadverterent multi; quæsitum est diu, quæ sit natura & proprietas, principiorumque differentia, ex quibus propriè componuntur. Nonnulli, sensuum authoritate contenti, horum Elementorum discrimina, proprietates & officia, in singulis corporibus deprehenderunt, à quorum mixtione & congressu omnium corporum, proprietates & differentias deduxere. Nec dubium est, quin in corporibus universis quatuor Elementorum vulgarium rudimenta conspiciantur. Alii tamen, Hermetis Discipuli, corporum artificiosa separatione, quatuor hæc Elementa manifestius conspexerunt; simulque alia Elementa, à Chemicis principia dicta, potentiora, naturam rerum, magis explicantia, magna utilitate introduxerunt. Tria sunt illa, in quibus facultates uniuscujusque principii urgent, nominibus specierum ornata, liquoris Mercurii, seu fluoris, oleosa sulphuris, sapida salis: & hæc tria, Sal, Sulphur, & Mercurius cum Elementis vulgaribus corpora universa constituunt.

Cave autem ne arbitreris eos ſal commune, ſulphur & Mercurium vulgi intelligere: ex illis quippe nullum corpus conſtituitur; cum ſint individua in ſuo genere abſoluta: unumquodque etenim horum tria pariter in ſe principia continet: habet namque ſal commune in ſe ſulphur vel oleum, Mercurium, fluorem ſeu liquorem, & adhuc ſubſtantiam quandam ſolidam & fixam, ſalis naturæ propinquiſſimam: ſimiliter vulgare ſulphur continet oleum, liquorem & ſalem: ſed hiſce nominibus inſigniuntur, quia differentias ſubſtantiarum, ex quibus univerſa corpora conficiuntur, proprietateſque & conditiones, in nullis totius Naturæ ſpeciebus magis expreſſas animadverterunt, quam in iis. Placuit igitur ex iiſdem appellationes mutuari: idque Philoſophica authoritate; ſi nempe aliis concedatur figurarum & colorum externa ſimilitudine nomina rebus imponere. Qua de inſcitia eos accuſabimus, qui actionum & proprietatum ab eſſentia immediatè fluentium conſonantiam, ejuſdem familiæ rebus eaſdem appellationes accommodarunt: nec Paracelſus primus hæc principia introduxit, ut multi perperam arbitrantur. Multi Philoſophorum ante Paracelſum, principia prædicta indicaverant; proprietates, officia, & differentias copiosè obſervarunt; quamvis nominum varietate, copia, & inſtabili viciſſitudine, ambiguitatem contemplationibus obduxerant. Hinc Paracelſus, dum corpora omnia conſtare dicit ex ſale, ſulphure & Mercurio, non contradicit Ariſtoteli; qui rerum principium ſtatuit materiam, formam & privationem; nec Platoni, ſtatuenti Deum, exemplar & materiam; ipſis nempe concedimus ſua principia; quæ quidem ſunt notionum Logicalium principia Sophiſtica decipientia ſpecie veri, nec intellectui quadrantia, nec ſenſui perceptibilia. Nec tamen à Noſtris illa neceſſario deſtruuntur; cum ſint earum rerum principia, ex quibus proximè res omnes mixtę componuntur & conſtant.

Hæc igitur ingreſſi, corpora omnia inferioris globi, in tres ordines diſtinguemus: in vegetabilia, animalia & mineralia: individua deinceps horum ordinum examinanda erunt diligenter: ita inveniemus in omnibus ordinibus, illuſtres trium principiorum aut Elementorum eſſentialium differentias. Eſt nempe in rerum familia, ſal animale, ſulphur animale, Mercurius animalis. Eſt & ſal vegetabile, Mercurius vegetabilis, ſulphur vegetabile; eſt ſal minerale, ſulphur minerale, Mercurius mineralis: ita ex animalium excrementis, urinæ potiſſimum, ſal illud nitri educimus, ſal quoque Amoniacum.

Sul-

Sulphuris rursus proprietates, conditiones & differentias multas in pinguedinibus, medullis & adipibus inveniemus. Salis alckali originem ex vegetabilibus derivatam dicimus; plurimaque herbarum salia, levi artis ministerio educimus; resinæ, olea, gummata & pinguia omnia, quot & quantas differentias sulphuris nobis ostendunt: suntque herbæ quæ absque præparatione salis naturam imitantur; ut chelidonium, flammula, Persicaria: aliæ vero sulphuris, ut viscosæ & pingues herbæ; quales consolidæ: aliæ Mercurii ut horariæ & fugaces herbæ, melones, & fungi. *Ad genus Mineralium* quod attinet, tot salium, sulphurum & Mercuriorum species recensere, varium esset; cum in nullo ordine manifestius deprehendantur. Tot nempe proprietates & differentiæ trium Principiorum, in hac familia tam clare explicantur, ut nominis prærogativam, jure Philosophico cæteris ordinibus præripuerint: ab elementis autem communibus distinguuntur, illorum nempe officia communiora: sicut & materiæ rationem obtinent; hæc vero proprietatibus & actionibus destinata; mirabili facultatum proprietate vigent. Nihilominus, indissolubili nexu, ita Elementis corporum illa principia cohærent, ut naturæ legibus nunquam, imò vix ulla artis industria separari possint.

Quia vero constantiam, & soliditatem requirebant corpora in mundanam scenam preditura, Elemento tali opus erat, quod coagulationi corporum, oportunam soliditatem tribuere posset. Hoc sali officium contigit; cujus beneficio, crystallorum coagulatio, metallorum robur, adamantis durities, ossium, carnium, arteriarum, viscerum, arborum, herbarum, consistentiæ absolvuntur. Alii Elementorum frigiditatibus, & caloribus, multa in vanum molientes, hujusmodi officia temerè concesserunt. Salis enim est illa proprietas, virtus, donum, scientia, non frigoris & caliditatis: salium nempe investigantes anatomiam, coagulationum differentias deprehendimus: frigiditatis namque Anatomia, sterilis est. Porro nisi plura fuissent corpora hypostatica, conjuncta soliditate, & concreta salium proprietate ligata, spiritus Mechanici seu seminariæ rationes, actionum principes, officiorum injusta committerent dispendia: idcirco adjunxit Natura aliud principium, quod copiosa, pingui, viscosaque substantia, salis propositam congelationem, benigna mixtione temperaret: & sulphuris id fuit officium. Adhuc desiderabatur aliud, quod assidua irrigatione, duo priora actionum frequentia, ac siccitatem & senium, in horas festinantia foveret; & ut fluidam substantiam & mixtio-

nem omnem facilem redderet: hac neceſſitate adjunctus eſt ſali & ſulphuri Mercurius, ſeu fluor. Et quoniam non ſolum ex tribus corporibus hypoſtaticis, ſed etiam ex quatuor Elementis concretis omnis mixtio perficitur, operæ pretium erit de Analogia Principiorum & Elementorum aliquid diſſerere.

Principiò recolligenda ſunt ea quæ antehac de ſeptem Elementis radicalibus, totidem Elementis ſeminariis, & totidem concretis dicta fuere; quorum originem à fine, & infinita potentia per increatum ens nempe purum actum deduximus: & cum ille actus purus ſupremus erat, ſterilis manere non potuerat, quia aliter voluit, produxit, aut potius creavit progeniem ſibi ſimilem; Ens nempe ſeu mixtum Metaphyſicum. Et hoc primum Ens genus fuit generaliſſimum, quod ſupra ſe nihil habet, quod mente concipi poteſt; in ſe continens omne illud quod agere & pati poteſt, & quia productum eſt, altereitatem agnoſcit. Non erit igitur hoc ens purum ut erat actus producens, ſed paſſionem in ſe in primo gradu remiſſiorem comprehendet; ſed ſimilem ſibi fœtum producet; quem eſſentiam rectè Veteres nominarunt, quæ cum particeps ſit infinitæ potentiæ, infinitas & inexhauſtas producendi etiam vires, & virtutis in remiſſioris ordinis gradu, ſibi ſimiles, ſed non eaſdem producere debet. Sed quia inter finitum ſpacium, in quo diſtribui debent & produci Entia, & corpora, hoc eſt entium imagines, & infinitam virtutem, nulla eſſet proportio; finis infinitæ potentiæ limites præſcribere, juſſus eſt; qui infinitam illam potentiam, in ſeptem ordines Entium Radicalium diſtribuit; ita ut inter Ens creatum, ſeu primam materiam Metaphyſicam, & Materiam primam Phyſicam, quinque Entium Radicalium genera intercederent: quorum duo ſunt ſuprema, eſſentia & vita; duo infima, anima & natura; qui utrorumque medium intellectum incluſerunt, intra ſe manentes, ut ſe in cauſa conſervent, & extra ſe in ſpacio finito progredientes, ut cauſatorum producendorum tot ordines conſtituant, quot prius radicalium gradus in ſe continebant; quos vocant Aſtra, ſeminarias rationes, ſpiritus Mechanicos, arte & ſapientia ornatos, incorpórea corpora, & corpora incorporea; tum poteſtates dynamicæ, rectè ab Authore noſtro vocantur; & vincula ſunt incorpororum, aut ſe ſtantium & corporum ut aliſtantium; & primum ſeminariarum rationum eſt ſpacium finitum, à ſpatio infinito ſeparatum; ut ſeptem incorporea Elementa & concreta in eo, virtute ſeminariarum rationum, Aſtrorum ſeu dynamicarum poteſtatum, tot numero produci

duci possint, quot fuerant seminariæ rationes seu Astra in radicalibus Elementis. Et sicut inter Elementa radicalia, duo erant extrema, Ens & materia: sic in ordine seminariorum Astrorum aut vinculorum, aut dynamicarum potestatum erit spacium & Atomi; & inter duo illa suprema erunt lux primæva, & splendor primævus; duo infima lumen primævum, & scintilla sulphuris fixi; quorum utrorumque medium erit calor primævus: ita in Elementorum concretorum ordine, duo erunt extrema, fluor spiritus, seu Mercurius, primum principium hypostaticum corporum & activum, & aqua Elementum concretum, & passivum: sic, dico, erunt etiam principia hypostatica, Ignis & Aër; duo infima, sulphur, corpus hypostaticum; & activum alterum, Terra seu Arena, corpus passivum; & sal corpus hypostaticum, & activum; utrorumque medium. Et horum Elementorum duo sunt fixa; scilicet terra & ignis; duo volatilia aër & aqua: & in unoquoque horum Elementorum consideratur natura simplex & Elementaris, natura composita & elementata. Quo pacto duæ sunt species aquæ, una pura intrinseca & Elementans: est & unum ex Elementis seminariis & Hypostaticis remotis Astrum, atomus, seu primævus humor, vinculum primæ Materiæ Physicæ aut Elementi Radicalis per se stantis, & elementi concreti corporis alistantis, quod vocamus: & hæ sensibus nostris omnibus minime sese offerunt, nec manu artificis subjiciuntur. Altera species extrinseca, composita Elementata, & ab incorporo stans mediante incorporeo, qua nos utimur; nempe aqua vulgaris, quæ volatilis est: est itidem terra duplex, una composita crassa, fæculenta & Elementata fixa; quæ corpus est, & alistans continere in se aliam puram Chrystallinam Elementantem, & hypostaticam; quam semen, astrum, vinculum, & scintillam sulphuris fixi, nominamus, seu formæ scintillam, vinculum alistantis terræ seu arenæ, & naturæ seu formæ ut elementi radicalis sestantis & incorporæ. Est similiter ignis consumens & elementatus, firmamentum nempe, intensè fixus, & remissè volatilis, principium hypostaticum corporis proximum; alter vivificans, & Elementans, & est lux supprimæva, aut essentiæ lux, semen, astrum, vinculum duorum extremorum, elementi radicalis, nempe essentiæ, & concreti Elementi, nempe ignis: est etiam aër elementatus, principium hypostaticum corporis; alter vivificans, astrum & Elementans, nempe splendor supprimævus vitæ, Elementi concreti aëris principii hypostatici, corporis nempe vinculum summè volatilis & remissè fixus: est etiam sulphur Elementans, semen, astrum,

aſtrum, calor primævus, ſeſtantis vinculum, ſulphuris Elementaris & concreti aliſtantis Elementi, cum radicali & ſe ſtante anima.

Eſt etiam ſal Elementans, aſtrum, ſemen, poteſtas Elementati ſalis, quod corpus eſt, & Elementi radicalis (quod intellectus eſt) vinculum & nexus cum corpore. Horum etiam hypoſtaticorum corporum unum erit volatile, nempe ſulphur; alterum vero fixum ſal. Itaque ſummatim colligendo, invenientur tria elementa volatilia, & tria fixa; volatilia, nempe, oleum ſeu ſulphur, aër & aqua: fixa, nempe ſal, terra & ignis: utriuſque vero, ut participatum & medium, fluor ſeu Mercurius. Reſtat jam probandum, per manualem operationem, hæc ita ſe habere. Et primò, quod attinet tria fixa hac poſita hypotheſi; quod illud dicitur eſſe fixum, quod ſuſtinet violentiam ignis, & quod non elevatur, cum igne; illud verò volatile, quod effugit primo ignis attactu. Hoc jacto fundamento, conſtabit ſalem, ignem & terram eſſe Elementa fixa: & primò quod attinet ad ignem; pellit omnia, & ipſe nec pellitur, niſi à ſeipſo; ſal remanet in cineribus, nec ab igne pellitur: Terra, quæ fixa eſt, ſuſtinet etiam ignem, neque avolat. Ex quibus poſt ignem, fixiſſima eſt arena, per ſalis ut Elementi ſui intrinſeci & maſculi actum, vitri naturam, ad ignis commune exemplar, aſſumens. Unumquodque enim Elementum purificatur per illud quod ſibi eſt maximè intrinſecum: Mercurius autem modo volatilis, modo fixus, cum fixis fixus, cum volatilibus, volatilis; neque propriè dici poteſt Elementum, ſed potius Elementorum inde producendorum Embryo, fixorum & volatilium exemplar: ſaporem enim præbet ſali, igni actum, & penetrationem; terræ fixitatem, ſulphuri inflammabilitatem: aëri levitatem, aquæ humiditatem, ut commune exemplar, impertit. At ſi quis objecerit proprium eſſe ſulphuris, inflammabilitatem? reſpondeo, inflammabilitatem eſſe proprium ſulphuris ſecundario; primariò verò & exemplariter, Mercurii. Quid enim inflammabilitas, quam continuatio actionis fluibilitatis ab igne, quam ignis accipit à Mercurio? Quod hac inſtantia oſtendam; ſume ſalem tartari, aut ſalem corallorum, ſuperaffunde acetum diſtillatum per plures vices, (nullus dixerit in ſale fuiſſe inflammabilitatem, cum in calcinatione oleaginoſa pars tota conſumpta fuerit) tunc evapora menſtruum ad ſiccitatem; pone poſtea in retorta, & pelle ſpiritus aceti igne forti, & ipſos reperies inflammabiles. Qua operatione deprehendimus eſſe in Mercurio exemplar ſulphuris; in ſulphure vero eſſe ſecundariò ut in exemplato, aut ectypo. Nunc autem reſtat, ut dica-

dicamus, qua ratione ista principia differant, & quæ sint singulorum in constitutione rerum singularium officia: principia alia sunt increata, alia creata: creata sunt principia seu Elementa Radicalia & incorpora; alia derivata, & sunt elementa essentialia, incorporea quædam corpora, & corpora incorporea; quæ particulares, & inferioris ordinis naturas in prima progressione ab Elementis radicalibus in illorum magis passiva natura obtinuerunt; quæ tum inter se, tum cum Elementis concretis vario modo mixta, omnibus rebus naturalibus, generationi & corruptioni obnoxiis, vegetabilibus nempe animalibus & mineralibus, dant convenientem formam. Ordo autem est in rebus naturalibus, ut inferiora superioribus inserviant; & superiora inferiora foveant; & sicut in animatis ab anima vegetante ad sentientem; hinc ad varias brutorum, tandem ad animam rationalem, tanquam ad summum gradum fit progressus; & anima rationalis omnium animatorum inferiorum causas complectitur: ita idem fit in corporibus. Est quinta essentia, seu quintum Elementum, cæli verorumque Entium imaginibus ditatum: diciturque quinta, non quod subsequatur Elementa concreta, ut proximè ad constituendum corpus mixtum ordinata, sed quod ex se promat aut explicet Phænomena prima corporum duorum hypostaticorum, salis, & sulphuris; quæ prius in tribus principiis hypostaticis latebant, aut per analysim promanantia; & ita primum ordinem Methodo compositiva tenebit, quinta essentia: sed quintum ordinem inde per analysim resolvendo quatuor corpora concreta, in illorum hypostaticam naturam, nempe Mercurium: unde rectè à Philosophis Elementorum Embryo, quinta essentia, quintum Elementum nominatur; in quo reliquorum Elementorum numerus, ordo, natura, & dispensatio, continetur; per quos progressus & exspatiatio Elementorum futurorum, ex vitalibus, & insensibilibus abyssis in corpoream molem explicantur. Quorum ordo in eo consistit, ut incorporea corporeis, ordine compositionis, corporea incorporeis resolutionis ordine præcedant. Numerus autem, ut sit debita Elementorum multitudo tenenda, ad constituendam corporis mixti symmetriam, & si vitale spirituale, & si spirituale corporeum, hoc ordine præcedat; nonne æquo jure talia Elementa vitalia, spiritualia & corporea, erunt constituenda unum vitale, quod vitam à superioribus haustam aliis inferioribus Elementis plus minusve impertiat? Spiritualia duo, undique ex hoc vitali Elemento fluentia, nobilitate tamen & ignobilitate, quatenus ab origine processerunt discrepantia; horum enim duo-

rum

rum unum fit per Elementi hujus vitalis motum, à circumferentia ad centrum; unde fiunt ſpiritualia fixa, quæ vitam in centro fixiſſimam obtinuerunt: alterum vero, quæ per motum vitalis hujus Elementi à centro ad circumferentiam, ſpiritualia volatilia conficit, ambo tamen ad naturam corpoream feſtinantia. Quorum duorum proximum exemplar eſt Mercurius: fixiſſimus vero ignis & volatilis aër, exemplatum. Et quemadmodum hæc duo ab unitate in binarium labentia, à Parentum præſtantia & dignitate multum defecere; ſic corporea Elementa inde futura, à perfectiſſimis ad imperfectiora & imperfectiſſima defluere cæpere, dum loca, Matrices, involucra & domicilia duobus his ſpiritualibus vitali Elemento fæcundatis corporea præbuere.

Horum autem corporum, ab uno vitali & duobus ſpiritualibus fluentium, unum erit cæleſte, & activum, ſal, alterum paſſivum, arena; ambo fixa, & ad fixiſſimi ignis exemplar fabricata. Sal, minoris compoſitionis, ut à paucioribus exemplaribus conſtructum; Arena majoris, quia paſſiva, quæ ultra communia exempla, ad exemplar etiam activorum componitur. Horum autem corporeorum Elementorum unum erit cæleſte & activum, ſulphur; alterum materiale & paſſivum, aqua; ambo volatilia, & ad volatiſſimi aëris exemplum fabricata: ſulphur minoris compoſitionis ſui ordinis, aqua majoris; propter ſupra dictas rationes: ſui ordinis dico, quia ultra communia exempla, fixa ſunt omnium volatilium exempla.

Erunt igitur, ſummatim colligendo, ſeptem Elementa, unum vitale & Embrionatum, vitam reliquis impertiens; ad cujus imaginem duo ſunt ſpiritualia; unum fixum & activum, nempe ignis; alterum volatile, & paſſivum aër: quatuor corporea, duo fixa, unum cæleſte & activum & ſimplicis compoſitionis; alterum materiale paſſivum, & majoris compoſitionis, Arena dico, itidem volatilia, unum cæleſte activum, & minoris compoſitionis, ſulphur; alterum materiale paſſivum, & majoris compoſitionis, aqua:. duo corporea & cæleſtia, ſal & ſulphur; duo corpora materialia: terra & aqua. Differentiæ autem horum corporum variæ ſunt, quæ tamen ad quatuor gradus referri poſſunt. Prima ex Elementorum vulgarium ordinibus deducitur. Alia nempe ſunt aërea, alia terreſtria, alia aquea, alia cæleſtia: quæ penetratione, agendi nobilitate, & poteſtate multum differunt. Cæleſtium vero duo erunt incorporea, ignis & aër, duo corporea, ſed activa; ſal ex fixis, ſulphur ex volatilibus. Secundo alia corpora Elementorum vulgarium proprietatibus magis inſignita, alia ſeminum,

minum. Quæ Elementorum proprietatibus magis insigniuntur, ea sunt in quibus nulla δύναμις interna latet, saltem frigiditates, caliditates, siccitates, humiditates, levitates, gravitates; in quibus nulla est impressio fæcunda, sed sine colore, sapore, odore deprehenduntur: tria verò, quæ seminum proprietates imitantur, harum impressiones sunt fæcundæ, & tincturam post se relinquunt constantem. In his saporum, odorum, & qualitatum omnium vitalium vestigia deprehenduntur: & quamvis concurrant caliditates, & frigiditates, ab ipsis tamen actiones non procedunt. Quarto alia sunt exordiis suis viciniora, alia longius processere: viciniora ob naturæ similitudinem, cælestia, spiritualia, vitalia, valida vegetaque appellantur; alia terrestria, crassa, mortua, & invalida. Sed ut exactius singula oculis tuis objiciantur, accipe communiorem omnium Elementorum distinctionem. Rerum omnium naturalium aliud est influens, aliud recipiens, exemplar & exemplatum. Influens est cælum vel æther. Recipiens vel exemplatum, terra & aqua dici potest: & sunt vel Elementum vel Elementatum. Elementum est minima pars Elementati. Elementa sunt numero septem, in tres distincta ordines, in volatilium, fixorum & Mercurii ambigui. Fixorum terra, sal, & ignis: volatilium, oleum seu sulphur, aqua, aër, quorum præcipuum est Mercurius, aut Fluor. Præterea horum tria sunt invisibilia & exemplaria; quatuor visibilia. Invisibilia, ignis, aër & Mercurius: visibilia sunt Elementata, invisibilia vero Elementantia: & sicut anima in corpore; sic elementa in Elementatis: Elementatum enim nihil aliud est quam corpus tenebricosum & mortuum Elementi, qui spiritus & vita est. Hic spiritus ex astris seu seminibus emanavit, qui suos fructus edunt, nempe corpora.

Spiritus hic excrevit Elementorum corpora; hoc est ex Elementi spiritu seu fluore, Terræ, salis, Aquæ, & Olei corpora producta fuere; ex quibus proveniunt mixta; & ex his fructus, nempe corpora, mediantibus astris seu seminibus. Nam quod visibile est, hoc non à se, sed à suo invisibili astro seu semine habet.

## *Astrum, est virtus, semen, & potentia rei.*

AStrum duplex est, externum, & internum. Astra externa sunt, stellæ firmamenti; astra interna, sunt occulti spiritus: nam quodlibet crescens & vivens, suum proprium cælum & astrum, hoc est semen intra se habet;

 supe-

ſuperiora excitant, inferiora; per pluvias, tonitrua, tempeſtates & ſimilia. Neque influit Aſtrum ſuperius in inferius, ut neceſſitet; ſed ut inclinet, & conſervet: homo enim non regitur ab externis, ſed ab interno aſtro; quod eſt quaſi faber occultus in homine. Hoc patet in morborum indicationibus, in affectibus podagricis, Epilepticis, menſibus mulierum, conchiliis, peſte, ſatione, plantatione, & plantarum anniverſario ortu. Helleborus enim menſe Decembri effloreſcit, tum reliquæ occultantur. Hujus generis infinita ſunt, de quibus dubitare, eſſet communi ſenſui repugnare.

Corporale creſcit è ſpirituali, & ſpirituale ex incorporo ſe propagat per corporale: nam videmus in Elementis duo eſſe ſimul in uno, corpus & aſtrum, viſibile & inviſibile, fixum, & volatile: hoc modo vegetabilia, mineralia & animalia, poſſunt ſeſe augmentare, mediante ſemine & corpore, ex quibus patet Elementata non ex quatuor viſibilibus Elementis, ſed ex inviſibili ſemine oriri, quod aſtrum vocamus.

Elementa ſeu aſtra activa ſunt; nam neque frigida, calida, ſicca, falſa, Elementa ſunt; ſed Elementata ab aſtris producta: ſunt enim Elementata fructus inviſibilium aſtrorum, quæ ſunt in aſtris viſibilibus. Nam formatio illorum in aſtri poteſtate eſt. Omnia enim creata corpora, ſpiritu ſydereo ſunt prædita, qui vocatur cælum ſeu aſtrum, faber occultus & Archæus; à quo omnis rerum provenit forma, actio, figura, & calor: hoc internum aſtrum vocatur à Paracelſo; in libro Paramyri Ens ſeminis, & virtus ſeminis: in grano tritici dicitur milleſima ejus pars: Ego vero aſſero eſſe atomorum unam animatam mixti aſtra.

Neque hæc doctrina fuit antiquis omnino incognita; nam principia quædam propria & proxima, quibus res naturales conſtituuntur, aluntur, variè afficiuntur, admiſerunt, Hip. lib. de humana natura, textu 20. plantas non ſolum humidum, calidum, frigidum, & ſiccum; aut quid ex iis, *ut ſimpliciter mixtum*, *attrahere* ſcribit; ſed aliquid ultra. *Quæ creſcunt & ſeruntur, quando in terram veniunt, attrahit unumquodque quod ſecundum naturam ſibi familiare ineſt in terra*: eſt autem acerbum & amarum, & dulce, & ſalſum; & omnis generis, quas δυνάμεις appellat: & quamvis apud eos non exiſtant talia principiorum nomina, nihilominus res ipſa exſtare videtur: vocent oleum, pinguedinem, aut ſulphur: perinde eſt; modo concedant dari quaſdam ſubſtantias, è quibus odorum, ſaporum, calorum, figurarum & ſimilium cauſæ proximè reddi poſſint; quæ ex ſolis Elementis vulgaribus provenire minimè poſſunt. Et hactenus de principiis in genere: quod autem ad ſpecies ſingulas individuorum Elemen-

mentorum, qui instructus esse velit, inveniet in Philosophia mea Pyrotechnica Latina, Parisiis edita; similiter in Elementis Philosophiæ Pyrotechnicæ Gallico Idiomate scriptæ; reperientur apud Joannem Piot, Typographum è regione Collegii Cameracensis. Extant multa etiam, quæ ad concretorum Elementorum naturam plenius intelligendam, & præcipue de terra seu arena, reperientur capite de vitro antimonii, tum capite de mutuatione Elementorum, cum quinque corporibus simplicibus Geometricis : item plurima utilissima de sale, libro qui inscribitur *Oblatio salis seu Gallia*, lege salis condita; præsertim quæ ad bellicosissimæ gentis Gallicæ legem Salicam intelligendam spectare debent, invenientur.

## Appendix Septimi Capitis.

*De principiis Corporum, Analogiam fundamentorum totius doctrinæ Peripateticæ continens; super quæ Galenus, tum Veterum Philosophorum, super quam Divinus Hippocrates, Paracelsus, & Author noster Doctrinam stabiliverant.*

Dividitur hæc Appendix in duos articulos: Primus Historiam & fundamenta Peripateticorum, tum veterum Philosophorum recenset, & exponit; super quæ Philosophiæ fundamenta jaciuntur, secundis ex præmissis & jactis fundamentis, veterum Peripateticorum Doctrina, præcipuè formarum singularium, tum primarum qualitatum, & humorum hypotheses, quæ super istam Doctrinam fundatæ fuerant, refellitur; & in illorum locum authoris nostri doctrina stabilitur.

*Articuli primi membrum primum; Materia prima, Et forma Aristotelica Historiam continens.*

Hic articulus duo habet membra; primum Historiam Peripateticorum: Secundum Historiam veterum continet. Status primæ historiæ requirit cognitionem principiorum, super quæ fundantur isti humores, juxta Dogmaticos; & quia humores fiunt juxta il-

los ex qualitatibus contrariis Elementorum Peripateticorum: Elementa autem cum dependeant ex materia & forma; de utrisque quanta fieri poterit brevitate pertractabimus. Et quo felicius succedat res, historiam Aristotelicæ materiæ hic apponemus; ut à partis consideratione ad Naturæ totius speculationem procedamus. Quemadmodum ergo ex eadem ceræ massâ, aut auri aut argenti mole, varia ordine vasa fingi eadem quidem materia stante, sed specie variante, possunt: eodem pacto in naturalibus, necessarium est subjectum, quod succedentibus formis substernatur: & in quo fiat hæc formarum mutatio; & qua specie pereunte novam suscipiat, nunquam interituram. Sic illud, quod cum cibi naturam exuerit, chyli speciem induit; hinc sanguinis, inde lactis, postea casei, tandem vermis, vel cujusquam rei similis; rursus, in putredinem itura: ex qua per successum alia atque alia generentur. Hoc subjectum vocatur Materia, Græcis ὕλη i. e. sylva: quod sicut è sylva scamna, cathedræ, lecti, trabes, tabulata, & similia educantur; ista ex Materia, quasi fundo fertili, omnes formæ quæ illic inerant, aut à potentia, ab agente erutæ, prodeunt in lucem; quæ Materia est, & primum rerum principium. Cum autem res tam variæ, quæ ex eadem materia fiunt, diversam naturam, licet eadem materia remanente, sortiantur; necesse est dari alterum principium substantivum, per quod hæc res ab illa diversa sit. Cum enim verbi causa vermis, qui ex caseo gignitur, eandem habeat quam prius materiam, nec tamen substantia sit eadem; necesse est advenisse aliquid substantiæ diversum, quo vermis à caseo discrepet, ut natura ac substantia alia. Hoc vero principium, Aristoteli forma, seu species vocatur; cujus natura est, ut det esse rei, & agere, functionesque differentes obire, ad quas res ipsa determinatur: ita ut prout forma diversa est, res etiam ejusque actiones diversæ sint: & quoties forma intereunte, succedit alia, toties res ipsa interire, alia succedente censeatur.

## *Historiæ Expositio.*

ECce ergo duo principia substantiva, Forma & Materia: Forma quidem caduca est, verum perfectiva, & activa, fæcunda atque amabilis: Materia vero cum sit perpetua, valde imperfecta est; quæ proinde ut fæmina virum, & turpe pulchrum appetit, nempe formam qua perficiatur, & sine qua ne punctum quidem temporis possit subsistere. Sed pereunte formâ novam subit;

ſubit; fitque unius Corruptio, alterius Generatio: & viciſſim Generatio advenientis, fit Corruptio præcedentis. Quod de Generatione & Corruptione ſimpliciter intellectum velim. Cum nimirum ſubſtantia, quæ non eſt, primum incipit eſſe: vel, quæ eſt, primum ceſſat eſſe per interitum. Secus eſt de Generatione & Corruptione, ſecundum quid. Porrò licet una eademque numero materia varias ſucceſſive ſubeat formas; non tamen in omnibus compoſitis quæ ſimul exiſtunt, eadem eſt numero. Quis namque eandem in Alexandro & Ariſtotele aſſerat? ſpecies tamen rerum omnium ſublunarium eſt eadem: quæ in ſe conſiderata, non magis hanc, quam illam appetit formam; ad quam indifferentem habet potentiam. Atque ita intellectu concepta, materia prima nuncupatur. Quatenus vero hanc vel illam ſubit, ejuſque conſortio delectatur, id habet diſpoſitionis præviæ beneficio, quæ appetitum illum potentiamque univerſalem & vagam, ad hanc formam limitat: vocaturque ſic affecta, materia ſecunda, vel tertia, vel quarta; prout plures habet perfectionis gradus, qui ad formam quam vel habet, vel appetit, requiruntur: unde patet non quamvis materiam ad quamlibet formam aptam eſſe: neque enim ferrum aut lapis, aut cinis, ad chylum, ſanguinem, carnem generandum, debitam habet formam; ſed eam duntaxat quæ præcedentium formarum conſortio, quaſi per gradus quoſdam, ad hanc formam propius acceſſerint. Quippe materia cibi ad chili formam, Chyli ad ſanguinis, ſanguinis ad ſeminis; ſeminis demum materia ad fœtus ſpeciem eſt vicinior. Neque ſic tamen perfectionis gradibus ornata materia, hujus vel illius formæ ſuſcipiendæ idonea eſt; ſed requirit vim agentis, quæ ipſam perfecte diſponat, dum illa vaga potentia ad hanc tandem formam limitet: cujus abſolutæ diſpoſitionis ultimo inſtante, cenſetur privata ea forma, quam habere apta eſt. Hinc patet quomodo talis privatio, non formæ, quæ perit, ſed ejus ad quam materiam perfectè diſpoſita eſt, ſit generationis, reique dum generatur principium; quamvis adveniente formâ res ipſa producta pereat. Nec obſtat quod privatio nihil ſit reale: non enim eſt quid purè negativum; cum præſupponat & connectat aliquid, realem, perfectam, ut diximus, materiæ præparationem, determinatamque ejuſdem potentiam: quod quidem eſſe quid reale, nemo dubitavit. En tibi brevis plenaque Principiorum Ariſtotelis ſecundum communem ſententiam expoſitio.

ARTICULI I. MEMBRUM I.

## *Brevem Materiæ & Formæ veterum Philosophorum explicationem continens.*

QUoniam vero in Principiis periculosissimè peccatur, statuimus ea non leviter, nec per transennam attingere; sed acre de illis examen instituere, in quo multa immiscebuntur, quæ lectoris animum cum fructu delectabunt; primumque materiam exagitabimus; cujus investigatione utilius nec quicquam ac magis necessarium Medico sit futurum, ignoro: quippe altæ naturalis scientiæ fundamenta hac parte jaciuntur. Sed antequam ad rem veniam; sicut jam jacta fuerant Aristotelis de materialibus fundamenta; Veterum etiam de materia prima opiniones adjiciam: illæ autem in duos ordines disponuntur; in Veteres primorum seculorum gentilium, ut videtur; quales fuerant Mercurius, Trismegistus Ægyptius, & Zoroaster Chaldæus, Abrahamo coætaneus; & cum quo in Zur Chaldæorum vixit, & à Noachi filiis scientiam rerum naturalium didicit. Noachus à Methusalemo, quæ postea successoribus fuerunt tradita, usque ad Moisen: Secundò in Veteres qui ante Aristotelem fuerant; tales fuerunt, Plato, Plotinus, Proclus, Jamblichus, Melissus, Parmenides, Anaxagoras, Democritus, Hippocrates, Zeno Stoicus, Epicurus, Empedocles, Heraclitus, Leucippus, Pythagoras, & super quorum doctrinam, totam Physicam suam compilaverat Aristoteles; qui post quam Veterum plerorumq; libros igne combusisset; quo dogmata quæ ab illis surripuerat, ut sua inventa viderentur. Quas res Tilesius, vir Veritati amicus, hoc disticho perstrinxit:

*Doctorem calamo ingratus, Dominumque veneno;*
*Perdidit igne Patrum dogmata; nos tenebris.*

Sed tota res à Patricio in Peripateticis suis discussionibus copiosius est demonstrata inter omnes Philosophos; sed præcipuè primævi sæculi, constat rerum naturalium Materiam esse aliquam, & illam dicebant multitudinem, sed unius participem, ut demonstratum Propos. 1. Articulo de Ente, ut rectè à Proclo refertur, qui creationis Mundi & Sanctæ Trinitatis, non levem tincturam habebat, nempe ex fine & infinita potentia pro-

progressum fuisse; seu, ut Christiano more loquar, creatum fuisse, per finem Deum Patrem; nempe qui rerum omnium principium & finis est, nempe illud α & ω intelligebant, & infinitam potentiam, hoc est secundam Personam, quam veteres sæpe Dei Filium, & Patris potentiam nominarunt: & ex istis duobus principiis tertium exsurgebat, vel ut Christiano more loquar, coævum promanabat; quod Ens increatum constituebant, & quod primis coæquale agnoscebant: & ex hoc sicut ex communi exemplari, principia omnia Physica, ut prima exemplata deducebant, per principia Physica intelligebant, primum Ens creatum, quod ratione principiorum increatorum est principiatum: habita vero ratione rerum ab eo productarum, est principium & effectus increati, & creatorum aliorum causa; quam omnem in se continuisse effectum, ut causas secundas, nemo dubitare debet; sive fuerit cælum & terra, ut docent nos Sacræ literæ, sive chaos, seu mixtum aliquod Metaphysicum, & mixti illius viribus creatum; sed quicquid statuere licuerit, veteres, esse materiam rerum naturalium, omnes in unum consentiebant, eam variam & diversam, juxta varios conceptus, & potentias causæ producentis fuisse; sed præcipue primævi illi Philosophi, qui effectum instrumentalem causæ præcedentis formalis, & præcedentis statuebant. Proinde activam & passivam constituebant; activam ratione efficientis causæ activæ præsentis, & producentis: passivam verò ratione causæ Materialis, & ad novum effectum producendum contendentis. Et hæc fuit Methodus veterum & primævorum Philosophorum & authoris nostri, qui totus est in demonstratione & deductione effectuum à suis causis. Nam ex fine & infinita potentia primæ causæ increatæ, omnes alias causas, ut primæ & supremæ causæ instrumenta & effectus deducebant; sicut ad satietatem in præcedentibus demonstratum est: Itaque primum effectum illius causæ, primum Ens creatum vocabant: & quoniam omne ens bonum est, per participationem summi boni, debet esse etiam fæcundum per Propos. 9. de Essentia: & si fæcundum producit, & omne producens ob perfectionem & potentiæ abundantiam, productivum debet esse sequentium; per Proposit. 3. ejusdem; sed debet capi natura ejus fæcunditatis, ut primæ fæcunditatis instrumentum. Sed observanda hujus instrumenti discrepantia ab artificialibus instrumentis: in arte enim instrumentum diversum est à materia, & extra materiam; supra quam instrumenta agunt: at in primo artifice nempe Deo, materia & instrumentum, similes debent esse: & si producat

ducat

ducat simile sibi, & dissimile producere debet; sed simile ante dissimile, juxta Propos. 4. Artic. de Vita. Producit ergo Ens alium ordinem pulchritudinis infinitæ potentiæ, quam Essentiam vocabant; & quo pro instrumento utitur ad producenda alia Entia: & pari ratione essentia tertium gradum Entis implet; quem Vitam vocamus; & Vita pari ratione, per participationem fæcunditatis suæ causæ, producit intellectum; & intellectus animam; & anima spiritum, formam vel naturam, quem multiformem vocabant. Qui etiam ultimum ordinem pulchritudinis producit, quem materiam vocabant; quasi terminum illius infinitæ potentiæ, per finem limitatæ, & corporum compositorum & formarum ultimum subjectum: quod quidem cum formæ præcedentis proles erat, producentis ut exemplaris causæ similis esse debet; ut producens nempe tot habeat in se exemplata, seu incorpora Elementa, quot anima, ejus causa productiva, habebat rationes exemplares rerum corporearum; & anima tot exemplata sive Ideata, quot intellectus exemplaria & Ideas; & intellectus tot exemplares conceptus rerum intelligibilium, quot vita habuit omnium viventium actus: & ut vita tot habeat effervescendi modos exemplatos, quot essentia exemplares; & omnium horum summitas & multitudo in, & ab ente primo, per modum causæ promanarunt: manere tamen in causa, & inde in effectus posteriores fluere, aut progredi dicuntur, donec expletis omnibus prædestinatorum exemplarium officiis, ad Mundi fabricam & œconomiam necessariis; omnia in avitæ Patriæ noctem & quietem redire, aut converti censeantur, servata virium continuitate: & hi septem ordines intra se, & in hyparxi unita fuerunt simul; quamvis proprietatibus distincti: simplicitatem enim hyparxeos, existentiæ, subsistentiæ, & essentiæ, omnibus & per omnia fit transitus & permeatio; sicut distincta lumina absque confusione, aut ulla imperfectione. Et hanc materiam verisimile est, fuisse illam, quam sacræ literæ *Tohu vabohu inanem & vacuam* nominabant; inanem, quasi levem, & impalpabilem pulverem, ut Hebraica phrasis interpretari videtur, quasi totius fabricæ distinctam materiam; quam Veteres *atomos* vocabant; quam formæ, spiritus seu naturæ, varios & diversos actus exspectare dicebant; quasi formæ primam ejus fabricam debuerat; quantum ad Mundi corporei & compositorum œconomiam sufficere videbatur. Jam exposita veterum Philosophorum primi sæculi mente, ad posteriores Veteres veniam, nempe Empedoclem, Democritum, Anaxagoram, aliosque quam plures nobiles Philosophos. Plato

etiam

etiam ipse pro materia prima, constituerat naturas diversas, tenuissimas, juxta formæ, seu spiritus conceptus fabricatas; ex quarum diversa conjunctione res fierent, quemadmodum ex lapidibus, luto, lateribusque domus exsurgit, nempe talibus artificiis instituto fabri congruentibus. Nec tamen ignorarunt aliud principium, secundum Aristotelem; à quo motum omnem ad virtutem agendi res illæ sortirentur; de quo suo loco. Hinc enim de materia rerum sermo est; de qua priscorum sententias, non tam facile est convellere, quam multi putaverunt; qui spretas atque irrisas potius, quam convictas dimittere voluerunt. Et Veteres illi, quamvis in assignatione principiorum inter se discrepare videantur, ex Aristotelis relatione; in eo tamen concordarunt, quod ad rei cujusque generationem, principiorum ejusmodi præexistentium, diversam compositionem requirerent; quà structurâ variante, res quotidie diversimode mutarentur: haud secus atque videmus Typographum ex iisdem characteribus, aliter atque aliter dispositis, alias atque alias orationes effingere: & quemadmodum ædificium fit ex variis partibus materiæ præexistentibus; ex quibus rursus dissolutis, aliud constare potest, additis vel detractis lapidibus, asseribus, aliisque partibus, eorum situ variato: in eum, inquam, modum, ex certis principiis, sed quæ interitum nescirent, diversimode coëuntibus, omnes omnium rerum mutationes fieri autumabant; nec opus est aliis quam quæ præmisimus exemplis, ad hujus sententiæ declarationem. Cibus enim varius in stomachum ingestus, sed prius diligenter tritus, calore ventriculi in suas partes resolvitur; cujus partibus inutilibus excretis, quæcunque ad nutritionem prosunt, retenta in chylum coalescunt; rursus à venis mesaraicis, sic in jecur projectus, ibi magis elaboratur, donec illius calore concoctus, in partes varias discernitur, quorum separatarum vis deprehenditur, quæ prius confusa latebat, vel ab aliis impedita, aut nihil prorsus agebat, aut minus agere valebat. Itaque aquosioribus in pituitam, terrestrioribus in melancholiam, magis verò igneis in bilem flavam facessentibus, & non ex primis Elementorum qualitatibus in hepate productis (ut in totius Medicinæ ruinam statuere voluerunt dogmatici) singulisque in propria receptacula amandatis, sanguis manet purior, & nutritioni commodior. Hic rursus per venas in corporis partes, quoquo versum distributus, tertia concoctione subtilius resolvitur, ita ut partibus serosis dilutioribusque rejectis, partimque per urinas, partim per sudores, partim per alia corporis excrementa pulsis, quod suæ naturę convenit, singu-

ſingulæ corporis particulæ ſugant, rejectis minus aptis. Atque hoc pacto converſio ejuſmodi, cibique mutatio in propriam partis naturam, nihil aliud eſt, quam poſt ſolutionem ſufficientem, maſſæ ſanguineæ, diſſimiliumque expulſionem, ſimiliumque ab unaquaque particula attractio atque retentio. Nam quæ uni parti, puta carni, diſſentiunt; ac propterea ab illa rejiciuntur, aliæ plerumque ſimiles, v. g. nervo vel oſſi, ab eodem in communionem prolectæ amicitiæ vinculo retinentur; neque partes illas tales, ea coctione factas, putandum, niſi quatenus conjunctio facit diverſum quid à partibus ſejunctis; ut pulvis albus cum nigro commixtus, mixtum ſeu medium refert colorem. Itaque cum prius eſſent diſperſæ hæ particulæ, atque ab aliis quibus cum confundebantur impeditæ, facta jam reſolutione per concoctionem multiplicem, diſcretæ & liberiores redditæ, ſimiles junguntur ſimilibus, vimque jam nactæ, aliæ facilè ſuccedunt, partem illam ſingulæ quærentes, cui ſe propter conformitatem adjungant. Hinc monſtrant quomodo ex corruptione nihil denuo generetur; ſed tantum earundem partium, quarum facta erat copulatio, fiat reſolutio, aut reditus ad cauſam; quia ſingulæ etiam in minutiores particulas, ex quibus compactæ ſunt, concedantur; unde & Ignis, & Aqua, & Terra, & Sal, & Sulphur, & Mercurius, quæ prius juncta latebant, apparent; & quæ, prius impedita, non agebant, jam ruptis impedimentis, ſui ſenſum imprimunt. Sic ex ſanguine lac, ex lacte ſoluto butyrum, ſerum & caſeus generatur: ſic ex ſanguine, partibuſq; aliis conjunctis ſemen fiat, animetur, attrahat, concoquat, retineat, expellat. Sic generatio, ſic nutritio, ſic excretio compleatur; rurſus decretio atque corruptio. Et ſanè certum clarumque faciemus, nihil vel generari, vel augeri, vel ullo modo fieri ex alio, niſi partium noxiarum prævia depulſione, aliarumque debita & concinna copulatione. Quid autem ſit illud, quod rei generatæ partes tam diverſas in concordiam copulet, motus actioniſque vim imprimens, ſuo loco dictum erat, articulo primo de natura, ſpiritu ſeu Forma, & communi rerum ſeminario: ex quibus patet veteres ultimi ſæculi, circa prima rerum principia parum diſcrepaſſe; certum tamen eſt, illos in eo conveniſſe; quod & veriſſimum eſſe demonſtrabimus: & ad mutationem naturalium cauſam rationemque inveniendam ſufficit, quod ſcilicet agnoverunt omnes ex minimis diverſiſſimiſque particulis, res conſtrui, quæ ut ab invicem ſejunctæ, naturas haberent diſſimiles, eandem naturæ differentiam conjunctæ retinerent. Quocunque tandem nomine res illas voces, parum refert; ſed certum eſt, Ariſtotelem hos veteres ſuis armis ſpoliaſſe, ut inermes

mes facilius debellaret: nam alioquin Anaxagoræ, Platonis & Democriti opiniones de materialibus principiis facile reconciliari possint: inter recentiores enim remanserunt rudera quædam veterum, & Gentilium Philosophorum, utpote Ægyptiorum, quæ à Græcis postea fuerunt culta: Legimus enim divinum Platonem, cum Presbyteris illis Ægyptiacis, mansisse ad annos tredecim. Similiter & per Pythagoram, ex illis aliquot rudimenta veterum Philosophorum primævorum parentum ad nos translata fuerant; & ex eorum numero, qui istam scientiam callebant, fuerunt illi omnes veteres Philosophi, quos Aristoteles in libris suis acroamaticis tanto cum despectu exagitat, & illorum sapientiam horrendâ fatuitate reprehendit, & in pravum sensum detorquet insanum Democritum, Hippocratis, magni Medicorum Coryphæi, studiorum socium; & ejusdem scientiæ professorem Philosophum, pro insano aut demente habuit, delirum Empedoclem, Parmenidem, Melissum, Anaxagoram; & præcipuè Platonem, cujus lacte ad vigintiquinque annos saginatus fuerat, plusquam alios Philosophos, horrenda ingratitudine pressit. Et qui propter pravam vitam, & enormes mores, è Schola Platonica ejectus; propter quam injuriam (ut sibi videbatur) illatam, Platoni omnique suæ sectæ, æternum bellum, maximo cum ingenii vigore quo polluit, indixit: & cum tandem ad Alexandrum Magnum vocatus, ejus ope & authoritate omnia quæcunque veterum Philosophorum scripta, aut monumenta extabant, penes se, ad studia Alexandri Magni promovenda, collegisset, ablatisque illorum armis, (ut inermes postea illos debellaret) illorum mentem pervertit, & ridicula nobis obtulit: & ne tandem veritas, ex illorum scriptis, & simul plagiaria nobis elucescerent; omnia quotquot veterum monumenta colligere potuerat, igne cremavit; & successores ejus plusquam Cimmeriis tenebris perdidit: quem Bernardus Tilesius distticho alibi allato acriter increpuit. Sed cum tota illa doctrina Mystica fuerit, & fabularum involvens supertexta, ne vulgus abuteretur; vicinæ nationes, similia fundamenta sibi constituere cæperunt: sed cum vera deficerent, ad religionem & falsorum Deorum cultum, Philosophiam istam appropriarunt: unde Mythologia & Philosophia Gentilitia promanavit; ex quorum numero Aristoteles Stagirita primus fuerat; qui, quanto ingenio pollebat, tanto acumine, & odio in Platonem Platonicosque insurrexerat: & nisi sacras literas & Zoroastri & Hermetis fragmenta aliquot nobis remansissent, cum posteriorum sæculorum fragmentis, ut Platonicorum & Hippocratis, qui ignem Aristotelis evascrunt; de Medicinæ Theoria actum fuisset; & Medicos æternis tenebris obruisset.

ruisset. Hic igitur materiam primam pro subjecto constituit generationis, eamque sine origine increatam; & contra Religionem Christianam coævam Deo; contra veterum tam primorum quam subsequentium sæculorum doctrinam stabiliverat, ut eo facilius formam suam substantialem, quam nisi illius fulcro defenderet (ut omnes ejus interpretes asserunt) nullo unquam alio modo necessitatem principiorum veterum Philosophorum evasisset; nec suam eventilasset. Sed quod magis ridiculum est, materiam inertem, passivam, & inter non Entia posuit; cum tamen formam activam, perfectissimam inde educi promulgasset: ex cujus cum materia mixtione, quatuor Elementa cum simplicibus qualitatibus, quas primas vocat; ex quibus omnia alia mixta exsurgerent, pro Physices & Medicinæ fundamento certissimo venduntur. Has autem lites qui cum æquitate & judicio componere velint, ne ipsos etiam tædeat, eadem ex veterum primævorum sæculorum doctrina perlegere: erunt enim quæ delectabunt, & haud iniquum exspectabunt judicem. Tota igitur increatæ & creatæ naturæ facies distinguebatur apud veteres in imparticipabilem, participatam, & participantem; ut habetur Propos. IX. Articulo de Ente. Sub imparticipabili comprehendebant totam naturam increatam, & ineffabile illud principium trinunum & unomne; ut satis amplè à me hactenus tractatum fuit Artic. de Ente. Post hoc principium, finem & infinitam potentiam stabiliebant: ex quibus primum mixtum constituebant, pro primo Ente creato; ex quo terminum primum in quo & à quo, omnium rerum creandarum ordines producti fuere; & ex quo omnia Entia creata materiam incorpoream accipere debent; & ex qua omnis natura creata, sive participans, sive participata, naturam & indolem artificis aliquo pacto imitata est: neque hanc intelligebant materiam. ex qua voluit Aristoteles formam substantialem educi; sed illam, quæ tota formalis erat; ex qua creatura tam participata, quam participans naturam & vires producentis accipiebant. Et hæc fuit materia creata, formis omnium rerum creandarum plena: & si talem intellexisset materiam primam, cum Veteribus forsan non errasset, & occasionem interpretibus suis dedisset, materiam in probabiliorem sensum vertere: sed ille passivam intelligebat: veteres verò activam & passivam simul statuebant, ille inter non Entia ponebat; illi vero omnium Entium creandorum principium statuebant. Et hoc ens, seu primum mixtum Metaphysicum, nihil aliud erat quam chaos veterum Poëtarum: ex hoc enim cælos & terras creata fuisse, ut ex materia,

asserе-

asserebant. Hæc materia à productoribus suis actum accepit; per similitudinem producentis, quæ omnium rerum maximè activa; & quia omne producens similia sibi, ante dissimilia, procreat; *juxta Propos. 4. Artic. de Vita*, à similitudine activam, à dissimilitudine passivam etiam naturam obtinuit: passivam igitur naturam, non à principiis suis, quæ nullo modo ut passiva concipi possunt, sed quia ab illorum dignitate in altereitatem prosilierint: & ex hoc ente, quasi Elemento, primi omnium rerum creandarum ordines inferiores dimanarunt, majore aut minore actione differentes: quos illi in septem ordines redigebant; *nempe in ordinem Entis*, *ordinem essentiæ*, *vitæ*, *intellectus*, *animæ*, *naturæ & materiæ* Physicæ; quos verorum Entium ordines nominabant: sed cum primum illud Ens, nempe Metaphysicum, aliorum producendorum causa, participationem boni habebat; propter fæcunditatem producentis principii, producere ad extra oportuit, & ad exemplum internæ fæcunditatis; & fæcunditatem istam Entis Veteres vocabant potentiam: & potentia illa præsupponebat vires præparatas ad potentiam istam exercendam; & vires comitem habebant, infinitam illam potentiam, quæ potentiam illam regebat, quasi vim divinam infusam rebus creatis. Hæc vis igitur erupit in actum, & fætum; nempe essentiam, similem sibi & dissimilem produxit: similem, nempè actu remissiori; sed passionem interiori; per quam ad extra imminet; & motum instabilem ad extra, ad exemplar motus stabilis ad intra producit; primus motus actus; secundus vero passioni respondet. Itaque essentiam definire possumus, motum entis ad extra: hic ordo entis produxit etiam tertium ordinem; quem vitam vocabant, producenti similem, sicut fluxit essentia ab ente; & definiebant *effervescentiam essentiæ*, *ut actionum manifestarum originem*. Hic etiam ordo quartum ordinem produxerat; quem intellectum vocitabant stabilem, inferentem motum, pro exemplo instabilis motus inde venturi, cujus productum fuit anima: & hic ordo naturam, spiritum universalem, formam aut quintam essentiam produxit: quinta vero essentia produxit materiam Physicam, & horum ordinum, quamvis tota Autopostasis fuerat, tamen in diversos ordines divisibilis erat, juxta insigniores creatorum facultates; quæ inde jussu Creatoris emanare ordinata fuerunt; & emanantium alia per se subsistunt, quæ αὐτοπόστατα significantiori vocabulo denominabant; quæ propria sua hyparxi & essentia, neque alterius ullius quam Dei ipsius Creatoris jussu & ope, ut conserventur, egent: & talia, ut hactenus dictum

est, fuere omnia incorpora, & veræ substantiæ; quæ in Mundo sunt Archetypo, Ideæ, unitates, mentes participatæ; ut Angeli, Dei ministri, in septem ordines distributi, primo ex puriori & origini proximiori entis, creati essentia producta fuit: & ab hac Entia participantia sive subministrantia, quæ vires & potestates participatis paulo inferiores, & dependentes, habere dicebantur; ut copiosè hactenus dictum est, *& sunt Ens, essentia, vita, intellectus, anima, natura, & materia*: & horum entium alia infinitam potentiam imitantur, alia finem; quæ infinitam potentiam imitantur, sunt ens creatum; ex quo omnes essentiæ productæ fuerunt, ut sunt omnium rerum essentiæ, quæ in prima essentia, continebantur, *sive fuerant essentiæ, vitæ, intellectus, animæ, naturæ, & materiæ*; ut sunt omnes vitæ, quæ in prima vitæ essentia contentæ fuere; ut sunt omnes intellectus qui in prima intellectus essentia contenti fuere; ut sunt omnes animæ, quæ in essentia primæ animæ contentę fuere; ut sunt omnes formæ, naturæ seu spiritus, quæ in essentia prima formæ universalis contentæ fuere. Et ex istis quinque essentiis, quo magis ab origine declinabant, eo minus activæ & magis passivæ, eo minus potentes, & magis ad quantitatem molis procliviores tenebantur: ut demonstratum fuit Propos. 14. Articulo de Vita. Hinc fuit quod essentia naturæ, formæ seu spiritus, ab ente per infinitam potentiam, & à primæ essentiæ infinito vigore protractæ, à fine terminari debeat, & proinde per proprios terminos illius finis, infinita illa potestas terminari debuit, *per enunciatum tertium Articuli de Ente.* Et terminatio illa includit & terminat progressum multitudinum ab unitate fluentium, & omnium essentiarum vitalium, mentalium, animalium & formalium, & omnium effectuum è causa, ulteriorem progressum prohibet: & proinde materiæ nomen à veteribus jure merito adepta est; & quantum multitudo ista progressa fuit, tantum multiplex & varii fuerant termini illius progressus. Hinc est quod veteres materiam diversissimæ tenuissimæque naturæ, subjectum primum corporeum omnium generationum statuebant: ut ita Enti creato è diametro oppositum, diversum quidem, sed non contrarium; imò potius similitudine conveniens: Ens enim primum continet omnes formas; & totum est formale & productivum: materia formas ipsas reddit materiales, & receptaculum fœtibus formæ præbet; verum Ens totum est incorporum, materia est incorporea, aut ad minus qualitates habet corporeas. Hisce igitur pro natura se stantium positis, ad alistantia accedendum, quæ à Græcis ἐπρόσατα vocantur, quæ in alio vel per

per aliud ſubſiſtunt; qualia ſunt corpora; & tales ſunt quantitates & qualitates corporeæ, harumque actiones & paſſiones, quæ corpore egent, quaſi fulcimento; ſine quo nec exiſterent, nec ſubſiſterent; imò corporea ipſa ſpacio & loco indigent, in quo ſint; & materia, per quam formæ terminare incorpoream naturam poſſint. His ita diſtinctis, inferimus, ſi ἀυτοπέστατα per ſe ſtantia & ἑτερόστατα aliſtantia, ſint inter ſe oppoſita, ita ut jungi nequeant ſua natura, ſicut ſupra dictum fuit: neceſſe eſt medio aliquo quod inter extrema interponi debet: ut fuſius paulo ſupra dictum: & hoc medium eſt ſpiritus univerſalis mundi, qui cum ſupremis cauſis aut eſſentiis ſit affinis, nempe mentium ordinibus, cum ſit animæ proximum productum, cum inferioribus vero materiæ cui coëxtenſa eſt & circumfuſa. Et hæc natura ſeu forma univerſalis, quinta eſſentia nominabatur; quia inter illa oppoſita quintum ordinem occupabat, in ordine eſſentiarum, nempe ab eſſentia, vita, intellectu, & anima quintum ordinem ſortiebatur. Hic ſpiritibus, de quo fuſius in capite de Natura ſeu Spiritu univerſali dictum fuit, quaſi infinitæ potentiæ terminus, à fine terminatus, & ad cauſam ſuam primam per finem convertitur, & converſio tota eſt reduplicatio effectuum productorum ab anima; quo materiæ primæ faciem per formam conſtituit, tot diverſis naturæ diverſiſſimæ partibus compoſitam, quot ſpiritus, natura ſeu forma rationes Seminarias in ſe habebat. Et Spiritus hic materiam iſtam perficit, attribuendo ipſi immaterialium formarum formas materiales incorporearum rerum formas corporeas, indiſtantium rerum diſtantias; ut copioſius à me tractatum fuerat cap. de materia. Hanc materiam ſumit igitur forma; & ex ea primo quaſi è divite penu & radice ſpiritualia corpora conficit; à quibus Author noſter ſemina, aſtra, & ſeminarias rationes educit, quæ tot numero ſunt, quot fuerunt radices & Elementa firmamenti, hoc eſt genera Entium in ordine Elementorum ſeu entium Radicalium. Et primum ſeminarium, ſive aſtrum, eſt ſpatium; ultimum vero ſunt atomi, ex quibus, mediantibus ſeminalibus productoribus, & Elementis radicalibus, producuntur Elementorum & aſtrorum fructus, hoc eſt corpora; qui juxta authorem noſtrum multi dicuntur eſſe, ſed non infiniti. Nam ad ſeptem Elementa concreta recolliguntur; quorum primum eſt Mercurius ſeu fluor, ultimum autem aqua. Ordo autem iſtorum Elementorum talis eſt, ut videre eſt ex tabula Entium radicalium, ut incorporea præcedant corporea, & ut corporea corpora. Ex incorporeis Mercurius ſeu fluor primum ordinem à rationibus ſeminariis ſive aſtris obtinet,

ab

ab Entis & ſpatii latere ſitus; & cum ſit cauſa ſubſequentium Elementorum, & primum in ſuo ordine, omnium Elementorum ſubſequentium naturas & qualitates in ſe continere, & extra ſe producere debet: & cum *Omne producens ſimile ſibi, ante diſſimile producat*; *juxta axioma* XXX *Artic. de Ente.* Ex incorporeo Elemento Elementum incorporeum, corpus, ignem nempe producit: cum enim incorporeo ſimilis ſuæ cauſæ, cum corpore diſſimilis eſſe debet: & à latere luminis & eſſentiæ in tabula reperitur. Similiter & ignis ex incorporeo corpore, aërem corpus incorporeum producit: cum corpore diſſimilitudinem cauſæ habet, nam in altereitatem cadit: dico in altereitatem; quia diverſum eſt corpus ab incorporeo quod præponitur. Incorporeum enim corpus magis de natura ſubſtantiæ participat; corpus autem incorporeum, ad accidentis naturam feſtinat: corpus enim à ſubſtantia natum, ut à vero ente declinat; & fit imago Entis; ita corpus eſt quaſi ſubſtantiæ accidens, & accidens corporis, eſt accidentis accidens, & quaſi imaginis imago; itaque corpus idem eſt accidentibus ſuis ſuſtentaculum, nempe rerum corporearum; ſicut ſubſtantia rerum incorporearum; & ex corporibus iſtis fiunt ſenſus, & res ſenſibiles; quæ ſunt indumenta, cortices, ſiliquæ rerum incorporearum; quibus à ſcelerato hominum, ut ait author, intuitu defendantur. Ex his autem ſiliquis & corporibus, quæ ſunt Sal & Arena, Ignis, dico, occultat proprietates & qualitates ignis eſſentialis, nempe lucem & uſtionem, quas in ſe abſcondit, & per ſenſibilem tactum ſenſibus noſtris ſeſe offerunt: & corpus illud lucidum arena eſt; corpus vero urens ſal eſt; utrumque fixum, ſtabile & permanens; durum & compactum robuſtiſſimi ignis naturam repræſentans: aëris autem duo corpora, ſive involucra ſunt, ſulphur, ſive omne inflammabile, ſeu lucidum, & aqua diaphana & liquida; ambo volatilia & à Sale & Terra, ut productoribus corporeis nata. Et hæc eſt Elementorum facies; & hic ordo dicitur fructus, nempe, aſtrorum; quia ab aſtris ſimilibus producuntur; ſicut aſtra ſunt producta à ſuis Elementis radicalibus; ut ſupra dictum eſt; & in iſtis ordinibus nempe Radicalium & Seminariorum corporum, ſeptem Elementa concreta reperiuntur; in Radicalibus per modum cauſæ, ut ſeminariis rationibus, ſeminaliter & in concretis corporaliter: nec in his corporibus deſinit natura, ſeu ſpiritus univerſalis, mundi artifex; ſed varia mixta ex his conficit; quæ quidem tot diverſas habere debent qualitates, quot illorum cauſæ productrices habebant in ſe rationes componendi ſeminarias. Et ex eorum numero & ordine infimo ſunt qualitates illæ,

quas

quas Peripateticus primas qualitates nominat, nempe calor, frigus, humiditas, & siccitas; quæ quidem cum non sint primævorum Elementorum qualitates essentiales, nullas, quales ipsis Aristoteles tribuit, potestates iis concedit Author noster, sed *relolaceas* hoc est mutuatitias, absque potestate & viribus: *Omnis enim actio à viribus*: ut sæpius antehac demonstratum fuit: & ex his Peripateticorum fundamentis Galenici quatuor humores, quasi quatuor Elementa humani corporis, pro basi & fundamento constituunt. Sed ut consueta Scholarum methodo, & familiaribus terminis veterum Philosophorum doctrinam, & præcipuè Authoris nostri, & chemicorum mentem, facilius, & absque ænigmate exponam; & facilem lectori reddam: sciendum est Severinum Danum triplici medio uti ad illustrandam totam doctrinam veterum; quam ingenio & eloquio suo ita obvelavit, ut nullibi veteres Zoroastrum, Platonem, sed præcipue subtilem Proclum, philosophantem percipiant, nisi prævia & infatigabili illorum revolutione, prius quid dicant, addidicerint. Proinde egregiam operam omnibus Philosophis & Chemicis me præstiturum credo, si præcipua veterum Philosophorum dogmata, ab infinitis spinis selecta, & à fabularum involucris devoluta, hic quasi in aperto campo producam; quæ obicem rudioribus & obtusis ingeniis sternerent. Tria igitur media sunt quasi claves Severinæ doctrinæ, ut sunt Elementa, seu Entia radicalia; quorum numerum ab infinitate liberat, dicendo cum Proclo, finem terminos infinitæ potentiæ imposuisse; & inter talia Elementa, sæpe *vitam*, *essentiam*, *existentiam*, *actum*, numerat. Quæ omnia ut melius intelligantur, in septem ordines contraxi; in *Ens*, *essentiam*, *vitam*, *intellectum*, *animam*, *naturam*, *& materiam*. De quibus singulis illustrationem integram præmisi; & junco levigatiorem reddidi. Secunda clavis est Seminarium virtutum, seu qualitatum essentialium, quas Author *astra* vocat, *interdum Solem*, *Mumiam*, *Balsamum*, *Mercurium*, *quintam essentiam*, *arcanum*, *Elixir*, *materiam perlatam*, *mannam*, *moderatorem actionum*, *speciem*, *radicem*, *Sulphur vitale*: quæ quidem qualitates æquivocæ cum illorum radicibus & Elementis esse debent, cum ab illorum substantiis inseparabiles sunt: & istas qualitates seminarias, etiam ad ordinem septenariarum conformem Elementis radicalibus redegi, ut in sphæra Entium Radicalium reperiuntur. Tertia clavis vocatur fructus astrorum seu seminarium actionum, & sunt septem Elementa concreta, videlicet *Mercurius*, *ignis*, *aër*, *sal*, *sulphur*, *terra*, *aqua*. Et dicam in his tribus clavibus tria considerari; primo naturam Autypostaticam ipsam, hoc est totum: secundò substan-

ſubſtantiæ δύναμιν nempe eſſentialem, quæ debet eſſe præparata ad vires & potentiam exercendas, & nunquam à ſubjecto ſeparabilis. Et hæc eſt ipſa hypoſtatica Natura. Tertium, eſt actio & potentia illa Eſſentialis quæ in perfectam dividitur; & in ipſa Categoria ſubſtantiæ continetur; neque unquam dignoſci poteſt niſi ratione ſuæ ſubſtantiæ; ut qualitas catarctica Rhabarbari, & ſympathia & antipathia animalium, vis magnetica: alia potentia eſt imperfecta, quæ eſt qualitas dependens à temperamento, & eſt tantum inſtrumentum perfectæ; & illa in Categoria qualitatis includitur: & talis eſt calor, frigus, humiditas, & ſiccitas; quæ ab authore noſtro *relolacea* dicitur. Potentiam perfectam Author noſter Spiritus Mechanicos vocat; quia Scientia ſunt inſtructi; & talis potentia ſemen fœcundum reddit, ut refert Ariſtoteles ſecundo de Generatione; & illi ſpiritus actu ſeminali ſunt in ſeminibus, & ab illorum corpore diſtincti; à quo ſi qui remanſerint, infœcunda redduntur. Et hi ſunt actionum omnium authores, & hi ſpiritus ſunt alii forma ſpiritualiori, alii minus ſpirituali, & media præditi: Spiritualiores dicuntur incorpora, media dicuntur incorporea corpora, & minus ſpiritualia, corpora incorporea & ipſa corpora. Et hi ſpiritus medii primam conſtituunt materiam; & *prima materia* ab authore vocantur, non ſolum quia in illis infinita potentia à fine terminatur; ſed quia progreſſionum Radicalium incorpororum, aut magis ſpiritualium potentiarum finis eſt, & initium mediorum, quæ ſeminariæ rationes vocantur: unde Elementa concreta quaſi ſeminum iſtorum fructus proximi producuntur. Hos tamen Spiritus Peripatetici totam ſubſtantiam & formam ſubſtantialem vocant: ſed quod Peripatetici ſubſtantiali formæ, chemici Spiritibus, Seminibus, & ex concretis Elementis tribus Hypoſtaticis; quippe Spiritui, Mercurio, ſeu flori, igni & aëri, tribuunt: & principio huic materiali ſubordinantur Elementa Hypoſtatica: & ita dicuntur, quia majori vi atque efficacia concretis pollent, ut origini vicinioribus ſunt; Mercurius nempè aut fluor ab inferioribus participatus, etiam vires & actus ſeminales, inferioribus, proximis, nempe igni primo diſtribuit; qui cum incorporeus & activus ſit, ſenſibus noſtris ſale activo & concreto Elemento non prodit, niſi per corpus ſalis activi, & concreti Elementi; urentis quidem, at non lucentis, per corpus arenæ lucentis, at non urentis ut paſſivo, de quo veſtitur; ſecundo, aëri per ignem; qui etiam cum incorporeus ſit & activus, ſulphure aut oleo ut activo concreto & lucido Elemento; aqua paſſivo concreto & diaphano Elemento, ſenſibus noſtris ſe ſe offert:

offert: ita parcent mihi chemici si juxta vulgarem illorum doctrinam, non Salem, Sulphur, & Mercurium, pro tribus principiis hypostaticis, Elementis radicalibus & seminalibus rationibus immediatè subordinatis, acceperim; sed ex iis solum spiritum seu Mercurium qui fluor dicitur, postquam ignis & aër (ut è seminariis rationibus immediatè fluentes) ordinem tenere debent. Quis his primæ in suo genere causæ ut participatus potentiam, reliquis vero ut participantibus, denegabit? Natura enim non saltat, sed ordinata est, & à Spiritibus ad Spiritus corporeos, ab incorporeis ad incorporea corpora, hoc est ad corpora incorporea, & ad corpus & res corporeas hoc est accidentia descendit: & cum corpora sint incorpororum instrumenta, quis Sali & Sulphuri corporibus hypostaticam naturam concedet? sunt enim alistantia, & alimotiva, & per se stantibus & moventibus Mercurio igne & aëre, ut incorporeis remotiora. Imo & Quercetanus principia seu Elementa duplicia fecit; simplicia, invisibilia, videlicet Spiritualia, formalia, aut astralia, ut vocat, quæ sensus fugiant, & actionum omnium authores sunt: alia visibilia, materialia, & corporea, per quæ ut composita, actiones administrantur: simplicia autem vocat quæ ex aliis prioribus seorsim existentibus non sunt, sed ex quibus omnia fiunt, & in quæ resolvuntur omnia composita sive corporea, quæ & in simplicia resolvuntur: si ergo Quercetanus hæc principia statuerat, & alii post illum; procul dubio invisibilia incorporea simplicia statuere alia, nisi Mercurium, ignem & aërem, ut hypostatica non potuit. Legit quidem Quercetanus Ideam Severini Dani, sed an unquam authoris sensum intellexerit, multum dubito; quæ satis propter querelas Sennerti, qui præclaram operam, in ejus eruēda doctrina, dedit, percipiuntur: cum in hac principiorum multiplici partitione, de Authoris obscuritate multum cōqueratur. Quorsum enim tot divisionum & subdivisionum variationes, tot simpliciū compositorum, tot simplicium formalium & materialium corpora formalia & materialia, elementa formalia & tria principia formalia, totque materiæ, & receptacula? quæ omnes & divisionibus authoris nostri simplicibus magis quadrent, quæ fiunt absque transitione à genere in genus. Cum enim de Generica natura agit, illam suo more partitur ternaria divisione; summumque genus, nempe mundum, in tria Regna dividit; Divinum, Angelicum, & Physicum. Divinum genus in increatum authorem & creatum dividit: opus creatum autem in Metaphysicum & Physicum. Et hos duos divisionis ramos in tres classes dividit: & prima erit in principia, seu septem Ele-

menta Radicalia, seu Metaphysica; quæ sunt *Ens, essentia, vita, intellectus, anima, natura, & materia*, ut stabiles & essentiales effectuum conservatrices, domicilia, loca, & quæ effectus quasi in Matrice ferunt, nutriunt, fovent, promovent, conservant, & ad progressum, fabricam & commercia mundanæ œconomiæ conservant, & ad se denuo attrahunt; sicut demonstratum fuit propos. 10. Articulo de vita; ut novas progressiones mutuo amplexu, sobolis propagandæ gratia suscipiant. Quid autem sint septem illæ virtutes seminales secundæ classis, inveniuntur Cap. 6 de seminibus & astris. Dicit enim semina vel astra explicare officia & naturam Elementorum; nam sicut effectus est qualitas alicujus subjecti, & qualitas naturam subjecti aliquo pacto demonstrare potest; sic semina vel astra, inquam, seminalia, seu qualitates non accidentales, sed radicales & essentiales, Elementorum naturas demonstrant. Sed tales quæ altiori ordine, quam quæ Categoricę sunt, collocantur: sunt enim nec puri spiritus, nec pura corpora, sed incorporea corpora & corpora incorporea, inter se stantia & alistantia, media, & hypostatica principia, & ab illorum essentiis inseparabilia, & qualitatibus Categoricis pro instrumento utuntur; & talis qualitas est purgantium specifica virtus; sympathia & antipathia magnetis & ferri, saliva canis rabidi, & multa similia: neque hic à Septenario numero exceptio ulla est facienda. Nam sicut Author noster dixerat, Elementa radicalia fuisse incorporea, vel si rectius dixisset incorpora; non tamen infinita: sic hic, hoc in casu licebit mihi dicere, & determinare radicalium Elementorum finitum numerum, è septenario numero terminari, juxta ordines celebriores actionum & virium ex radicibus illis promanantium, quæ infinita actionum & virium potestas, à fine terminatur, infinito spacio, & in infiniti sinu, & concavo coërcetur: & sicut ab infinito ad finitum spacium progressus mutare debet progredientes vires, sic vacuitas Elementorum Radicalium, hoc est corporum vacuitas, in spacio infinito prius degentium, & è plenitudine potentiarum, virium, & actionum seminalium, in corpora erumpens convertitur. Itaque dicit Author, vacuam Elementorum naturam seminibus esse ornatam; & quamvis multifarias habeant ista semina potentias; tamen juxta radicalium ordinem, ad septem generales ordines reduci possunt, nempe ad spatium, lumen, quæ incorporea corpora dici possunt: & ex hoc ordine emanant aliæ potentiæ imperfectiores, quæ primum locum in ordine elementorum concretorum tenent; ut sunt incorporea corpora, & corpora incorporea, hypostatica quidem, sed ad naturam corporum,
alia

alia aliis plus vel minus progredientia; ut sunt Mercurius, ignis & aër,
principia hypostatica ad naturam prorsus salis & sulphuris, quæ non prin-
cipia, sed corpora hypostatica, nempe plus ad corporum naturam vergentia,
tum terræ & aquæ corporibus passivis, quæ numerum septem Elemento-
rum concretorum radicalium & seminalium, & tertiam classem generis
Physici constituunt: sic septem Elementa primæ classis erunt αὐτουπόστατα
hoc est se stantia: secunda erunt hypostatica, in autypostaticis stantia, &
corporibus supposita; & tertia erunt ἑτερόστατα, in hypostaticis stantia. Ita-
que hic non cum Quercetano, & aliis Chemicis sentire possum, in divi-
sione concretorum corporum, quæ fructus septem Elementorum radicali-
um & septem rationum seminalium vocantur: ibi enim Mercurius, Sulphur,
& Sal hypostatica principia corporum ab Authore nostro appellantur:
concedo enim esse in isto ordine tria principia, aliquo modo hypostatica,
& salem & sulphur esse corpora majori quam terra & aqua activitate præ-
dita: sed salem & sulphur primum locum ex numero istorum trium debere
habere, nisi κατ᾽ ἐξοχήν, respectu inferiorum terræ & aquæ in genere enti-
um, concedere non possum: sunt enim per se stantia, alistantia, & media
hypostatica; ut demonstratum fuit *propos. 4. artic. de vita*: hoc est substan-
tiæ, quæ non corpora sunt, & substantiæ incorporeæ corporis, & substan-
tiæ corporis incorporei. Et substantia corpus, & causæ progredientes aut
fluentes à causa, servare inter se talem ordinem debent, ut præcedant he-
terostatis, hoc est alistantibus & participantibus substantiæ, sive hypo-
stases, participantes, & participantibus & hypostaticis ut præcedant
αὐθυπόστατα, hoc est per se stantia & imparticipabilia sui ordinis. Hic
igitur discuti debet æquivocatio nominis *hypostaseos*, ut appareat error,
dum sal & sulphur pro principiis hypostaticis sui ordinis teneantur, ex-
clusis igne & aëre, quæ hypostases sunt, ex incorporeis seminalium ratio-
num proximè emanantes. Hypostasis enim, ὑπόστασις, Græcum vocabu-
lum est, quod sonat *substans*, & incorporis aut radicalibus, incorporeis
corporibus, & corporibus incorporeis, nempe astris, seminibus, & Spiri-
tualibus corporibus, corporibus incorporeis, ut sunt Mercurius, ignis
& aër, & corporibus ipsis, quæ sustinent accidentia, communis est. Imo
ipsa concreta, lata significatione nominari possunt hypostases: sed propriè
loquendo septem rationes seminales dicuntur hypostaticæ; minus propriè
corpora incorporea, qualia sunt principia hypostatica ex abysso Seminali-
um rationum immediate emergentia, ut sunt fluor, spiritus, seu Mercurius,

 ignis

ignis & aër, & non sal & sulphur; unumquodque juxta ordinem suum ab incorporo aut hypostato vicinius aut remotius originem trahens. Et sicut hypostasis est commune vocabulum, abusive sumptum pro qualibuscunque Entibus, sive sint vera, sive non vera Entia, sive incorpora, sive incorporea corpora, sive corpora incorporea, sive corpora ipsa, à se stantibus inæqualiter originem ducentia: distinguenda igitur erit hypostasis in principia hypostatica corporum, ut sunt Mercurius, ignis & aër, & corpora hypostatica, ut sunt sal & sulphur, propter activiorem illorum naturam, & prorsus alistantem & passivam, terram seu arenam, & aquam: quæ quamvis illis Hypostasis vocabulum non ita bene appropriari possit, ac sali & sulphuri; & quamvis utrumque corpus sint, & essentiam suam habeant per quam existant, & accidentibus subsistant, sicut sal & sulphur; tamen quia minus activa, & diversa, propter distantiam diversam, qua longius à causa & origine sestante dependent, diversis nominum prærogativis insigniri debent: substantia enim magis non recipit, nec minus quam substantia: Muscæ enim substantia, tot viribus ad sustinendum aut producendum corpus suum habet, atque elephantis suum: sed in hoc differunt, quod elephantis substantia potentioribus se stantibus viribus, quam musca pollet. Et si propter majorem ab origine sestantium distantium sal & sulphur activiores sunt, & dignitatis prærogativam terræ & aquæ eripiunt, ut hypostatica corpora dicantur: quare igni & aëri, ut à Mercurio proximè emanantibus, idem jus supremum, ut principia corporum hypostatica, non conceditur? Erunt igitur Mercurius, ignis, & aër principia hypostatica, Mercurius incorporeum corpus, quia ordini seminario vicinior; ignis & aër corpora incorporea, quia ordine seminario remotiora; hos sequuntur vera corpora, primo hypostatica principia activa, sal & sulphur, deinde passiva, terra & aqua: tres igitur erunt hypostaticæ naturæ; una, quam incorporum, ut uno & significantiori vocabulo designem (sed Medicos, non Grammaticulos alloquor) altera, ut sunt ea quæ ex ordine seminalium rationum numerantur, & quæ immediatè ex se stantibus progrediuntur; ut sunt corpora incorporea; Mercurius, ignis & aër: & inter hæc duo, incorporum est activum valde; incorporeum corpus minus activum; quamvis effectricem rerum facultatem etiam habeat; ut ait Proclus, Propos. 80. institut. Theologicarum. Tertia vero erit corpus actionis expers; quare corpus, non quatenus corpus, faciet aut aget, sed propter ipsam faciendi facultatem substantiæ insitam, in ipsa, ab incorporo infusam; cum igitur corpus facit;

facit; per communionem aut participationem incorpororum facit: & omne quod participatur, aut seipsum, aut sui aliquid participanti largitur, hoc aliquid est; illa facultas, aut illuminatio, quæ progrediens ab incorporo jungit duas oppositas naturas, quæ alioqui jungi non possunt absque corporis distractione: illa enim prior semper agit; hæc semper, nempe corpus, patitur. Corpus non potest esse αὐθυπόστατον, sed stat ab eo quod ipsum facere potest stare; & quod vires in corpus, quod actionem intendere potest, suppeditare possit, & ipsum sustineat; hoc autem corpus esse nequit: & si ita, daretur progressus de corpore in corpus, in infinitum: neque debet esse incorporeum; actione enim incorporei corpus in nihilum verteretur. Quid ergo illud erit, quod subsistentiam, vires, & actiones dabit corporibus? at illud quod dabit, dare non potest absque actione; nam actio fit per contactum: cum igitur nec incorporum nec corpus facere hoc queant, oportet ut medium sit aliquod; quod veteres plane ignorabant, aut celabant; sed tertium quid, quod neque est incorporum (ignoscant Grammaticuli) nec corpus; sed utrumque, nempe incorporeum corpus, incorporeo suo ab incorporo pendens, corpore ad corpus vergens; & sic utriusque proprietatum particeps, neque erit ex extremis mixtum, nec ex contrariis temperatum, nec ex partibus compositum; nam sic in infinitum amandaremus: sed necesse erit, quia incorporea est, ut incorpororum proprietates teneat, non simplicissimas illas, quales in incorporis reperiuntur, sed gradu inferiore. *Omne enim producens*, ut est Propos. 4. Articulo de vita, *simile ante dissimile producit, & non idem*; simili ratione causæ producentis, dissimile, quia in alterëitatem cadit: ut autem causæ producentis, nempe incorporo, sit similis, identitatis ejus necesse fuerat fieri participem; fiet autem talis, si sui aliquid incorporeum, quod ad participans proximâ summitate accedere possit, impertiatur; quæ & mole careat, & sit impartibilis, & ideo indivisibilis, & ideo impossibilis, & ideo inalterabilis, immutabilis; & ideo ut sit semper Ens. Qui vero corpori jungi potest, necesse est ut corpori assimiletur, ut ejus aliquid in non ens cadat; si mutabilis, divisibilis, alterabilis, partibilis sit, in mole & circa molem versetur; ex istis proprietatibus corpori proximus debet esse temporarius; & si essentia sua, ut corpus, temporaria erit, vires, potentiam & actiones habebit, & nihil de incorporo retinebit; cujus contrarium est demonstratum: si vero incorporo tota inhæreat, essentiam, vires, potentiam, actionem, cum corpore ut nullam habeat, necesse est. Igitur ut hæc quatuor, essentiam,

tiam, vires, potentiam, & actiones ita partiri debeant, ut incorporo similis sit essentia, corporibus actio, & mediæ naturæ fiant vires & potentię; & ita essentiæ ut incorporo septem Elementa Radicalia correspondebunt, viribus incorporea corpora, ut media incorpororum & corporum vincula, quæ septem seminariæ rationes ab Authore nostro vocantur: similes autem erunt potentiæ tria principia corporum hypostatica, Mercurius, ignis & aër; quæ corpora sunt, incorporea referuntur: actioni, quatuor Elementorum salis, sulphuris, terræ, & aquæ corpora correspondebunt. Itaque ex principiis primo veris & causis verarum conclusionum, sal & sulphur non erunt principia Hypostatica corporum, sed Mercurius ignis & aër; quæ tria ab Hermete antiquissimo Philosopho, exprimebantur per animum, spiritum & corpus; servato isto ordine, ut sensibilia & incorporea, sint sensibilibus, & corporeis priora principia, & corpora erunt accidentium principia: & quamvis author noster sæpius nominet Mercurium, Salem, & Sulphur principia corporum, hoc facit κατ' ἐξοχὴν, nam quamvis Mercurium, pro vero principio corporum accipiat, Sal & Sulphur, cum sint ipsa corpora hypostatica, pro corporum principiis habere nullus potest: sed Cabalistico sensu accipiendus est Author, nam alioqui sibi contradiceret multis in locis, & Proclo; unde doctrinam suam hauserat, præcipuè cap. 7 de Principiis corporum, textu primo circa finem, ubi refert, & rectè, qualitatum, magnitudinum, figurarum, numerorum exordia in seminibus incorporeis contineri, quæ quidem omnes cum sint affectiones corporeæ, & ab ἀυθυπστάτοις continuato ordine incorporo, & corporibus incorporeis progressæ, quis corporeos istos affectus, corporibus omissis, incorporeis corporibus adjudicabit? Seminariæ enim rationes, quæ incorporea corpora appellantur, quare saltarent, cum istis affectionibus corporeis & naturæ ordinem interrumperent; dum prius corpora & sensibilia, nempe Salem & Sulphur, antequam ad corpora incorporea, ignem & aërem se se conferrent. Cum igitur Author noster Philosophica libertate, Mercurium Salem, & Sulphur, principia corporum nominat, in Mercurio enim aut fluore, in principio primo, in suo genere & causa effectuum, inde progredientium potentiam, & vires ignis corporis incorporei salis corpore velati, quæ in actum per ista corpora, & deinde in arenam, seu terram & aquam erumpunt. Nec enim esse potest aliquid in actu, nisi sit prius in potentia, quæ vires ad actum præparatas habere declarat; actus enim non nisi per sensus corporeos nobis manifestantur, qui posteriores sunt incorporeis: proin-
de

de omnis actio corporea à viribus, & vires ab essentia emanant, & non contra. Actus igitur corporum salis, ab igne proximè emanat; sicut sulphuris ab aëre; & sic Apostoli illud dictum confirmatur: *Invisibilia ipsius, à Creatione mundi, per ea quæ facta sunt, intellectu conspiciuntur.* Sic αὐθυπόστατα priora sunt hypostaticis, & hypostatica natura priora sunt ἑτεροστάτοις, & ex hypostaticis, quæ magis ad Autopostaticam naturam inclinant, qualia sunt incorporea corpora; quæ seminariarum rationum complent seriem, & magis hypostatica judicantur, quam illa quæ corpora incorporea vocantur, & ordinem concretorum Elementorum claudunt; quorum numerum perficiunt Mercurius incorporeum corpus ab ordine seminariarum rationum proximè emanans, ignis & Aër, corpora incorporea, Mercurius aut fluor minus hypostatica, & Sal & Sulphur, heterostata; sed aliquo modo activa arenam & aquam etiam alistantia sed passiva: itaque fluor penetratio, continuitas actionis, Mercurio tributi, in Mercurio seu fluore sunt primo potentia seminali, imò & omnes qualitates seminum, hoc est magnitudines, numeri, figuræ, & dotes omnes reliquorum Elementorum, quæ prius in aut ex hypostatica natura fuerunt, per Spiritum seu formam in materia & cum materia terminatæ, & delatæ, quæ ex incorporis incorporeas rerum corporearum rationes, & seminalium ordinem incorporeorum & hypostaticorum deducunt; ut deinde in corpora incorporea concretorum Elementorum, qualia sunt fluor, ignis, & aër, diffundunt, & tandem Elementa corpora, Sal, Sulphur, terram, & aquam, ut totam alistantium naturam perficiant, & actibus se stantium substantiam & alistantium ornatum explicent. Itaque Paralogisticus est quisquis qualitates ignis (qui est incorporeum corpus) per calorem aut siccitatem, neque adustionem agere affirmat. Ignis enim cum sit corporeus Spiritus, penetrat, & se se insinuat omnibus corporibus, propter defectum resistentiæ, roborando, vivificando, animando: at cum sensibiliter ut in corpore, sive salis, seu sulphuris versatur, tunc actus suos prodit, calefactione, siccatione, combustione, lucis & luminis continua diffusione. Similiter de aëre credendum erit, quod nempe non agat extra corpus, cum manifesta aut sensibili actione, quæ est inflammatione, frigefactione, humectatione nisi in sulphureo corporeo & Diaphano extensionem prius faciat. Hunc abstractum ignem simili modo interpretatur Hippocrates libro 1. de Diæta; dicitque *ignem in hominis generatione triplices circuitus, facultate diversos distinxisse, tam intus quam foras conspirantes; & circuitus qui fiunt in cavitatibus potestatibus, Lunæ comparat; qui vero exterius, astrorum motus referunt; qui vero in medio, robustissimi*

*ignis naturam imitantur; qui intus & foras per omnia transiens, omnibus dominatur; idque quieto silentio, nec visu nec tactu sensibilis.* Per istos tres circuitus intelligit non ignem tyrannum, qui dissipat & destruit corpora, sed ignem corpus incorporeum: & tres isti circuitus per mansionem in causa, & in essentia, nempe in *vita, intellectu, anima,* & progressum à causa in effectum, qui fit in cavitatibus, quæ sunt incorporea corpora, Lunæ circuitus imitantur: at deinde conversio ad causam ut reditus à corporibus ad incorpoream naturam. Sed cum credam me rem non cum Tyronibus habere, sed in arte adultis; nolo illis fieri talem injuriam, ut credam illos Mercurium Elementum seu fluorem pro hydrargyro; nec sulphur pro pulvere tormentario; nec salem pro ciborum condimento accipere; sed Philosophico more intelligere. Propterea qui plura de Elementis, Seminibus, & principiis corporum, scire desiderat, is ad Commentaria mea super Authoris Anacephalæosin, in quintum, sextum, & septimum Capitulum, se se conferat; tum ad Commentaria in octavum caput, textu 8. titulo de fluore aut tribus principiis hypostaticis; & ibi multa inveniet, quæ hunc locum plurimum explicare possunt; & vulgarem Peripateticorum & Galenicorum Methodum non parum alterare videbuntur, præcipuè de fluore primævo veterum Philosophorum, hypostatico principio corporum; tum de Sale & Sulphure, non pauca; quæ confusam hucusque hujus principii doctrinam, tum Salem & Sulphur, tum Elementorum reliquorum concretorum & activorum naturam, non parum illustrare possunt, traduntur: sed jam prælibatâ parum veterum Philosophorum Chemicorum doctrinâ, ad Peripateticorum doctrinam redeamus.

## ARTICULUS II.

### *In quo doctrina Peripateticorum, de materia prima, & forma singulari, destruitur, & Veterum stabilitur.*

RESTAT nunc ut post materiæ primæ Peripateticorum & Dogmaticorum deductionem, & per atomorum doctrinam, ex laboribus & experimentis certissimis chemicorum demonstratam, Materiæ Veterum Philosophorum fundamenta jaciamus: pro quibus non parum erit, antequam ulterius provehamur, istius fictitiæ Materiæ Primæ adhuc concutere fundamenta,

menta, ut ad Elementorum formas ſubſtantiales, qualitates primas Elementorum, & mixti; tum quatuor humorum ſubverſionem ( qui totius dogmaticæ Philoſophiæ báſis eſt ) facilius deveniamus, quouſque ad mixtionis inde productæ ruinam ventum fuerit. Primo agnoſcunt illi talem materiam, veram, æternam, Deo coævam, paſſivam, inconſtantem, inſciam, imperfectam valde, omnis actionis impotentem, ad omnes tandem formas ſubeundas diſpoſitam. Primo appetitui Materiæ principium corruptionis adſcribunt, non animadvertentes ſe Principio æterno caducum attribuere effectum; cum tamen æterna, nunquam corruptibilia appetant, ſed ſemper ad originem, præſtantiori vita, ut ait Author noſter, fruentia, temporibus & locis ( ubi nec eſuriunt nec ſitiunt ) minime obnoxia, tendunt: quod ſi vero extra abyſſos ſuas & beata habitacula progrediantur; hoc non ex appetitu, ſed ex juſſu Divinæ voluntatis faciunt ea, quæ juſſa fuerant facere in prima Creatione.

Appetitus eſt motus, qui materiæ non activæ juxta illos competere minimè poteſt. Deinde qualitates volunt agere à materia, quam prius omni actione ſpoliaverant.

Materiam autem non eſſe unam & eandem rem, ſed diverſam, in mixtionis inde venturæ refutatione tractabimus: nunc autem de formis, materia, & mixto agendum erit. Forma, materia, compoſitum, tres ſunt ſubſtantiæ, juxta Ariſtotelem: compoſitum corpus eſt, forma non eſt; materia non corpus eſt, vel, ut meo more, uno verbo, pro antitheſi, hoc eſt incorporum, vocem, vel inter non corpus, hoc eſt incorporum, vocem, vel inter non corpus, hoc eſt incorporum, & corpus medium: & ſi non corpus, aut potius incorporum, non erit ejuſdem rationis nec definitionis cum forma: nam materia formæ ſubeſt, forma materiæ inſidet. Quod ſi media non ejuſdem rationis erit cum forma, malè certè hæc tria ſub eodem genere æquivoco Entis ponuntur, juxta Ariſtotelem. Igitur cum poni nequeant ſub univoco, erunt ſub æquivoco genere ſubſtantiæ; & tunc contra Ariſtotelis doctrinam, ſubſtantia recipere magis & minus poteſt: magis enim erit compoſitum ſubſtantia, quam corpus, quod tam formæ quam materiæ ſubeſt; minus materiæ ſubeſt; minus materia erat ſubſtantia, quia non ſubeſt niſi formę: minimè forma, quia nulli ſubſtat: Ergo ſubſtandi ratione, hæc tria nihil inter ſe habent commune; & proinde, neque genus commune habere debent: non igitur erunt hæc tria ſubſtantiæ; ſed materia erit tantum ſub-

ſtantia quæ revera eſt ſubſtantia, quia æterna, ut ex hypotheſi Veterum, & hujus doctrinæ innoteſcit. Forma quæ eſt mutabilis, quia ei ſupervenit, & ab ea diſcedit, & accedit abſque materiæ interitu, quis illam dixerit ſubſtantiam? quod vero ſi accidens eſt, compoſitum non poteſt efficere ut ſit ſubſtantia: ſubſtantia enim non poteſt ex ſubſtantia & accidente fieri. Itaque ex tribus illis ſubſtantiis duo accidentia erunt; tertium ſubſtantia: quod revera aut nihil eſt, vel prope nihil; aut non Ens, ex ipſo Ariſtotele dicitur: atque ita, ex ejus doctrina, ſubſtantia univerſa, aut eſt accidens, aut falſiſſima erit Ariſtotelis de tribus ſubſtantiis doctrina. Sed ſi veriorem expetat Lector Subſtantiam, quærat in Tractatu de Ente, ubi omnia quæ ad ſubſtantiæ naturam attinent, inveniet: intelligetque eſſe in loco ubi nulla eſt materia, ubi omnia in ſe ſunt: & ille locus eſt, juxta Sanctum Auguſtinum Cap. 28. ſoliloquiorum: *nempe, ubi eſt Lux antiquiſſima, quæ ante omnem lucebat lucem, in montibus Sanctis æternitatis antiquæ: Cui nuda & aperta fuerant omnia, antequam fierent, nempe in profundo paterno in Spacio infinito.*

Sed tametſi formæ ſingularis ſive ſubſtantialis annihilatione, argumentis aliis ad deſtructionem materiæ non egeam, quam quibus hactenus uſus ſum, tamen ut validior res appareat, adverſariorum argumentorum pondera adhuc adferam. Inter hos erit acutiſſimus Zabarella, qui ingenue profitetur, nullam viam eſſe ad materiæ primæ notitiam perveniendam; niſi per illam ſolam, quæ fit per mutationem illam ſubſtantiæ: ſi enim mutatio talis non eſſet, ut volunt Peripatetici, generatio nihil aliud eſſet (ſicut revera nihil eſt aliud) quam debita diverſarum partium, in optimum ordinem compoſitorum harmonia, juxta principium & cauſæ efficientis producentium naturam. Itaque invertemus argumentationem illam Zabarellæ: ecce igitur ex mutatione ſubſtantifica, aut formæ ſubſtantivæ quam gratis ſupponunt, adſtruunt imaginariam illorum materiam: datur, inquiunt, talis forma; ergo & datur talis una materia. Sed hujus conſequentiæ neceſſitatem minimè video aliam, quam ſi dicerent; niſi eſſet ejuſmodi materia, impoſſibilis eſſet talis mutatio & forma ſubſtantialis, quia ſubjectum mutationis non haberet: & inde infertur, materiam illam debere præcedere iſtam formam: primo enim eſt Subjectum quam adjunctum; juxta illos. Ego vero contra, multis rationibus à reſolutione mixtorum ductis, falſam fuiſſe talem materiam, probavi; ergo falſum fuiſſe, dari talem mutationem, aut formam ſubſtantificam. Ecce Ariſtoteles unus,

omnes

omnes veteres, novus, discipulus, Magistrum impetit, ac de possessione depellere conatur: videamus, quibus argumentis: Primo adferam receptissimum principium. *Ex nihilo nihil fieri*; &, *In nihilum nihil posse reverti*: quod Aristoteles vix negaverit. Hoc concesso, corruit primo impetu ejus de forma substantiali assertio: quia ex quo fit forma, dari nequit. Peripatici, vim hujus argumenti effugere nescientes, dicunt illud esse mirabile: sed non propter hoc negandum erit. At forsan dicent, formas quotidie de novo creari. Theologi istam litem ex Sacris literis diriment, dicendo: Deum Optimum Maximum omnia fecisse, ut Genes. Capite 2. versu 1. 2. 3. & 4. *Nempe cœlum & terras, & totum illorum exercitum, & quod septimo die ab opere cessaverit*; Bis repetendo hoc verbum *ab opere facto*, ut nullus dubitaret cessavisse à Creatione. Et versu quarto adhuc repetitur, *quando creata fuerant in die quo fecerat Deus, aut creaverat cœlum & terras.* Unde manifestum est, Deum rerum propagationi ita nunc providisse, ut cum non sit unde fiant, (ratione voluntatis Divinæ, non infinitæ potentiæ) quotidiè creantur; sed potius separantur, discernuntur, producuntur; sed hæc admittere, puderet Aristotelem: mitto alia multa longè absurdiora, quæ secum formarum substantivarum excogitatio trahit. Cum de formis loquor, hic de rationali, quam Fides Christiana substantiam, eamque æternam, credere jubet, non ago; sed formam illam, quæ, in rerum naturalium generatione, efficiens causa, infimum principium uniuscujusque rei, ipsam rem nutrit, auget, ac omnis motus, & cessationis author est, intelligo. Hanc Aristotelis formam substantivam, & singularem, quam in unaquaque re statuit; contra quam, ultra quod destructio materiæ satis ejus inanitatem arguit, fatendum erit, formam illam singularem semper tendere in suum interitum, cum noxiis suis qualitatibus, subjectum suum labefactet & demoliatur, ut est in cera, oleo, pice, sulphure, terebintina, succino, & mille similibus. Volunt hanc propensionẽ ad flammã, à forma rei substantiali, procedere: hæc autem propensio, nihil est aliud, quam appetitus formæ: quamvis talis formæ appetitui universa Natura reclamet; atomi aquæ currunt in guttulam, ut illam ab aëre defendant: sic ignis in unum se se confert, ut se defendat à frigore; similiter omnia animalia se se à morte defendunt.

Præterea tam incerti videntur in corruptionis principio, ut illud etiam adscribant appetitui materiæ, cum tamẽ prius à forma statuerunt: sed quod magis est, appetitus est motus, & motus est actio; quæ materiæ rei passivæ, juxta illos competere non potest.

In aliis rebus hanc corruptionis causam tribuunt qualitatibus quibusdam; quæ tamen juxta illos agere non debent: cum agere sit proprium substantiæ, non accidentis: sed volunt illas qualitates agere, ut instrumenta provenientia à rebus ipsis: sic ignem in membrum inductum quamvis exstinctum, volunt producere istum calorem; at ignis non fuit amplius ignis, sed ignis extinctus; ignem ipsum vivum, in loco reliquerat; alioqui mirabile subjectum erit, cum agat per illum calorem, qui subjectum suum labefacit. Pater ergo mortuus agit per Filium, quia filium genuit: ergo aliquod suppositum assignandum erit, quod per hunc calorem tales functiones repetat: & cum vim illam inferant materiæ, oportet ut formæ totali partis aut humoris, qui membrum depascit, referatur potius, quam qualitatibus; nisi hac insana actione finem sibi accelerare credant. Sed Veteres melius hoc malum partibus materiæ pugnantibus adscribebant.

Et quia norunt Peripatetici, materiæ diversitatem ad formas diversas esse necessariam, ideo occurrunt, & talem materiam quam intelligere Veteres volunt, non primam, sed secundam vocitant: & ideo non à se hanc differentiam, sed à dispositione præcedenti habere dicunt. At contra istam dispositionem se se opponunt calidissimæ herbæ in frigidissimis locis natæ, argentum vivum, vitriolum, sulphur, omnia mineralia, quæ maximum in se habent calorem, cum tamen in frigidissimis locis, quò Sol non penetrat, nascantur. Hic dubitatur, quid in his locis hunc calorem materiæ impertiri possit? nitro in antris nascenti, quid subitam illam ad flammam concitandam dispositionem dedit? Idem de omnibus salibus, quis disposuit materiam ad hanc formam? Frigus, procul dubio, calorem continebat ne dissiparetur: imo cum ipsissimo hoc frigore calor fuit. Quam plurimæ ejusmodi causæ veræ, cognitæ, manifestum reddent judicium, quam nugatoria sit materiæ illa dispositio, licet non absque dispositione fiant res? Ita sunt mille ejusmodi dubia, quæ speculatores tales reddunt ridiculos: adipem dicunt Philosophi esse calidum, quia cito inflammatur: *frigida* est, ait Galenus, *quia difficulter digeritur*. Papaver valde frigidum tenet Galenus, quia narcoticos inducit somnos; qui etiam à Spiritu vini calidissimo inducuntur. Calidum, ait Quercetanus, & rectè, quia inflammatur. Idem dici potest de camphora. Quomodo autem istæ dispositiones fiant, Aristoteles solum per subterfugia solvit. Sed Deus bone! quo tendit igitur fastus quorundam Dogmaticorum Medicorum, Chemiam spernentium; sapientes & probos Medicos Empiricos vocant;

cum

cum tamen ipsis laudi esset tales Empiricos imitari. Quis sit autem insipiens in tali casu, rogatur: ille ne, qui morbos solum experientia curat: an ille, qui indicatione à caliditate sumpta, loco frigidi præsto est cum calidissimo, quale est opium aut camphora? Ego reverâ Empirico minus docto, sed experto, quam ampulloso isti Doctori, in sua causa cœcutienti, fidere millies mallem. Veteres quæstionem hanc facilius dirimunt: illas enim dispositiones à diversitate materiæ fieri, frigida fuisse juncta calidis, atque Elementa in composito suam naturam servasse, dicunt. Hinc facile est nosse, quomodo quæ calidam naturam habere videntur, frigidam possint induere; & è contra: ut pituita incalescat, frigidarum partium exhalatione bilis frigescat, calidarum partium abstractione, & non qualitatum actione. Hinc itaque colligitur materiam ex diversissimæ naturæ particulis, & minutissimis comparatam esse; quæ sive sint quatuor Elementa vulgaria, sive plura illis socia, ut Sal, Sulphur & Mercurius, diversissimæ sunt speciei: & post primam creationem ortus interitusque expertia, & in mixto pristinam formam servantia, neque vi alicujus formæ, quæ sit compositio singularis, agentia, unde exsurgit mixtum; quod nihil aliud est, quam partium diversarum, secundum harmoniam rationum incorporearum, rerum corporearum inde progredientium convenientiam, (absque vinculo talis formæ substantificæ) compositio: rationi enim magis congruum est, ut in eodem composito, substantia substantiæ adversetur, quam ut pars adventitia inpugnet substantiam cui inhæret; & cujus beneficio existit & agit.

Sed Aristotelis doctrina tam variis contradictionum plexibus sese illaqueat, ut expedire se ex illis vinculis vix aliquis inter Peripateticos possit. At in Veterum Doctrina absurditas invenitur nulla, nisi quod (juxta illos) Aristotelis conentur principia destruere; nempe quod sequetur animam vegetantem, non esse substantiam unam individuam, sed debitum partium diversarum consensum & harmoniam.

Si aliquis interea Veterum redivivus jus suum repeteret, vindicaturus adversus Aristotelem victricem illam rationum inviolatarum phalangem, fractoque isto Aristotelico figmento, nempe forma substantiali, animam vegetantem non unam, sed plures esse convinceret; neque aliis quam adversariorum argumentis, in Veritatis subsidium veniret; neque aliis quam propriis se telis seipsum confoderet, argumentisque omnem pertinaciam superantibus obviam iret: de quibus videantur Commentatores. Dicunt Peri-

Peripatetici, istam formam singularem esse actum unum in quovis vivente, & cum singulis materiæ partibus, partes formæ seu animæ, accedere & recedere: ex quibus patet, animam non modo ex pluribus partibus componi, sed unam partem ejus posse separari: negant Veteres animam esse actum unum, sed diversarum partium harmoniam; & proinde negant esse individuum; ut in processu videbitur.

Res naturales sunt ex eadem materia, ergo eadem essentia; orationes ex iisdem literis, ergo ex eadem oratione. Pulchra ratiocinatio: infinitæ differentiæ, & virtutes, quæ in animalibus & vegetabilibus apparent, non à materia veniunt, quia eadem materia, semper eadem produceret accidentia; ergo à formâ. At forma, juxta Peripateticos, est singularis: ergo non debent habere differentes effectus. Consentiunt præterea verum esse, quotquot sunt homines, tot sunt in iis formæ differentes, tot differentiæ saporum & odorum, in eadem Plantæ radice, à foliis & aliis partibus: ergo ex suis rationibus, Leucippi, Anaxagoræ, Democriti, Atomos stabiliebant, qui res ex partium certarum diversa compositione nasci dicebant.

Sunt ergo rerum singularium plurima diversissimaque principia; quæ continuo variantia in eodem homine continuam ejus mutationem efficiunt: proinde non datur alia causa principalis, nec singularis, quæ non continuo per partes non fluat; ita ut nihil pene sit in animali vetere eorum, quæ in juvene fuerant: Et si non ab eadem materia, cur tanta diversitas à forma oriri potest? & nisi à diversa forma? unde diversa accidentia? ex materia enim accidere non potest: ergo nec de forma; cum forma oriatur à materia: si quæ est forma singularis, ea tota à Deo creatur: eamque à pluribus innumerisque particulis factam, quotidie per partes fluere necessum est; in cujus vices succedentibus aliis, ipsa continuo renovatur; ita ut in senecta animal parum vel nihil habeat formæ, quæ recens natum habuit; dicit Plato in Timæo de istis formis quæ circumeundo, vires & fomenta generationi suppeditet: sicut & à nobis demonstratum fuit propos. 18. de vita. Quæ cum nunquam eadem videantur permanere, quis debet illorum aliquid unum potius quam alterum nominare? Itaque nec hoc, nec illud, sed tale quid propter similitudinem vocare, æquum est; ut non ignem, sed igneum, res similes appellare liceat. Zabarella libro primo Cap. 13. de accretione & nutritione, duas contrarias hac de re sententias affert; unam Scoti, senten. 4 distinct. 44. aliorumque quam plurium, dicenti-

dicentium, non manere idem vivens numero per totam vitam, nisi secundam quandam æquivalentiam. Quia nec eadem forma, nec eadem materia manet numero. De materia certum est: nam cum nutritio nova accedit, exemplo navis, quæ sæpius resarcita est eadem æquivalentia. Et de materia idem dici potest; quia è formæ potestate educitur.

Fluxus partium animæ confirmatur sequentibus exemplis, nempe membro abscisso, & reminiscentiæ ablatione: membrum, pes videlicet, abscissus, quo vadit anima, cum in parte abscissa æque ac in toto ad aliquod tempus vigeat, est ab illa à toto diversa; ita videtur, & per consequens fluit, & una pars aliam pellit: Si dixerit aliquis eam reverti ad totum? instabo, mediante quo? cum ergo rupta est continuitas, & medium ut fiat reversio, est impossibilis: necessario itaque oportet, ut aut fluant animæ partes, aut tot sint animæ, quot materiæ partes: sic anguis in partes varias sectus, tot animas habere creditur, vel animæ fluentis tot partes consentientes actu, quot sunt dissecti serpentis partes actu; & si objiciatur, diu non vivere partes illas? respondetur, hoc fieri, non quod anima careat viribus & scientia, ad actum; sed quod matrice debita & materia præparata indigeat: & propterea quod influxu spirituum animalium à cerebro, vitalium à corde, & naturalium ab hepate, careat: quæ sunt quasi folles, ventum, & spiritum emittentes, qui ab eorum origine ad totius harmoniam, causam motus deferre debent. Ad reminiscentiam autem quod attinet; multa reminiscentiam servant ad multos annos, per quam anima non videtur fluere, sed ad longum tempus servari; nec potest semper servare: nam si eandem reminiscentiam in senectute haberet rerum in juventute peractarum, tunc concluderet hoc argumentum contra fluxum animæ. Contrarium autem videmus; imo ægrè reminiscimur rerum trium aut quatuor dierum intervallo peractarum, præcipuè in senectute. Ea autem quæ prorsus perdunt memoriam, testantur non eandem esse animam, & proindè eam fluere. Et si in his dubium aliquod fuerit relictum, illud non de vegetante, sed de sentiente anima dici potest: sentiens enim anima cum sit harmonia partium, dubitatur, quomodo sentiat harmonia, cum sit accidens; accidens autem non habeat vires, quæ immediatè ab essentia proveniunt? Respondere potest, neque animam, neque harmoniam sentire, sed sentiendi rationem esse in subjecto; sed vocari sentientem tantum metonymicè: sicut mors dicitur pallida, quia pallidos reddit homines. Neque

hoc mirum debet esse Peripateticis, qui dicunt animam non agere, nec pati, sed composita per animam, quia actiones sunt suppositorum: totum igitur compositum sentit, sed per animam, per illam, inquam, harmoniam; non quod hic consensus talem pariat sensionem, sed quia ratio est necessaria, quam talis sensio cõsequitur. Dico à causa universali, Deo nempe fieri; neq; parum potentem, nec laboriosum, nec impeditum, nec otiosum, putare debemus artificem, quippe peritissimum illum Geometram, dum horologium à se fictum, plurimisque rotis compactum, ita non manibus; sed verbo *Dixit* constringat, ut quamdiu voluerit, toti massæ à se prius factæ motum scientificum tali mediante consensu, convenientem, credamus, imprimat sensionem. Nec opus est hic singularis formæ ministerio; dico ministerio, quia fingamus talem animam quam illi volunt dari; nihil tamen subjecto impertiet, quod à causa illa universali præsenti nutrietur. Quod si mireris, quomodo movente Deo moles hæc carnea sensum recipiat? mirabilis erit, quomodo anima vivente eadem caro sensu prædita sit? Ex antiquorum maximè Platonis doctrina deductum certissimis clarissimisque rationibus; Majestatem Divinam per omnia diffusam, singulis rebus adstantem, motum ad proprium finem dare, ut virtutem cuique suam dare, & conservare. Quid ergo quæritur aliquid singulare, cum una universalis causa sufficiat, & illa universalis causa, quæ orbis compagem jungit, est sapientissima? quippe ille Citharœdus, qui quas adaptavit fides, suavissimo modulatu pulsat; & quem in toto eundem in partibus servare dicitur. Quanto perfectius est, atque infinitæ illæ sapientiæ convenientius, ut & res omnes, earumque partes, & virtutes, ab uno ortæ principio, eoque interno, omnia permeante, & illorum fines cognoscente deducantur? Si enim finem non cognosceret, non directè tenderet in illum, sed aberraret: Natura enim dirigi debet ab intellectu non errante; & intellectus ille non errans est, manus Dei præsens, & operans in singulis rebus. Qui igitur contra formam universalem volunt præmissa argumenta, quasi potentem rationum molem opponere, non minus ridiculi videbuntur, quam si aranearum telis tormenti bellici impetum velint retundere. Interea colligemus res diversæ speciei, in unam coalescentes, naturam propriam servare; ut & corporis anima destituti partes diversissimæ, nulla adveniente forma nova, pristinum nexum retineant; & crines cuti, ungula digito, viscus arbori, membrana puero, & Matri, sine ullo substantiali vinculo, cui utraque nihilominus parte naturam priorem proprietatemque retinentes; in quibus videre est res diversæ naturæ inter

inter se firmissimè conjunctas, alias ab aliis nutritionem & accretionem mutuare: ergo alio vinculo quam forma singulari utuntur; quod quidem est Deus præsens, illa natura naturans, operans continuo, qui principiis materialibus imprimens impetum, ad id ad quod apta sunt, dum similem materiam simili conjungat, virtute proportionis Elementorum Radicalium, ex quibus semina comparata sunt. Præterea, cum dicunt formam educi ex potentia materiæ, nonne materiam esse potentem asserunt? & esse potentem, quid aliud est, nisi dicere omnes vires formæ in se præparatas, ad actum habere? Et hoc etiam asserere, est ne materiam esse natura sua & origine priorem, nobiliorem & activiorem forma dicere, cum tamen Peripateticus omnem actum materiæ denegaverit? Sunt enim vires & potentiæ idem fere: potentia nempe præsupponit vires, præparatas ad actum, & vires motum essentiæ: ubi enim actio, ibi potentia; & ubi potentia, ibi vires, & ubi vires, ibi Essentia: vires ergo essentiam, & essentiæ voluntatem determinatam exspectant, ad vires istas exercendas.

Est igitur voluntas determinatio virium, per quas Deus in initio jussit, & benedictione multiplicandi efficaciam seminibus dedit; ut semel creata, immediata creatione actionis non amplius egerent; sed per vires verbi semel pronuntiati, præsentiam Numinis; & per continuationem effervescentiæ, & motus essentiæ, mediantibus instrumentis continuo renovarentur, ut voluntas & vires fuerant in prima creatione: benedictione enim facta, continuata fuit voluntas factiva, in multiplicatione luminosa rerum creatarum. Itaque in hoc differunt voluntas & vires; vires quidem adesse possunt, sicut ante creationem & in creatione, quamvis sit ulterius determinata voluntas; sed determinata voluntate, oportet ut sicut fuerant *semel, sint, & deinceps continuentur*: *Dura enim necessitas omnia tenet*: ut ait Orpheus. Si igitur habeat materia potentiam determinatam, & continuatam, vires ipsi deficere non possunt: & si vires, oportet etiam ut actionem habeant. Vires enim sunt Entis quædam extensio; sive ut distinctius loquar; Entis quædam inversi, per motum ad extra manifestatio; hoc est, exterioris facultatis entis ad extra productio, & intra: Eget enim Ens motu stabili, ut se conservet in suo esse: motum stabilem appello directiones stabiles & certas instabilium actionum extra se producendarum: Similiter & motu instabili, ut se prodat rebus extra: sic ergo intelligitur extensio Entis. Simili modo extensio Entis fit à viribus inter-

nis effervescentibus; sicut actiones fiunt à motibus instabilibus, ad extra producentibus & fluentibus, exemplo motus stabilis ad intra; sed vires sumunt originem ab interiori Entis facultate, quæ est agere; & producit vires similes sibi ad extra; & actio sumit originem à posteriore Entis facultate, quæ est pati. Enimverò omne illud Ens dicitur, quod potest agere & pati, & producit actionem ad extra, potentiæ passionique subjectum, tamen internæ & intimiori entis actioni dissimilem; juxta propositionem quartam de Essentia.

Sic tota Naturæ actio externa est, internæ actioni inversa, & quasi opposita; ita sicut interna & magis formalia Elementa nostra sunt in cœlesti regione corporeæ quasi naturæ: sic externa, corporea materialia & terrestria nostra Elementa, sunt modo interno incorporea & cœlesti apud superos conditione: semina in siliquis crassis & corporeis delitescentia habent radices in Cœlo, à quibus nutrimentum consecrationis hauriunt. Frondium vero & comarum vertices, ad terram vertentes; semina vero germinata curvatim ascendunt; ut in fabis & nucleatis cernimus; sed post nutritionis terrenæ adeptionem, radices in terram figunt, & frondes ad cœlum erigunt. Puer in utero flexus, & ad partum præparatus, talos versus caput Matris, & capillitium quasi filamenta radicum cœlestium, ad genua flectit, egressus vero, caput erigitur. Homo itidem quid nisi mulier inversa? etenim vagina uteri mulieris, membrum virile directè repræsentat; vaginæ hiatus, membri virilis extremitatem; sicut & mulieris matrix, scrotum. Simili modo mulier in suprema parte matricis, gerit testes, sicut homo in scroto, in infima parte; & unumquodque membrum alterum ex opposito repræsentat. In aliis de naturæ mutatione & inversione, consulenda erit tabula seu sphæra Entium Radicalium, in fine tertiæ partis Elementorum Philosophiæ Pyrotechnicæ; & per duas Pyramides in medio coëuntes repræsentatur; causatum manens in sua causa, una à firmamento aut Sole quasi ab Empyreo & Æthereo mundo, usque ad centrum mundi Hylei progrediens; altera vero à Centro Hylei mundi ad firmamentum & Solem, per Æthereum mundum ad Empyreum, ut suam causam sese convertens: utramque habens basin ad unam in diametro Solis & Firmamenti, & aliam in diametro terræ basis Solaris, Pyramidis aut firmamenti. Entium radicalium & formalium influxus, terræ globo, & omnibus interpositis suppeditare concipitur, & nutrimentum quod præbet in basi, formalis est, & in apice ubi centrum est, materialis est: è con-

è contra alia Pyramis habet basin in diametro terræ, & ibi materialis est; & apicem formalem in firmamento, & ibi formalis est. Et hæ duæ Pyramides, illa Solis & Firmamenti in basi, mansionem causati internam, in causa stabili, ut ente repræsentat: altera verò basis, conversionem causati & reditum denuo ad causam, significat, permanentibus in se invicem Pyramidum partibus singulis, & contiguitate atomorum ætheris regionem replentibus. Et licet emanationis, progressionis & conversionis hujus pyramidalis formæ, sub una duntaxat, aut duabus figuris pyramidalibus concurrentibus, illustraverim; tamen tot debet ingeniosus Lector, similes mente concipere Pyramides, quot possunt in Empyreo, Æthereo, & Hyliali Mundo concipi bases, & apices pyramidales, apicibus & basibus terræ ex adverso coëuntibus; & toto pyramidali corpore ætherem implentibus, actiones, vires, essentiam & potentiam seminalium virtutum manentium in sua Empyrea, Ætherea, & Hyliali causa; progressionem similiter causatarum usque ad Centrum terræ, tam motum conversionis, motui progressionis oppositum, non per modum Pyramidis, aut duarum Pyramidum, se complectentium, sed per infinitas tales Pyramides totam Hyleam, Æthe ream & Empyream regionem, in longitudinem, latitudinem & profunditatem, incorporis incorporeis corporibus, corporibus incorporeis, & corporibus absque penetrationis corporum metu complentes. Ita ex tam divite penu in æternum non possunt rationes seminariæ, sive formæ substantificæ, progredientes ad generationem rerum naturalium procurandam, ibi deficere; quia quantum dispenditur virtutum seminariarum, progrediendo à causa, tantum convertendo in corruptione ad suam causam reditu resarcitur à causato; sicut demonstratum fuit propositione 18 de Vita. Et quamvis in exemplis non sit inquirenda veritas, ab iisdem tamen illustrari potest. Itaque tam internam quam externam Naturæ faciem, aut formam, in hoc exemplo illustrare volui: internam, per perpetuum & continuum fluorem essentiæ, virium determinatarum potentiæ; & actiones, quas ut causas instrumentales à mundo Empyreo ad Æthereum, & ab Æthereo ad Hylei centrum defluentes; imò ut manus & instrumenta Sapientissimi Opificis, Creatoris Dei, qui in suis instrumentis, talem efficaciæ continuationem rerum rebus naturalibus impertit, eodem pacto hic intelligere voluit, & externam Naturæ faciem per conversionem causatarum ad causam repræsentare, quando dixerat, *Germinet terra herbam virentem.* Nam Deus quidem omnia ab æterno determinavit, & pro sua Sapientia, Probitate, Potentia, & Vo-

& Voluntate, in tempore, Mundum hoc modo constituit: & post creationem suâ quoque Providentiâ omnia gubernat, & formis & seminibus accedentibus & redeuntibus, hanc formam indidit: quæ ex Divina Benedictione hic omnia peraguntur. Et quamvis Anima, Spiritus seu forma, sit una, ac uniformis & simplex; tamen accedens & recedens, est principium multiplicis potestatis; quod & materiam etiam multiplicem facit: nec solum diversa, sed etiam contraria potest: imò forma terræ hoc præstare potest, ut ea ad perpendiculum deorsum moveatur; aut forma magnetis, ut is versus polos dirigatur. Admiretur ergo unusquisque Creatoris Sapientiam, Potentiam, Bonitatem; qui cum exutus corpore, formas ad specierum conservationem, ad finem usque Mundi transferri, & multiplicari, in prima Creatione, absque continuâ formæ substantificæ & singularis Creatione voluit; tam bene enim prospexit operi suo universi Opifex, ut semel creata nova indies creatione amplius non egeant; neque in æternum egebunt. Dixit enim, & Spiritum suum emisit, quasi systolen, & mundum replevit: Spiritum suum etiam ad se convertit, quasi diastolen, ut de novo demittant: adeoque ausim cum bona venia dicere, de hoc Spiritu Prophetam locutum fuisse, Psalm. 104. quando dixit: *Emitte Spiritum tuum, & renovabis faciem terræ:* ubi universi compositionem satis manifestè nobis insinuat; & virtutem istam seminariam, quando dixit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen & lignum pomiferum faciens fructum, juxta genus suum; cujus semen sit in se super terram; & factum est ita, & protulit terra herbam virentem, & facientem semina, juxta genus suum, lignumque faciens fructum, & habens unumquodque semen, secundum speciem suam.* Et versu 22. Piscibus ac avibus dixit: *Crescite ac multiplicamini, & replete aquas maris, avesque multiplicentur super terram. Et fecit Deus bestias terræ juxta species suas, jumenta & omne reptile terræ in genere suo.* Et versu 25. hominibus dixit: *Crescite & multiplicamini, & replete terram.* Versu 28. & 29. Hominibus dixit: *Ecce, dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna quæ habeant in seipsis semen generis sui.* Ad modum vero Generationis quod attinet; Generatio plantarum & animalium, satis docet generationem eorum non fieri contrariorum actione, vel substantiæ aut formæ inductione, sed animarum communicatione, seu per semen; quod corporis sui fabricam non primaria contrariorum actione, sed amicorum & cognatorum attractione, & inimicorum expulsione absolvit. Quæ omnia fusius à me sunt tracta-

ta,

ta, articulo de Natura seu Spiritu; ideo ut esset hoc in loco inutile eadem repetere. Itaque ut plantæ forma inducatur, non potuit hoc accidere ex solo Elementorum concursu, & pugna; nam ut Julius Cæsar Scaliger Exercitatione trecentesimâ septimâ, Sectione vigesimâ, rectè docet: *Nisi quatuor illa Elementa Rectorem habeant, temere & sine modo metaque ulla & jactabunt & jactabuntur.*

Altius paulo mentem extollit Socrates, dum paulo ante mortem apud Platonem in Phædone, postquam aliquando ex libro quodam Anaxagoræ audivisset, *Mentem* esse quæ omnia ordine disponat, regatque; addit, porrò, eos errare graviſſimè, qui in causis secundis immorantur, primas vero negligunt: & quidem Mentem seu Deum vocat revera causam, utpote sine quo, causæ reliquæ, secundæ dictæ, non sunt causæ. Itaque qualitates istæ contrariæ Elementorum non sunt causæ, nam principii nomen obtinent: in quo nulla debet esse contrarietas; quamvis Aristoteles libro primo Physicorum capite sexto, hoc, tanquam ab omnibus concessum, præsupponat; *Principiorum naturalium debere esse contraria.* Hoc autem ut statueret, eo persuasus est, quod crediderit generationem omnem rerum naturalium, contrariorum actione absolvi; & cum contrarium unum vincit aliud, hoc interire, istud vero generari: seu quod voluit, libro primo, capite primo Physicorum, à notioribus nobis ad naturas rerum investigandas, progredi. Verum monuerunt jamdudum nonnulli Aristotelis interpretes, Propositionem hanc non esse universalem, nec de omnibus rebus Physicis locum habere. Cùm enim mundus duplices partes habeat, quasdam per incorruptibiles vocantur, alias quorum individua oriuntur, & intereunt, continua tamen earum successione species conservantur. Hinc facilè apparet, quomodo ista principia seu Mundi partes intelligantur de stellis & Cœlo, quæ nullam contrarietatis actionem habent. Quod si Materiam aliquis dixerit Cœlo competere, respondetur Cœlo competere, ut ei magnitudinem tribuat, sed non contrarietate definitam. Et hoc nec Aristoteles negavit, cum ait materiæ finem esse, ut sit formarum tum substantialium, tum accidentalium receptaculum. Et propterea libro secundo Physicorum capite octavo, textu decimo octavo, formam finem materiæ nominat, quem finem, quam Socrates infinitam potentiam terminare intelligit, & eadem materia terminata, corpulentiam & magnitudinem indeterminatam rebus tribuit: & potentia habet formas, & figuram deter-

determinatam recipiendi, & per se ortus & interitus vices nullo modo efficit, sed ab agente aliquo effectus illos recipit: seu, ut Scalig. Exercit. 6. ait: *Non data fuit à Natura materia ob transmutationem & generationem primo & per se, ut ubicunque sit, ibi etiam sit generatio, sed ad subsistendum formæ corporeitatis in substantia, & recipiendum quantitatem & figuram: quantitatem, propter loci mutationem; figuram, propterea quod omne corpus finitum esse & decuit, & debuit: & mox hisce de causis primario Dei consilio, materia creata est: secundaria vero ac minus nobili utilitate propter generationem.* Ac proinde quamvis materia omnibus rebus naturalibus competat, istud tamen principium rerum naturalium esse contrarium; omnibus non convenit; cum in cœlo & stellis, ex ipsius Aristotelis sententia, nulla fiat generatio; & nulla ibi sit contrarietas, quæ generationis & corruptionis author esse possit. Ideoque principia contrarietate definita & determinata, non sunt generalissima, sed saltem corporibus, generationi & corruptioni obnoxiis, competunt. Deinde nec corruptibilibus, nec mutabilibus omnibus competunt, sed iis solum quæ per contrariorum actionem fiunt; non verò iis quæ ex semine. Et de hac ipsa contrarietate principiorum; & de iis quomodo contraria sint, non parum ipsi Peripatetici dissentiunt: de quo ipsorum Commentarii videantur. Imo nec ipse Aristoteles, dum de Generatione viventium agit, in qualitatibus primis acquiescere potest: sed immemor sui, agens superius etiam in generatione partium similarium, animam nempe addere cogitur: dum secundo de Generatione animalium capite primo ait: *Quemadmodum non securim, non aliud instrumentum dixerimus factum esse ab igne solo; sic non pedem, non manum, eodemque modo ne carnem quidem: Nam ejus quoque aliquod officium est: Dum igitur, mollia, lenta, rigida, & quicunque alii effectus partibus insunt animatis, à caliditate, frigiditateve effici possunt: at propria ratio, qua jam caro aut os est, non potest. Sed à motu proficiscente efficitur, ab eo quod genuit, quodque actu est id, quod potentia est id, ex quo gignitur: quomodo in iis quoque agitur, quæ arte efficiuntur; ferrum enim durum & molle efficitur, calore vel frigore: at verò ensis à motu instrumentorum, qui artis obtinet rationem; ars enim principium, formaque ejus quod efficitur, est. Sed autem in alio motus naturæ in ipso est ab altera profectus natura, quæ actu obtinet formam.* Et ut modo etiam dictum, Libro secundo de Generatione & Corruptione cap. 9 textu 53 & 54 calidum, frigidum, similesque qualitates pro instrumentis habet: scribitque, qui his generationem tribuit, perinde facere, ac si quis seræ apertionem, portarum causam;

non

non artifici, qui seram fabricavit, attribuat: cum instrumentorum cuiqu rei eorum quæ generantur, causam concedit. Imo perfectissimi quiqu viri in hoc ut plurimum errant, cum veritatem & ab exemplis artium Mechanicarum deducunt; quasi idem esset Natura & Ars: Ars quidem Naturæ simia est, sed non ipsa Natura; imo est potius Natura inversa: nam sicut facultates maximè naturales manifestantur nobis inversa ratione, hoc est primo progrediuntur aut manifestantur in Natura partes interiores, antequam exteriores; juxta 7. propos. artic. de Vitâ; hoc est præcedunt ea quæ à seipsis subsistunt, ut sunt incorpora, antequam externa, quæ sunt corporea aut corpora: ita in arte è contra totum artificium artis, quod ab artifice producitur, in prima facie repræsentatur; & non quam bene instructa fuerat artificis mens, incorporea ostendit, antequam de subjecto corporeo in sensibus externis egerat. Similiter Natura ars est interna, & ars est externa Natura: additur etiam quod artis instrumenta sint extra & diversa à materia, natura vero intus est eadem cum natura. Etsi vero in formis multa admiratione digna occurrant, tres tamen imprimis formæ proprietates habent, quæ diligenter notandæ sunt. Prima est, quod forma per se, nec quanta, nec divisibilis est, imo non est quanta, sed habet rationes quantitativas, mensuratione non quanta, & divisibilium mensuras, indivisibili ratione, & eadem forma sua essentia, à qua integra esse & consistere potest, in exigua mole quam in magna, atque in minima atomo ignis vel aquæ: & forma ignis vel aquæ æque perfecta est atque in magna eorundem mole, & in exigua papaveris & nicotianæ planta: sicut nulla tergiversanti alicui sit occasio, in exiguo germine, è glande querna pullulante, æque integra forma quercus est, aç in procera & ardua postea quercu: nec anima quæ est in exiguo semine, vel germine, minor est, quam quæ postea est in procera arbore; aut quæ in procera arbore est, major per se est, quam quæ est in exiguo semine vel germine: Secundò, quod extendatur forma ad extensionem materiæ, seu potius forma totam suam materiam replet; cum enim, ut exemplo plantarum id demonstrem, totum corpus plantæ vivat, nutriatur, augeatur, anima; quæ primo in exiguo germine erat, sese natura sua major in nutrimentum appositum, actu non diffundit: & ubicunque corpus est quod vivit, ibi animam esse, rectè dicitur: & anima, si sic loqui liceat, plenitudo & replentia tanta est, quantum est corpus ipsum vivens, ejusque dimensio. Cum enim nulla actio fiat sine agente primario, ubicunque est nutritio, ibi animam
 esse,

esse, necesse est. Et quia augmentatio fit, cum præexistens anima, Elemento affluenti, (cujus amplior moles est quam corpus quod nutritur) sese communicat, & in id se diffundit, necesse est eam in toto corpore præsentem esse: eodem modo se res habet in animalibus; cum enim illa nutriantur, augeantur & sentiant, animam (quæ unica est) cum omnibus suis facultatibus, in omnibus partibus esse necesse est. Tertiò, omnis forma cum cognitione sui multiplicativa est; tamen ratio non eadem est in plantis quibusdam, in quibus materia seminalis per totum corpus dispersa est: anima, etsi per se non sit quanta, dividitur suo modo ad divisionem materiæ, & una numero actu existens multiplex est; & ex potentia actu fit simplex, ad subjecti corporis divisionem; quomodo ex una vite, plures vites, ex una salice plures salices, fieri possunt. In aliis vero illa multiplicatio per semen fit; & in omnibus hisce animadvertendum, quamlibet sui conservationem postulare, & quod eam consequitur, cum fuga diversorum, tum motu ad similia & similium attractione: hinc ignis igni unitur, aquam vero ut contrarium fugit; & contra. Hinc aqua in aërem, vel pulverem effusa, vel sparsa, sese in guttulas globosas cogit, ut se à terra & aëre tueatur. Unde parva flamma à majore velocissimè attrahitur, ut minor ad majorem movetur. Idem fit in aëre. Hinc bullæ illæ, quæ in aqua fiunt, una ad aliam appellit; & eò velocius quò propior fuerit. Quare videmus si in oleum vel pinguedinem calentem, item plumbum vel antimonium fusum, aqua inspergatur, ignem fugere ab aqua, ut hoste, flammam excitare, & in altum evolare, ita ut interdum aquæ in oleum, & pinguedines fusæ, incendiis ædium occasionem dederint. Diversum quidem hic sentit Hieronymus Fracastorius, qui libro de Sympathia, & Antipathia capite quinto, negat ob similitudinem rem unam ad alteram moveri, ad consimilem posse: at non cognoscere, manifestum putat. Verum sine ratione. Nam ut appetitus quidam naturalis, quem vulgo instinctum naturalem vocant, datur; ita etiam cognitio aliqua naturalis à sensu & intellectu distincta: nihil enim potest aliquid appetere ut gratum, vel fugere ut ingratum, nisi cognitione aliqua naturali illud, gratum & sibi conveniens, hoc ingratum & sibi non conveniens esse, cognoscat: nihil enim appetitur nisi quod prius cognoscitur. Hac cognitione plantæ alimentum sibi conveniens agnoscunt, appetunt, & ad se trahunt: quod verò sibi conveniens non est, relinquunt: illud in corticem, aliud in fructum convertunt: de quo Hippocrates: *Quæ crescunt & seruntur, quando in terram*

*ram veniunt, attrahit unumquodque quod secundum naturam sibi familiare in terra inest. Est autem acidum & amarum, & dulce, & salsum, & omnigenum.* Ita in rebus Naturalibus, Natura vitiosum humorem agnoscit & expellit, bonum, & utile retinet. Cognitione hac naturali, Natura sæpè miras & occultas vias in expellendis humoribus quærit. Atque intra principia de Natura rerum illud ex Hippocrate Galenus libro primo de Facultate naturali capite duodecimo ponit Naturam, omnia artificiosè ac justè peragere facultatibus scilicet præditam, quibus singulæ particulæ convenientem sibi succum ad se trahant; attractum vero coalescere, accrescere, quæ omnibus sui partibus faciant, demumque adsimilent. Longè autem aliter Antiqui de Anima reliquisque formis sentiunt, quam Peripatetici, (intelligatur nos de rationali non agere). Aristoteles enim asserit Animam esse causam principalem; Antiqui vero dixerunt esse instrumentalem. Differunt autem sicut faber & instrumentum. Idcirco Aristoteles, animam formamque cujusvis causam principalem asserens, omnium ejus actionum eam putavit substantiam esse quandam. Prisci verò, qui veluti quoddam instrumentum, formam cognoverant, eam in certa rei partium compositione ac proportione consistere crediderunt. Hinc facilè Veteribus, quomodo forma fiat, à quo & ex quo fiat, ostendere, ex certis partibus scilicet, certa ratione coëuntibus, paulatim componi, donec qui eam construxit, artifex jam aptam moveat: quemadmodum rota partium coagmentatione componitur, quarum quamdiu aliqua deest, aut redundat, inepta est; absoluta autem constructione, sublatisque impedimentis, aqua vel ventus, eam movet. Eundem in modum, quàmdiu in structura rei partes aliquæ necessariæ desiderantur, vel redundant, aliquid non habet suam formam, neque motus sibi debitus potest à principali causa suscipere: ordine autem optimo fit hæc partium concinnitudo, ita ut quæ desint, successivè ponantur. Hinc est, quod ubi senio vel alia causa partes necessariæ æquo perierint, neque unquam restituti nisi de integro, hæc compositio repetatur. Deest enim instrumenti ratio necessaria, ut reliqua possint resarciri. Aristoteles autem, etsi agnoscat aliquam in re instrumentorum rationem, veluti debitam partium confirmationem; longè aliam tamen quam Antiqui putaverunt: neque rationem formæ, vel animæ in ea partium collocatione constituit; verùm formam talem comminiscitur, quæ & rem ipsam construat, & constructa utatur: quo nihil aut ineptius, aut repugnantius, excogitari posse, demonstravi. Quænam vero illa fuit

principalis rei cujuslibet architecta, motrixque, Capite de Natura seu forma universali, prolixè tractatum fuit. Cujus cognitio tanti momenti est, ut ex ejus unius rei difficultate ortas crediderim, quotquot Philosophorum pugnæ naturalem scientiam turbaverunt. Quis enim facile intelligat, quis sit artifex ille, qui hominem in utero Matris ita fabricavit, ut vix intellectus Angelicus, ne dum humanus, mirabilem ejus structuram indagare valeat? Neque sane facile est artificii faciem illam, totiusque corporis membrorum compagem, bene imitari, ut geminos illos soles, ex orbibus ejus prominentes effingas, ut auricularum patentium ac recurvatarum plicas, nasum processu sensim surgentem, nares hinc inde patulas interstitio cartilagineo divisas, ut labiorum decentem coitum repræsentes. Ad hæc observes, Cervicis eminentiam, pectoris amplitudinem, alarum expansionem, propensionem abdominis, clunium crassitudinem, reductionem coxarum, rectitudinem crurium, & tuberationem malleorum; plantarum latitudinem; & alia innumera; quæ dicendo, quis prosequi sufficiat? quid? ut spatium servetur inter ipsas requisitum, ut debitum sit interstitium, inter oculos, inter aures, inter scapulas, inter mammas, ut nasus medius, ab oculis auribusque debitam servet utrimque distantiam, ut os, nares, mentumque æquali intercapedine dividat. Idem esto de reliquis partibus sensus. Quid, ut proportio servetur in longitudine, latitudine, crassitudine, ne pars aliarum respectu, vel excedat magnitudine, vel excedat parvitate; in quibus quam sæpè peccatur, cum à pictoribus, tum statuariis, & quidem peritissimis; cum tamen sit simplex omnium membrorum moles, vel cerea, vel lignea, vel lapidea, vel ex aliquo metallo conflata. Quid si ex ossibus, nervis, vinculis, cartilaginibus, carne, cute, distinctè composita, quid si ex peculiari materia singula fingerentur, ut oculi ex fluida & lucida, frons ex lucida & opaca, os ex duriore, nervus ex viscidiore, vinculum ex tenaciore formaretur? quæ cum merito nos in admirationem rapiant, quam parva sint ad ea, quæ intus Divinum hoc opificium complectitur; quod velle imitari, non dicam temerarii, sed insani esset artificii. Proinde insanirent Poëtæ, ni sensus alius Fabulæ subesset, cum à Prometheo virilem statuam, ex luto ita constructam fabulantur, ut anima sola desideraretur. Est enim hæc admirabilis structuræ Naturæ Sapientissimæ opus, vix Dæmoni aut Angelo imitabile. Quanti, quæso, fuit Medicis, tot nervorum combinationes, has ex cerebro, illas ex spina medullæ ortas? hinc inde in varias fibras, ac tandem in filamenta tenuia

tenuia divisas, per universam corporis molem optimo ordine distributas, quarum aliæ motui, aliæ sensui, aliæ utrique destinatæ sint. Quanti nosse, jecoris cum corde, cum cerebro, totoque corpore, per venas communionem; cordis quoque cum omnibus consensum per arterias, quas singulas venis associat: quot corporum sectiones non ab uno, sed ab innumeris Medicis tentatæ, hanc qualemcunque hujusce structuræ notitiam attulerunt: & Medicus ullus Atheus est, qui non bestia, cum hæc videns, eorum factorem ignoret? Quem vero nominem eum, qui hæc omnia ab opifice cœco ignaroque tam apposite constructa putet? Cæcane-virtus illa, quæ pulmones facit spongiosos, ut quem aërem per asperam arteriam attraxissent, cordi differentes, æstum ipsius ventilatione temperarent? Cæcane, quæ septum transversum duxit, quod tanquam folles, aut flabellum respirationem efficeret? Cæcane, quæ ventriculum fecit? qui cibum per œsophagum recipit, conficeret? Cæcane, quæ duos ordines dentium in ore distinxit? qui cibum atterentes stomacho præpararent? quæ tot costas utrimque tanquam ramos, tam scitè exporrexit; alias veras in sternum coëuntes, alias nothas paulatim ab invicem sese diducentes, illas duriores & conjunctas, ut pulmones constiparent; has molliores, & sejunctas, ne ventriculo intestinisque officerent: quæ spinam tot vertebris distinxit, tot vinculis connexuit, tot tunicis vestivit, ut & corpori ferendo subsisteret, & incurvando inserviret. Annè tot cavitates? has quidem quod usui essent futuræ, vacuas relictas; illas vero, carne suffecta repletas, vel ut tanquam stragula objecta partes molliores à duriorum contactu vendicarent, vel duorum collisionem molestam reprimerent, vel ut hiatum atque inæqualitatis deformitatem corrigerent, vel ut nervorum, membranarum, venarum, arteriarumque syncrasin, ad sensum motumque componerent? Hæc, inquam, si conjungas, captum hominis longè superant; multò plura intacta prætermittes; & in iis, quæ tetigeris, plurima præteribis; quæ si quantumvis Anatomiæ peritus, te scire profiteberis, impudens jure habearis. Hæc, inquam, appeti sine cognitione, aut perfici sine cognitione potuerunt? Non videt hæc Deus qui facit? absens ea facit? per ministrum inscium ea facit? inscius ea facit? non videt cum oculus formatur? cum ex tot tunicis, humoribus, quæ compingitur, cum in globos æquales tot naturæ palpebris & involucris aperitur? pilis tam decenter ornatur, & cavato veluti muro munitur? Non videt Deus, nescit Deus cum ista fiunt, & tamen tam ordinatè, tam affabrè fiunt?

fiunt? ea ministro cæco, ignaroque fiunt? nesciebat artifex ille, qui præcipua sensuum organa in capite, tanquam in arce collocavit, qui cerebrum, sapientiæ fontem, in sublimi posuit, unde per tubos decentes sentiendi vim in ea derivaret? Nesciebat, qui cerebrum tot partibus distingueret, tot plexibus contexerit, tot membranis involveret, tot ossibus stiparet, tot vinculis ligaret, tot ventriculis spirituum mansioni patulum, tot meatibus pervium relinqueret? mirum profectò! si mirificum illum contextum, quem propterea *rete* vocant *mirabile*, neque videns, neque sciens fecit: cujus structuram cum videret, nemo adhuc assequi potuerit. Quod si hisce coruscantibus Divinitatis radiis perstricta oculorum acies, ad obscuriora, eaque quæ homini cum bruto communia sunt, se referat; in illis vilissimis, quæ fecibus excipiendis egerendisque abdomine concluduntur, ne quidem Divinitatis præsentis splendorem effugies, in mirabili singulorum structura, sine ope & rationis lucentis face; evolve tantum varios intestinorum plexus; vide membranas, ex quibus componuntur, rimare villos, alios rectos, alios transversos, illos extensioni, hos contractioni famulantes; & si cellulas multiplices fecibus retinendis ordinatas, minus lubet intueri, vide rivulos illos in jecur tendentes, chylumque exsuctum ducentes, quibus ubique hæc intestina perforantur: vide eorum compages, vincula, involucra, retinacula, firmamenta. Quæ fortuito coivisse, vel ab authore cæco, seu ignorante facta, qui putaverit, cæcus hic fuerit, non Medicus. Cum autem horum formatrix Natura Sapientissima, non sit in unoquoque corpore singularis, maneat extra calculum, Scriptura revelante, concordantibus Ecclesiæ Doctoribus, summo omnium Veterum consensu adversus Averroistas, ipsumque Aristotelem, & omnes Atheos: *Deum esse Optimum Maximum, qui præsens intimiusque omnibus omnia operatur.*

Si enim finem non cognosceret, non directè tenderet in illum, sed aberraret: Natura enim naturata vult dirigi ab Intellectu non errante; & Intellectus ille non errans, est manus Dei præsentis, & *operantis in singulis rebus*: *Nam*, ut ait Apostolus, *in ipso condita sunt universa ea quæ in cælis, & ea quæ in terra, visibilia & invisibilia*; & non solum *in eo*, sed *ex eo omnia*; nam ut ait idem: *Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipso sunt omnia*: non ergo sedem habet in primo mobili, ut voluit Aristoteles; sed ubique est; non solum poreſtate & præsentia, sicut etiam Psaltes testatur: *Quo fugiam*, inquiens, *à præsentia Dei? Si in cælum? ibi est. Si ad inferos? ibi etiam est.*

*Si*

*Si ad terram? ibi est scabellum pedum suorum.* Concludendum igitur verissimè est, Deum, & universam Divinitatem, quia immaterialis incorporeaque est, nullam à corporibus aut materia posse pati resistentiam: atque ideo verissimum est eam esse ubique, ipsa sui esse, ipsa sua potentia, ipsa sui operatione, & omnia tum efficere potuisse, tum effecisse, quæcunque & in terra, & in universis Elementis, & in cœlis & supra cœlos sunt, & visibilia & invisibilia, & omnia vivificare in omnibus, & omnia operari. Deus ergo modis istis est ubique: non autem, ut voluit Aristoteles, tantum alicubi supra cœli culmen & extra cœlum: & est etiam nullibi, quia nullibi est affixus, nullibi locatus, sed per omnia transiens, ab omnibus est segregatus, & ab omnibus sejunctus, in suæ dignitatis, & supereminentiæ abysso, sese nostris sensibus, à nostris etiam cogitationibus, à nobis rapiens. Et hoc videbit & rationibus firmis approbabit, qui consideraverit quomodo in plantis, radices, trunci, frondes, folia, flores, tam mirabiliter, & tam variè pro specierum varietate, secundum magnitudinem, figuram, colorem, atque ita artificiose & certa symmetria formentur: ut nullus Geometra vel Pictor, artificium omne assequi possit. Ea omnia à materia Elementorum, aut forma singulari fieri, quis credat? quis sibi persuadeat, nobilissimam non solum hominum, sed & animalium fabricam ab Elementari aut singulari Natura produci? quis sagacitatem canum, prudentiam (ut sic dicam) Elephantis, astutiam vulpis, magnanimitatem leonis, miranda apum, formicarum, aranearum, & aliorum brutorum opera, & ejusmodi alia quæ fecerunt: ut in quæstionem apud nonnullos venerit, an animalia bruta sint rationalia? Quis igitur à Natura Elementari, aut forma singulari, absque Dei præsentia, deducat, hæc omnia tam certè directa? qui casu, aut forma aliqua singulari, absque Dei præsentia deducat, & putaverit, is mentis ac sensus expers fuerit: neque crediderim quemquam sanæ mentis hoc in animum induxisse: licet hæc opinio quibusdam priscorum Philosophorum, ut falso, sicut alia multa, imponatur. Cum ergo extra dubium sit, cujusque rei naturam propter finem agere, in quem terminat suas actiones: quæ nam sit illa natura in re qualibet, quærimus: ad hujus investigationem Medico velut filum, sit humani corporis structura mirabilis; cujus qui noverit authorem, naturamque opificem, aliorum causas facile rimabitur. Qui vero in hoc cæcutiet, quænam sit factrix motrixque rei cujusvis, non satis assequetur. Galenus, post longam hujus quæstionis agitationem, tandem labori cedens, ita conqueritur:

tur: *Quamobrem maximo dolore affectus mecum cœpi ipse investigare, an aliquam de natura animalium, validam rationem possem invenire: ac nullam deinde inveniens (id quod in hoc libro fateor ingenuè) Philosophos, quibus ad hanc rem plus vel est ingenii, vel facultatis, hortor ut in hanc quæstionem sedulo incumbentes, si quid pro sua Sapientia invenerint, nobiscum id velint sine invidia communicare.* Hæc merito Galenus; quippe tanti momenti est hæc cognitio, ut ex unius hujus rei difficultate, ortas crediderim, quotquot Philosophorum pugnæ naturalem scientiam hucusque turbaverunt: sed errores isti ut plurimum proveniunt omnes, ex ignorantia Creationis Mundi, quæ quidem Naturæ non adversatur, sed hominum sæpè falsis de Natura opinionibus repugnat: de quo Augustinus Epistola 7 ad Marcellum ita scribit: *Si ratio contra Divinarum Scripturarum authoritatem redditur; quantumlibet acuta sit, fallit verisimilitudine; nam vera esse non potest: rursum, si manifestissima certaque ratione veritati sanctarum Scripturarum objicitur, illa non Scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati; nec quid in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.* Itaque etsi multis durum videtur, aliquas Physicorum hypotheses abjicere, quia cum Creationis Mundi Historia non consentiunt: omnino tamen hoc factu necessarium, cum plura sint in Aristotele, quæ Historiæ Creationis Mundi adversantur. Nihil enim repeti & fingi potest, quod sit magis contrarium doctrinæ Aristotelicæ; & quod omnes ejus artus & nervos vehementius elidat, quam Creatio Mundi. Cum Peripatetici animadverterent, admissa Creatione omni ex parte consequi gravissima incommoda, contra ipsam suorum materiam; nullo modo potuerunt in animum inducere ut eam concederent: & quamvis concedatur, quod nemini in consequenda vita Beata fraudi esse possit, quamvis eandem causam sustinuerit: tamen si quis sciens Sacris Literis contradicat; & Ethnici alicujus authoritatem pluris quam Sacras Literas faciat; omnino graviter illum peccare puto. Nec excusari certè potest, nec debet ab ullo Medico aut Philosopho Christiano Galenus, qui lib. 2. de pulsuum differentia capite 4. Moisis & Christi Scholam suggillat, quasi leges tradat, nulla constitutas ratione: & lib. 2. de usu partium, ubi de pilis palpebrarum disputat, Moysen irridet, quasi Naturæ opifex Deus, solis his pilis æqualem, semper servare magnitudinem præscripserit. Certissimum igitur habeamus, res naturales in finem suum ratione certissima impelli, à Deo cognoscente: de qua re videantur Conimbricenses libro 2.

capite

capite nono, quæstione 2. artic. 2. & sequenti. Toletus in cap. 3. Physic. 2. quæst. 8. probat ejusdem libri cap. 1. quæstionem 17. At dices, quomodo posset esse, quod aliquid in certum finem tendat, & non præcognoscat illum; non enim poterit ipsum attingere; & sicut qui clausis oculis aliquò tendit? Respondeo, & dico, quod hoc convincit aliquam esse universalem causam, omnes omnium fines providentem, atque facientem, & inclinantem omnia in proprios fines; & hic est Gloriosus Deus: ut enim sagittarius scopum inspiciens, impetum sagittæ imprimit, quò illum attingat: Sic Deus Gloriosus, omnibus naturam dedit; qua, etiam non prævisis finibus, absque errore usque ad eos perducerentur: & hoc est quod dicit Aristoteles 2. Physic. cap. 53. & Ethic. 13. & 10. Hominem agere, res cæteras naturales potius agi, quam agere: & ab aliqua Intelligentia, quæ ipsarum fines cognoscit, ad illos dirigi. Ob id dicitur opus Naturæ, esse opus Intelligentiæ non errantis. Quibus consonant sacra eloquia. Job cap. 10. *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu, & sic repente præcipitas me: memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me: nonne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum coagulasti, pelle & carnibus vestiisti me, ossibus & nervis compegisti me.* Divinus vero Psaltes, Psalmo 139. in hujus admirabilis officii contemplatione extra seipsum rapitur, dum quocunque tendit, *Deum comitem & renum suorum scrutatorem, primumque membrorum formatorem*, agnoscit; atque graphicè hanc ejus operationem depingit: Hac consolatione fulta generosa illa virago Mater Machabæorum, septem filios unius diei tempore pereuntes, animo virili hortabatur: *Nescio*, inquit, *quomodo in meo apparuistis utero; neque ego spiritum & vitam dedi vobis, neque cujusquam conglutinationem ego compegi. Igitur mundi Conditor, qui formavit hominis nativitatem, & omnium invenit generationem, & spiritum, & vitam vobis, iterum dat cum Misericordia, ut nunc despiciatis vos propter ejus leges.* Denique manum Dei in singulis Naturæ officiis operantem cernere possumus ratione sequenti. Quidquid vel minimum ex rebus animatis construit, ratione & intelligentia duce eam construit: at non dantur naturæ singulares, quæ propria intelligentia, res ejusmodi fabricant; ergo fiunt à Natura universali, quæ Deus est. Ergo Peripatetici formas interitu in nihilum abire, quemadmodum ex nihilo factas succedere, coguntur fateri. Quid nempe est quod in pulvere tormentario accenso modicum materiæ ita deducit, ut tantum spacium occupet? forma, inquiunt, nempe recens edita, & quidem ex nihilo:

hilo: videris, meliusne sit Naturæ authorem in novis continuis formis formarumque partibus creandis occupari, quam talem formam perpetuam agnoscere, quæ prout materia disposita est, eamq; subeat, eamq; creat, prout sua fert aptitudo: verissimum enim est illud Aristotelicum, *Naturam nihil agere frustra*: &; *Frustra fieri per plura, quicquid paucioribus fieri potest.* Quot sunt igitur Creationes, tot earundem Corruptiones; in quibus Author Naturæ sit assiduus. Mitto multimodas rei cujuslibet mutationes, in quibus novas agnoscunt naturas, novas scilicet quantitates. Et Veteres ostendunt, nihil de novo fieri, omnesque illas mutationes, nihil aliud esse, quam migrationem hujus spiritus ex una parte in aliam, prout sit materiæ mutatio; quæ quantum vel additione, vel detractione, vel situs diversitate, vel quavis alia ratione mutatur, tantum hic spiritus motus suos diversos facit: ita ut quùm multiplices Peripatetici imaginantur qualitates, subinde nascentes & morientes; nihil aliud sit quam ejusdem spiritus actio variata, prout diversitas materiæ, quam subit, instrumentorumque quibus utitur, variatio requirit. Quippe in hoc collucet immensa Conditoris Sapientia, quæ talem ordinem, talemque rerum proportionem constituit, ut ex hoc ordine atque proportione, dum hic unus spiritus materiæ diversissimæ partes movens, quasque quatenus earum natura postulat, uno motu locali, tam diversas, tamque mirificas rerum mutationes edat, certi sumus, inquam, nos hoc unico motu locali, mutationem naturalium causas longe facilius ac clarius reddituros, quàm Peripateticos infinitarum qualitatum, formarumque substantivarum creatione; in quibus particulatim continuè creandis, Author Naturæ assiduus esse debebat. Plurima jam absurda in eorum doctrina palam fecimus; plurima tamen iisdem in rebus alia præterimus, quantum laborant, ut ostendant quomodo ex rebus diversissimis forma illa imaginaria, & materia unum fiant. Quod ubi commenti sunt, hæc unitas longè magis obest ipsis quam prodest. Quippe Aristotele probante, in unaquaque re partem dari moventem, & motum, torquent sese modis miris, ut in Elemento, corpore, ut putant, simplici inveniant quæ sit pars movens, quæ mota: non autem audent sine pudore dicere, partem moventem esse formam, partem motam esse materiam, siquidem actu jam unum sunt, cujus sit agere & pati; ita ut illud unum & moveat & moveatur. Quibus commemorandis & ut potest componendis, Zabarella lib. 1. *de motu levium & gravium*, à principio, 25. ingentes columnas insumit. Et quid amplius? in veritate nihil est laboris, nihil diffi-
culta-

cultatis. Ecce in Elemento quod corpus simplex arbitrantur, Veritas agnoscit duas naturas, re ipsa distinctas, spiritum scilicet, & materiam Elementarem, quam, velut instrumenta, movet hic spiritus; movens hic spiritus movet materiam: motor verò, qui immotus hunc spiritum, &, per ipsum, materiam movet, est mens ipsa; seu, ut clarius loquar, Deus ipse Optimus Maximus, qui *est omnia in omnibus*: hunc omnium factorem, formatorem, conservatoremque omnibus intimum, omnium generatio constructioque manifestat. Hæc omnia ex diversissimis Naturæ generibus constare, Natura rerum universa testata est ordine sapientissimo; idque debita tum maximarum, tum minimarum mundi partium, motusque earum oppositione; illam rerum texturam fieri nemo, nisi valde imperitus, dubitavit; cum quidem partium ac motus earum proportionem *Naturam* vocavimus.

## ARTICULI II. MEMBRUM I.

## *De Elementis Aristotelicis, & illorum refutatione.*

SEd jam prælibata doctrina Veterum Philosophorum, ad Peripateticorum & Galenicorum doctrinam de Elementis redeamus. Quatuor esse mundi Elementa, Ignem, Aërem, Aquam, & Terram, Veteres & cognoverunt multi ante Aristotelem, & docuerunt; inter quos Empedocles, Ocellus, Hippocrates: an verò id rationibus illis comprobarint, incertum est. Nam ex Empedoclis fragmentis, nullam forte eliciemus. Quod verò Hippocrates argumento illo à Galeno magnificato; si unum esset Elementum, nec generaretur quidquam, nec homo doleret; plura esse probat fortasse: quot sint, certè non probat; quamvis sæpius etiam sufficientia ait esse duo Elementa, Ignem & Aquam: & reddit rationem; quia Ignis, ut ait, omnia movet, & Aqua omnia nutrit: sed non de isto igne Elementari sublunari, sed de vitali intelligebat. Ocellus verò, Hippocrate, ætate, superior, qui quatuor Elementa sub Luna fortè primus excogitavit, nullam attulit rationem; nec quatuor fuisse, probationem ullam dedit. Timæus verò Locrus, Ocello contemporaneus (uterque enim Pythagoram audivit) quatuor esse mundi Elementa probavit, ratione Analogiæ, eò quod inter duo solida extrema, qualia essent Ignis & Terra, non unum medium

medium sufficeret, sed duo necessaria esse, quæ extrema duo conjungerent, Aërem scilicet & Aquam. Eadem probatione Plato usus est, qui suum Timæum, ex libello illius exscripsit totum; at divinâ illâ suâ Eloquentiâ & ampliavit & exornavit. Sed hi utrique & Pythagoram & Ægyptios & Chaldæos secuti, non alium ignem pro Elemento mundi statuerunt, quam ipsum cœlum; sicut & Author noster: ita ut nulla alia quam cœlum esset Elementalis ignis sphæra. Sed Aristoteles, Ocellum per omnia secutus, Cœlum quintum Elementum nominavit, & sub eo ignis sphæram aliam, quæ cum Aëre, Aqua & Terra quatuor efficeret mundi sublunaris Elementa: sed Ocellus nullas ad id attulit probationes: Aristoteles autem attulit plures, quas omnes in 16. collegit Patricius Venetus: & primo esse quatuor discursionibus Peripateticis: in secundo, quid sit Elementum, tertio quatuor esse simplicia corpora: quarto, corpora ista quatuor habere simplices motus: quinto, levitate sursum, 6. gravitate deorsum pendentia, 7. ignem levissimum, 8. omnibus supernatare, 9. terram gravissimam, præ omnibus subsidere; 10. & 11. sunt media; 12. singula duabus qualitatibus esse prædita; 13. una tamen præcipua; 14. quas omnes ad invicem esse contrarias; 15. secundum omnia posse mutari; 16. facilius ea quæ unam habeant communionem. Et quamvis hæc omnia ingenti sane labore à Doctissimo Patricio, patentibus sensu & ratione argumentis, in Tractatu suo *Peripateticarum Discussionum*; & ibi fusius, & ex instituto tractatæ inveniantur: ego nihilominus quasi in transitu quædam perstringam. Et primò contra primum fragmentum, negatur quaternarius numerus Elementorum: aliqui enim Elementa alio sensu sumebant, eaque infinita statuebant: alii unum duntaxat, ut latè à me demonstratum supra fuit: Veteres enim Chaldæi & Ægyptii Philosophi, qui ante Ocellum, Platonem & Aristotelem fuerant, tria tantum Elementa nobis proposuerunt: imò, & illi qui Ignem quartum admiserunt. Contra secundam Conclusionem, dicit, Elementum esse minimam partem mixti: quod si esset minima pars mixti, esset atomus; & si atomus, contrariabitur sibi ipsi, qui asserit Elementa esse principia sensibilia: atomus enim est insensibilis. Quod attinet ad tertium argumentum, quatuor esse illa Elementa, dicit & esse corpora: experientia huic hypothesi repugnat: corpora enim videntur; at ignem nunquam nec Aristoteles, nec quisquam in mundo vidit: est enim incorporeum corpus. Ad quartum; malè asserit Elementa habere simplices tantum motus; simplices autem vocat, sursum deorsum, & circularem motum;

cum

cum tamen & dentur motus compositi, qui à corporibus Elementatis proveniunt: & si sunt in Elementatis; ut revera sunt, debebant prius fuisse in Elemento: nihil enim est in effectu, quod non prius fuit in causa: *juxta Axioma* 1. *Articulo de Ente.* Ad quintum, dum dicit sursum ascendere Elementa propter levitatem; at cum terram teneat gravem, cur ergo ascendit in subere, quod aquis innatat; suber enim plus habet quam buxus, & ebenus; quæ subsident. Ad sextum: dum dicit Elementa gravitate descendere, buxus & ebenus (eadem ratione qua de subere) descendunt, quia parum habent terræ, sed multum salis: si ergo, juxta ejus edictum, gravia descendunt propter terram, quæ gravis est in subere, juxta ipsum debet reddere pronum suber ad descensum, & non ad ascensum: erit igitur terra levis; aut alioqui suber, qui omnino est terra, ascendere non debet. Notum igitur est turpiter erraſſe Aristotelem, cum libro Meteororum, causam ascensionis suberis & fluctuationis super aquam, attribuat aëri, & causam descensionis ebeni & buxi, partibus terrestribus. Notum quippe est ex operationibus Chemicis, decies plus esse terræ in subere, qui natat, quam in hebeno & buxo, qui subsident: sed causa erroris est defectus experimentorum chemicorum, quæ ab igne fiunt. Ad septimum: dum asserit ignem esse levissimum; imò è contra est fluxissimum & gravissimum Elementum; sursum enim pellit gravissima corpora, ipso perstite; & proinde ab Hippocrate primo de Diæta nominatur *robustissimus ignis*. Gravia enim, robustissimam habent actionem, & levia è contra: sexcenta alia queunt adferri argumenta, quæ hic propter brevitatem adferre non possum. Ad octavum: ignem omnibus supernatare: rogarem, quibus specillis viderat ille, ignem omnibus supernatare? si viveret, disceret melius naturam ignis ex destillatore aliquo chemico, quam ex iis variis suis speculationibus. Ad novum, & ad decimum; si Terra gravis sit, ita ut faciat res multâ terrâ scatentes subsidere, quare hoc non in subere facit? Ad undecimum: aërem & aquam, media esse: ad aërem quod attinet, quando viderat aut ponderaverat aërem & ignem Philosophus ille sensatus, ut possit de illorum gravedine judicare? pro aqua minimus Tyro chemicus aquam esse ipsa terra graviorem ostendet; quoniam ad viscera ex lima terræ sese conferat. Ad duodecimum & decimum tertium: singula duabus qualitatibus esse prædita; una tamen præcipua, siccitate & caliditate in igne, humiditate & frigiditate in aqua; siccitate & frigiditate in terra, humiditate & caliditate in aëre: sed cum qualitates istæ sint accidentales, aut instrumentales, & non essen-

eſſentiales Elementorum, miror, quomodo per præcipuas iſtas qualitates intelligat activas, per minus præcipuas paſſivas? Omnis enim actio à viribus, omnes vires immediatè ab Eſſentia. Aut ergo dicetur qualitates iſtas non eſſe accidentales, ſed eſſentiales; aut alioquin omnis qualitatibus iſtis derogaretur actio. Ad decimam quartam quod attinet, ſi omnes iſtæ qualitates invicem ſibi eſſent contrariæ, deſtrueret una qualitas aliam; tunc omnia quæ fecerat Deus non eſſent valde bona; at ſunt omnia valde bona; ergo non deſtructiva. Contra decimum quintum; omnia in omnia transmutari; deſtructa à me prius forma ſubſtantiali, deſtruitur etiam tranſmutatio Elementorum. Ad decimum ſextum quod attinet, cùm neque feliciter, neque difficulter tranſmutentur iſtæ qualitates; quamquam unam vel duas habeant communes, non tamen impoſſibilitatem cauſare poſſunt. Hæc igitur omnia dogmata attentè conſiderata, & diligenter examinata, æquum Lectorem in eam tandem ſententiam vi deducent, ut credat hæc indigna eſſe quæ Naturæ rerum ſtudioſis ore dantur, & convicta & detecta falſitate habebunt res ipſas, non verba, teſtes; quod mille millia hominum in erroris & naufragii pelago ex hoc dogmate, ſuper quod tota Medicina fundatur, perierunt.

## ARTICULI II. MEMBRUM II.

### *De Qualitatibus manifeſtis.*

VAlde receptum eſt in Scholis, quod cauſæ efficientes invadere poſſunt quatuor modis, tota ſubſtantia, quantitate, qualitate, vel motu. Et primo quod ad qualitates manifeſtas attinet, eſt communis opinio Peripateticorum, quod harum primæ facultates, (ad quas certè omnes quæ ſub orbe Lunæ continentur, referuntur, & quarum merito omnes aliæ operantur) ſint hæ quatuor, videlicet, caliditas, humiditas, frigiditas, & ſiccitas; ſecundæ, quæ primas ſequuntur, ſint præſertim illæ quindecim à Galeno de uſu partium cap. 1. de fac. naturalibus cap. 6. enumeratæ: durities, mollities, lentor, fragibilitas, raritas, denſitas, aſperitas, lenitas, gravitas, levitas, graſſitudo, tenuitas, odores, colores, & ſapores: & quælibet ex iis continet varias qualitatum ſecundarum ſpecies & gradus; multi enim ſunt gradus ſeu ſpecies, rari & denſi, aſperi & lenis, & cæte-

cæterorum; multæ sunt species saporum, colorum, & odorum: alio enim pacto sapor operatur, & alio modo acer, & amarus, ut salsus, & ut acetosus; tertiæ quæ secundas immediatè sequuntur; & sunt detergere, incidere, aperire, astringere, laxare, & alia id genus; quæ similiter referuntur ad quatuor primas, tanquam ad prima initia cæterarum omnium qualitatum, quæ in hoc Mundo Elementali fiunt.

## Articuli III. Membrum III.

### *De Qualitatibus occultis aut reconditis.*

QUalitates occultæ vocantur potius substantiæ & qualitates essentiales, & seminariæ; & communionem nullam habere censentur, dependentem à calido, humido, frigido, sicco, quæ esse resolaceas, hoc est qualitates in ordine naturæ ultimo relocatas, & à causa remotissima: & hoc ita esse multi graves Authores, cum Authore nostro invictissimis rationibus devincunt. Vocantur autem *occultæ*, quia substantia operans, quæ illorum causa proxima est, magis rationi quam sensibus obvia est; & quia immediatè & nullo interposito instrumento, sed solæ agere censentur, & non in categoria qualitatis, sed substantiæ collocandas esse rectè afferunt. Propterea *reconditæ* dicuntur, quia nullarum qualitatum manifestarum & sensibilium auxilio manifestari possunt: nam eadem lege, sicut substantia ipsa, unde enascuntur, sensibus est occulta; sic istæ qualitates abditæ sensibus vocantur. Sed si quis sensibilium rerum sensibilia esse principia, & non abdita, dixerit: dependentiam autem esse insensibilium à sensibilibus; recurrat ad ea quæ à me dicta sunt Capite de Ente; & videbit, sensibilium rerum insensibilia debere esse principia: *res enim quæ in se sunt, priores sunt rebus quæ sunt in alio*: juxta Axioma 17. præcognitorum Entis. Substantiæ enim insensibiles in se sunt & αὐθυπόστατα sensibilia omnia, & qualitates illæ primæ sunt ἐπερόστατα, & se stantium effectus, & proles, & dependere debent à substantiis istis: *nihil autem est in effectu, quod non prius fuit in causa*; juxta Axioma primum Articuli de Ente. Et, *quod est primum in genere Entis, reliquorum Entium causa est*: juxta Axioma quartum Articuli de Ente. Deinde substantiæ semper accidens potest adesse, & abesse; & quæ naturam mutant, non semper sunt. At

Sub-

*Substantiæ cum semper sint, debent esse causæ illorum quæ aliquando fiunt*: per Axio. 24. Articuli de Ente. Exinde sequitur ergo, insensibilium rerum & caducarum, non debere esse principia sensibilia, sed insensibilia, æterna & stabilia. Neque sufficit ratione rem probasse; sed ad experientias veniendum, & proferenda erunt argumenta multa, probantia facultates istas occultas, à nulla dependentia quatuor Elementorum, aut qualitatum primarum dependere. Et primò quidem, ferri attractio, à magnete fieri non potest à quatuor qualitatibus: quia nunquam experientiâ visum fuit, calida vel frigida attrahere ferrum. Non à secundis; quia nemo unquam vidit rarum, densum, grave, leve, tenue, crassum, durum vel molle ferrum attrahere. Inferant ergo non à manifestis magnetis qualitatibus, sed à propria lapidis substantia, hanc operandi virtutem per se & immediatè prodire. Simili modo dicunt Electrum, qualitate occulta allicere paleam, marinæ leporem lædere pulmonem, cantharides vesicam, & non alias partes exulcerare. Etenim si manifestis excederent qualitatibus, magis jecur, quod propinquius & mollius est, abraderent. Parvulum piscem echenidem navem turgidis velis volitantem firmare: torpedinem, manus piscatoris tremore afficere; rhabarbarum, bilem; agaricum, pituitam; eleborum, melancholicam; cæteraque catartica, determinatos succos, subducere, theriacam, venenum evincere. Unde vix creditur inveniri posse homines adeo stupidos, qui putent admirandas has operationes, fieri caliditate, frigiditate, siccitate vel humiditate, & à cæteris consequentibus qualitatibus. His experimentis, & pluribus aliis commoti, esse putant aliud principium, & aliam occultam causam non subjectam sensibus, unde prodeunt hæ operandi virtutes: creduntque hanc esse substantiam, quæ immediatè hos pariat effectus, ex qualitatibus istis abditis & primis. De qualitatibus istis infiniti sunt qui disputant; pauci vero ex istis qui opiniones istas sustinent; & disputationis cardinem assequuntur. Et quod attinet ad primas istas qualitates, quibus tanta potestas tribuitur, falluntur multi, credentes, ea ratione. Nam dum qualitates, frigidum, calidum, humidum, & siccum, primas vocant, credunt esse primas & immediatas quantitates primarum substantiarum, quas sæpè substantias sestantes Platonici, & Veteres nominant; neque inter incorporeum & corpus distinguunt; quæ sunt substantiæ sibi oppositæ, non tamen contrariæ: neque de vinculis intermediis cogitant. Nam si datur, ut supra pluries dictum est, substantia immobilis, debet etiam dari ejus oppositum in eodem Entis genere; ut est substantia

stantia

ſtantia alimobilis: & inter immobilem ſubſtantiam, ut eſt eſſentia, vita, intellectus, & materia, media intercedere debet ſubſtantia, quæ cum ſubſtantia immobili, aut incorporo per incorporeum conveniet; & dicetur incorporeum corpus. Quatuor igitur erunt gradus ſubſtantiæ operantis. Primus erit gradus ſubſtantiarum per ſe ſtantium; ſecundus erit ſubſtantiarum hypoſtaticarum, nempe incorporei corporis; tertius erit ſubſtantiæ corporis incorporei; & quartus erit ipſum corpus; & ſunt tres ultimi gradus, ſimiles & diſſimiles ſuis producentibus: per prop. 4. Artic. de Eſſentia. Et propter ſimile quod incorporum fuit, incorporeum nominatur, per diſſimile corpus; & in corporeos potentia activa terminatur; & potentia ſuccedit; quæ non amplius activas aut eſſentiales producit, ſed paſſivas, quamvis incorporeas; nempe qualitates accidentales, quas Author noſter ſæpe relolaceas vocat, abſque virtute & viribus producit. Itaque per has diſtinctiones facilè erit diſcernere inter corporeas qualitates accidentales, & quæ in Categoria Qualitatis retinentur, & quæ non agunt niſi ratione ſubſtantiæ, in qua inhærent, & quæ à ſubjecto adeſſe vel abeſſe poſſunt, abſque ſubjecti interitu; & quæ in ſeipſis ſunt, & in Categoria Subſtantiæ retinentur. Igitur ante quatuor qualitates primas Ariſtotelicas erit corpus, ante corpus ſubſtantiæ eſſentiales, incorporeæ duæ; ante duas iſtas incorporeas incorporeum ipſum: non erunt igitur iſtæ qualitates eſſentiales primæ nominandæ, ſed ultimæ à primis petitæ; & quæ à primis abeſſe & adeſſe poſſunt, abſque primarum ſubſtantiarum interitu. Et ita Medici quam plurimi cum Fernelio & aliis viris doctis, (qualis eſt hic Author) ſentiunt. Alii verò in iſtis qualitatibus, frigido, humido, calido, ſicco, manere pertinaciter volunt, nullo alio potiore argumento freti, quam hoc; quod ſi tales qualitates darentur; daretur opinio in Medicina, nunquam à Galeno & Ariſtotele excogitata, & ita ſi ad extremum ſubacti, adhuc contra Veritatem ſtrenuo pugnare volunt; dicendo: hanc veritatem multos & ſummos Authores, ut ſunt Plinius, Albertus Magnus, Dioſcorides, poſſe in infinitos errores prolabi ſinere. Sed decipiatur, qui velit, à Plinio, Alberto, & Dioſcoride; nunquam me decipi patiar: neque unquam decipietur aliquis, qui veram Philoſophiam ſequi voluerit; neque à Botanicorum mirabilibus gradibus, nec qualitatum chemicorum vulgarium encomiis & promiſſis, vel unquam latum unguem recedere patiar. Quæ enim dicuntur de virtutibus plantarum, gemmarum, mineralium, animalium, ab Hiſtoricis, hiſtorica fide etiam

accipiam: de observationibus verò, multum interesse putabo, à quo; num à rudi aliquo & chemiæ Theoreticæ & Practicæ prorsus ignaro, aut rudi Distillatore accepere. Tale enim genus hominum ita fidunt libris, ut quæ legunt, quando operantur, quasi propriis imaginationibus fascinati, credunt se vidisse quæ legerant: & talibus propriè convenit Chemici definitio, qua, *Chemicum* esse *animal credulum* & *mendax*, referunt. Quæ Encomia à Chemico qui operationum manualium rationes, Philosophicè observare novit, prorsus aliena; nec magis nugacibus multorum Peripateticorum qualitatibus primis (quæ nihil sonant præterquam verba) fiderem; ne animum Scientiæ & Veritatis avidum, vacuum relinquerem. Itaque salvo uniuscujusque jure, ego aërem illum, qui potentias occultas, aut potius non adhuc exploratas, sustinere velit, nihil aliud quam quatuor qualitatum, ut vocant, primarum energias esse, tam facilem ad credendum infinitas alias inscitias, arbitrarer, ut sunt ad varias gravium Authorum authoritates (quamvis inexpertorum) confugere; & inde quasi ad ignorantiæ asylum properare potius velit, quam ut manus perito & oculato Philosopho abditarum rerum causas experienti tradat. Et sicut seni, sic vero Philosopho verba dare difficile est; nec videre debet probus Philosophus alienis rationibus & sensibus Antequam enim disputet, prius scire debet, an res sit, & deinde quare sit: ita quæ dicunt lapidem Calchdonium collo appensum, illusiones melancholicas tollere: Lapidem Aquilæ, divitias, amorem, & partum procurare: Lapidem Chrysolytum, stultitiam pellere, & sapientiam augere. Sed istos omnes lapides absque animi præoccupatione examinet aliquis primò: Quod si aliquis Peripateticorum, dubitare deinceps voluerit, consule ut numerosam Chrysolyti molem acquirat, qua stultitiam & credulitatem de quatuor qualitatibus primis reformare possit, & qualitates essentiales, operatrices in Categoria Substantiæ collocet: aut alioqui primò per qualitates primas reddere rationem, quare acetum radicale, apud ipsos frigidum, coralia, perlas, omnia conchilia, silices, omnes margarithas, antimonium, & multa metalla dissolvere possit, facultate aliqua calida, aut activa, frigida aut passiva cum spiritus vini aceto multò activiores, ne quidem mordere possit? Secundò; quare acetum hoc dissolutis imprægnatum, ita sit limpidum, atque fuerat prius antequam dissoluto admovebatur? Tertiò, quare additis pauculis guttis lixivii, salis tartari, aut alicujus lixivii salis Elementaris, acetum vertatur in albedinem perfectissimam? Quartò; quare color

lor ille albus, aut rubor, aut flavus à toto liquore per levem digestionem distinguitur, albedine, rubedine, flavedine, in fundo vasis residente, & aceto manente insipido? Quintò; quare accreverat pondus dissoluti? Sextò; quare ex acido prius aceto, jam fiat insipidum? Septimò; quare acetum hepate antimonii impraegnatum sit limpidum, affuso oleo tartari, fit aurantiacum? Octavò; quare sal tartari, albissimum in crucibulo diu detentum, viridem primo, deinde caeruleum praebeat colorem? Quare super isto caeruleo, si spiritus vini effundatur, rubicundissimus aut rubini habeatur color? Nonò; quare in nitro calcinato, post inflammationem cum corpore aliquo sulphureo, tanta appareat viriditas? Decimò; quare in spiritu calefacto, tanta appareat rubedo in vase extra aquam, aqua limpida remanente? Undecimò; quare, in nitrosis omnibus, colores tot variegati, sicut in Iride apparent. Duodecimò; quare in plumbo calcinato primo appareat griseus color, tunc viridior parum, tunc aurantiacus, tandem ruberrimus? cum tamen uno ignis propemodum gradu, omnes isti colores sese ostendant, subjecto non mutato. Deinde idem plumbum, si cum sulphure calcinetur, nigrum erit: si acetum affundetur, & impraegnetur, limpidum apparebit acetum: si vero guttae aliquot salis tartari admisceantur, plumbum in albissimum colorem mutabitur, & ab aceto separabitur; si denuo in igne calcinaveris, erit rubrum: & si post istas omnes Metamorphoses, cum salibus fusoriis in igne fuderis, redibit in plumbum. Decimo tertiò, quare, si acetum plumbo calcinato primo affunderis & impregnaveris, acetum erit dulce; & evaporatum in salem Essentialem reperies: & quo si igne rursus appropriato spiritum elicueris, metallorum dissolvens invenies: quae omnia de Mercurio etiam dici possunt, quemadmodum de aliis metallis, ab aquis fortibus dissolutis. Decimo quartò: Quare tanta effervescentia in dissolutione metallorum apparet? haec omnia fieri qui dixerit à qualitatibus, summis ignorantiae naevis reus esse judicabitur: eodem pacto qui ab abditis qualitatibus dixerit Phaenomena talia provenire; causae enim istarum apparitionum non sunt in arte naturae versatis abditae; sed dicuntur abditae, quia illorum actiones à substantia manifesta operante dependent; actio autem sensibus patet: sed causa actionis est à substantia; quae quidem sensibus verorum Philosophorum non est abdita; cum per sensus rationi consentaneas manifestatur: saepius enim dictum fuit, omnes actiones fieri à viribus, & vires ab essentia, quae potens erat educere in apertum & effectum, quae prius in ipsius sinu latebant

bant: quidquid enim est in effectu, in abysso causæ prius latuerat. Mille ergo tales quæstiones resolvendas Peripateticis & Medicis vulgaribus proponere, nisi brevitas me coërceret; quamvis vix nisi veritatis in hoc genere studiosis satisfacere videbor; quia nec principia, nec vocabula artis intelligunt; tamen defectibus illorum, quantum potero, me accomodabo, dicendo; acetum dissolvere coralia, perlas, & omnia conchylia, per Naturæ similitudinem, & non per contrarietatem qualitatum accidentalium. Dissolutio autem est actio; & omnis actio à viribus, & vires ab essentia rei sunt; & essentia est fætus entis; & ens dicitur omne illud quod potest agere, & pati; & producere agentia, & patientia, virtute finis & infinitæ potentiæ: & unaquæque res ab essentia rei hoc habet, ut primo agat: & ut deinde patiatur, & essentia illa agens est substantia: & substantiæ quatuor sunt ordines: prima est incorpororum, hoc est verarum substantiarum: secunda, incorporeorum corporum: tertia corporum incorporeorum, ut qualitates incorpororum abditæ & occultæ in Categoria substantiæ contentæ, sicut & quarti ordinis substantia erit corpus, cui insident qualitates accidentales corporum, calor, frigus, humidū, siccum, in Categoria Qualitatis contentæ; & sunt instrumenta duntaxat corporum agentium sensibiliter per vires suæ substantiæ; & qualitates sunt substantiæ. Ipsæ cujuscunque quatuor ordinum substantiæ, & hæ qualitates operantes, sunt quidem oppositæ, non tamen contrariæ. Contrarietas enim unius generis, quamvis opposita, tamen non potest alterius generi esse contraria. Substantia enim substantiæ non contrariatur: Ex quo consequentiam ducunt Peripatetici, satis ridiculam; qualitates istas agere, quia in se habent contrarietates: sed contrarium videmus in aceto, quod coralia dissolvit, non propter aliquam contrariam qualitatem, sed per actionem contentam in ipsa essentia coralorum, quæ semper & per contactum Physicum in coralia, & similia corpora, agit, non per contrarietatem quatuor qualitatum primarum: sed per qualitatem essentialem, quæ substantiæ, nempe per incorporea corpora, & corpora incorporea, quæ in incorporo aceti latitabant; & quæ incorpora cum corpore nectunt & vinciunt; ut ex actu illorum seminario actum Physicum radicibus illorum consentaneum in corporibus producerent. Non fit igitur actio ista per contrarietatem qualitatum accidentalium, sed per similitudinem rationum seminariarum, seu qualitatum essentialium aceti & coralorum, quæ agunt sicut jussa fuerant agere, & patiunrur sicut jussa sunt pati, in prima Creatione, à verbo FIAT, & absolutis pensis,

ab

ab eodem verbo FIAT habent, ut post progressum redeant, aut convertantur ad suam causam. Itaque quàm diu dissolventia agunt, non destruunt dissolutum, per contrarietatem quatuor qualitatum, quæ neque potentiam, nec vires ad dissolvendum habent, sed jussu Naturæ aut spiritus per incorporea corpora, & corpora incorporea, quas spiritus Mechamicos vocat Author, & quo nunc in conversione devestiant corpora, & ad incorpoream vitam dissoluti redeant, in causam, unde progressa fuerant, relictâ vitâ corporeâ, quæ incorporeæ vitæ umbra est. Quod si quis distinctionem inter vitam incorpoream, & corpoream scire velit, dicam, vitam incorpoream immediatè ab essentia provenire, & in spiritum mundi finire. Vita enim dicitur esse effervescentiam essentiæ, & actionum originem; & quamdiu fervet essentia vitæ; sive sit vegetabilium, animalium, sive mineralium, res aut crescit aut finita accretione in statu assumpto manet, usque ad speciei prædestinatam ætatem. Quod si vero manifesta illa, aut incorporea vita, sive arte, seu natura destituatur, tunc supplet corporea, occulta, aut subordinata, quæ ut plurimum in sale consistit, & à sale conservatur: ita non absque causa dictum est, salem carni porcinæ esse datam, pro anima, quia eas à putredine & vermibus conservat. Sic vita plantarum per se in sicco à proprio sale conservatur, si in humido, vel in extractum reducuntur, vel saccari aut mellis præsentia defectus salis restituitur. Sed qui velit plura de his inquirere, legat textum Authoris de Elementis. Acetum igitur seu dissolvens, quamvis vita corporea privetur, & per consequens crescere, aut vegetare desinat, tamen manet vita aceti subordinata, quæ actiones vitæ incorporeæ supplet, & in usus Naturæ, pro quibus creabatur, retinet. Eodem pacto de dissolutis erit ratiocinandum. Jam autem ut Theotericam aut contemplativam rationem ad praxim reducam, & rationem practicam adjungam; sciendum est, dissolventia omnia, qualemcunque habuerint consistentiam, agere cum electione, nec esse pro omni subjecto in differentia; acetum enim, aquæ fortes, spiritus & oleum vitrioli, aqua Regia, sublimatus corrisivus, dura metalla, lapides, margarithæ facile dissolvunt: Ceram tamen & ligna (quamvis metallis molliora) non dissolvunt: & ratio est, quod priora ista dissolventia cum dissoluto magnam habebant similitudinem; & ita cum electione dissolutorum corpora attenuata, & in atomos redacta, à dissolventibus rapiuntur, & pro Homogeneo corpore sensibus nostris sese conspicienda præbent, sed cera multo mollior, cedet oleo. Pinguedinibus omnibus &

incorporatur, &c, ut simili & convenienti liquori, sese miscet. Non igitur à contrario cogitur unum corpus alteri cedere; sed per ingenuam naturæ societatem, sese unum in aliud resolvit; spiritus autem dissolventes sive sint incorporea corpora, sive corpora incorporea, qui incorporea cum corporibus vinciunt, corpore aquæ volatilis, & salis fixi utuntur, ut corpora sibi analoga in atomos dissolventibus, similes reducant; reducta autem & ex solidis fluida facta, eadem naturæ similitudine separantur à dissolventibus per præcipitationem; & ista præcipitatio fit per admistionem salis Elementaris, qui cum sale dissolventis jungitur relinquendo dissolutum: quod sustentaculo ablato; nempe corpore activo salis dissolventis, à dissoluto illico in fundum vasis dissolutum, subsidet: unde exsurgit illud vulgare Chemicorum axioma; *Quidquid dissolvitur à spiritibus, præcipitatur per salia: & è contra; quæ dissolvuntur à salibus, præcipitantur per spiritus.* Quod ad secundam quæstionem attinet; dissolventis facies externa duntaxat mutatur, dissoluti corporis, quia textura varia dissoluti, à dissolvente tantum destructa, in actione dissolutionis, servato interno dissoluti colore, qui postea à sale explicatur. Tertiæ quæstionis solutio dependet ex prima. Ad quartam quod attinet, acidum manet insipidum, quia sale suo spoliabatur, propter præcipitationem: Albedo vero dissoluti explicat juxta calorem sulphuris, prius in dissoluto latentis. Ad quintam vero; accrevit pondus dissoluti per admistionem salis dissolventis, ad materiam præcipitati. Ad sextam; omnis sapor à sale, sal autem aceti dissolventis separatus, acetum & dissolventia fiunt insipida. Ad septimam; acetum hepate Antimonii imprægnatum in præcipitatione colorem acquirit aurantiacum: hunc autem habet à sulphure Antimonii, quod ruber est, aut auriantiacum. Ad octavum respondetur; quod quanquam colores omnes pertineant ad sulphur, tamen juxta doctrinam, à me sæpius in hoc opere stabilitam, ubi demonstrabatur, productum fuisse producentis effectum, colores merito referantur ad sulphur immediatè, sed remotè à sale: nam certum est nihil esse in sulphure, quod non prius fuerat in sale: nec in corporibus, quod prius non fuerat in corporibus incorporeis, & prius in incorporeis corporibus, & tandem in incorporis. Nihil enim est in effectu, quod prius non erat in causa; *juxta Axio. 1. Artic. de Ente.* De nona eadem est solutio. Viriditas enim est à sulphure interno & fixo progrediente in rubrum. Ad decimam respondeo; esse nitrum sal volatile; & propter hoc rubedo ista apparens in spiritu nitri, à sulphure volatili nitri in sale volatili latente;

latente; & impetu ignis in aërem expulsi provenit forma ætherea, & spirituosa; qua aquam subsidentem tingere non potest, ab aliquo corpore diaphano, à solido retenta, ut est in Carbunculo & Rubino. Ad undecimam; sal, nitrum, sicut omnes spiritus constant duobus corporibus, quorum unum fixum sal, alterum volatile, nempe aqua, quæ quidem spiritus naturæ, seu animæ, mundi universalis sunt proxima producta, mediante materia & rationibus seminariis; & ista corpora induuntur in generatione, & exuuntur in corruptione, & animantur ab ista anima mundi, quæ rationes incorporeas rerum corporearum, rationes indistantes rerum distantium, rationes universales rerum particularium in se continet. Et cum ex ista universalitate omnes colores fieri debeant, merito in nitro & nitrosis omnibus repræsentantur. Quod ad duodecimam attinet; omnes colores qui in calcinatione apparent, non per aliquam causam efficientem, neque formam substantialem, qualem volunt Peripatetici, introducti fuerant, sed solum quia prius latebant omnia in mixto. Quod autem attinet ad causam; quare omnia metalla calcinata, dissoluta, cæmentata, sublimata, sint reducibilia? respondetur, quia illorum vita est perennis, & fixa, & naturam æternorum multum æmulantur. Debet enim esse maxima similitudo inter extrema, aut opposita, nempe mundi Empirei, ubi sunt substantiæ perennes; & ubi est centrum æternum infinitæ potentiæ, & inter centrum mundi corporei, aut materialis, ubi sunt omnia fixa, sed æternitatis duntaxat mundi Empirei æmula; qualia sunt metalla; quæ quamvis formam Metallicam exuisse videbuntur, tamen ad pristinam naturam redire semper percipiuntur. Ad decimam tertiam; dulcedo quæ gustatur in plumbo dissoluto, ab aceto imprægnato, provenit à vitriolo plumbi aluminoso, quod multo alumine scatet: quod autem spiritus Saturni Solem dissolvat, hoc intelligitur, quod viribus similibus aquam Regiam æmulestur: sed prius oportet ut cum salibus specificis præparetur; aut fieri debet imprægnato ex aceto Radicali acerrimo. Ad decimam quartam quod attinet, effervescentia, quæ in spiritibus nitri agitatis in dissolutione Marcasitarum, & Mineralium, per aquas fortes & Regias apparet, provenit à motu: & motus ille ab obedientia dissolutorum provenit à similitudine, nempe dissolventis, & dissoluti: Metalla enim constant vitriolo: omne quippe metallum in vitriolum reducitur. Sed ultra vitriolum, communis aut potius universalis materia metallorum constat nitro; & quædam cum nitro & vitriolo habent etiam salem conditorum adjunctum. Itaque propter utriusq;

simili-

ſimilitudinem, & familiaritatem, diſſoluta ſeſe aperiunt, ut liquorem ipſis ſimilem aperiant, & in fluorem ſimilem ſeſe ſiſtant. Effervescentia ergo iſta, & quaſi conflagrationis calor, qui percipitur in iſto actu, provenit à viribus eſſentiæ rei: & hæc omnia à ſimilitudine & qualitatibus ſubſtantificis, & non à contrarietate qualitatum concretarum Elementorum. His igitur diſcuſſis, & pro qualitatibus ſpecificis demonſtratis, ut omnia melius pateant, ex ſe naturam contrarietatis hic appoſui; ut unuſquiſque quàm parum ſibi de natura contrariorum perſuaderi patiatur, & ne ad quatuor humorum Galenicorum ſtabiliendam doctrinam redeat.

## ARTICULI II. MEMBRUM IV.

### *De Mixto.*

SÆpè dictum fuit, Ariſtotelem tres ſubſtantias nominaſſe, nempe formam, materiam & mixtum. Deſtructa fuit talis forma ſingularis, ut & materia, quales voluerant, ſummo Medicinæ damno in Phyſicis, & Medicorum dedecore, in Medicina tradere, Peripatetici. Nunc autem pergamus ad mixtum; & videamus, à ratione & experientia Chemicorum, nempe, an datur tale mixtum in rerum natura, quale autumant Peripatetici. Hujus autem quæſtionis ſolutio dependet ex judicio diſſolutionis mixti: diſſolutio enim intelligitur de compoſitis & mixtis duntaxat: differunt tamen compoſitum & mixtum, juxta Ariſtotelem, quod compoſitum ſit illud, quod vinculo unius rei eſſentialis minimè continetur, ſicut cumulus frumenti & fabarum: *mixtum* autem, ſecundum eundem, lib. 1. de ortu & interitu, capite ultimo, dicitur, quando unum corpus eſt, cujus partium omnium extrema unum ſunt inter ſe. Sunt autem mixtæ ſpecies triplices; prima eſt eorum, quæ ubi coivêre, rurſus diſſolvi poſſunt, ut, aqua vino mixta: altera in corporibus naturalibus, quæ mixta imperfecta dicuntur, ut ſunt nubes, pluviæ, venti: & tertia eſt corporum quæ vegetant, & ſentiunt; & iſta dicuntur mixta, tum propter continuationem, hoc eſt privationem puræ contiguitatis, cum propter formam, per quam fit ut partes ad unionem coeant; ſeu, ut loquitur Galenus, cum mixtio fit, ut ex omnibus mixti partibus fit unum ens formaliter: & in hac miſtione formæ miſcibilium manent in mixto, nec abolentur, ut volunt Peripatetici:

tetici. Quæ omnia experientiæ manu probantur: vix una res eſt, ex qua non eliciant Chemici tres naturas, valde inter ſe differentes; quarum quæ ſubtilior & volatilior, *Spiritus* dicitur, *fluor* ſeu *Mercurius*: quæ verò craſſior & pinguior, *oleum* aut *ſulphur*: quæ vero omnium maximè fixa, & ex intimis mixti penetralibus educta percipitur, *ſal* illis nuncupatur. Præter has tres naturas, valde utiles, ſupereſt quædam materia terreſtris, & inutilis, quoad eſſentiam (non tamen quoad compoſitionem) nempe *arena*, ex qua fit vitrum. Eſt etiam inſuper aqueus quidam & inſipidus liquor, quem *phlegma* dicunt. Ecce, quomodo unumquodque mixtum in diverſas partes diſſolvitur; & quomodo ex hujus diſſolutione, compoſitio ſimiliter inveſtigatur; *Compoſitionem enim rei ſcire aliquis non poterit* (inquit Geber) *qui deſtructionem illius ignoraverit*. Neque ſolum iſtas naturas, ſed etiam ignem & aërem, nempe vulgaria Elementa, quanquam inviſibilia, tres itidem ignis ſpecies intuendas in mixto, dicit Plato, urentem & non lucentem, qualis in ſale, guſtu deprehenditur, & in omnibus, eſcharroticis; lucentem & urentem, qualem in oleaginoſa parte deprehendimus: ex his omnibus componi mixtum certum eſt, cum in ea diſſolvatur, haud ſecus atque ex crambe fit aqua & vinum. Rurſus mixtum quodlibet in ignem, terram ſeu vitrum, aërem, aquam, ſalem, oleum, & ſpiritum reſolvi, quemadmodum potionem illam in vinum & aquam, eſt conſpicuum. Quidni igitur, quod de aqua & vino, id ipſum de his Elementis agnoſcimus? ea ſcilicet in mixto duraſſe, propriamque naturam ſemper retinuiſſe, quamvis è diametro pugnare videantur, contra ea quæ Ariſtoteles contra Empedoclem affirmat, libro primo rationem mixtionis in eo eſſe aſſerens, ut mixti partes ſint ejuſdem naturæ, nec minus ſimiles, quam aquæ partes; alioqui futuram compoſitionem non mixtionem; ſi partes, quantumvis ejus exiguæ, naturam invicem diverſam retineant. Similiterque 2. de Generatione cap. 6. redarguit Empedoclem, quia ſecundum ejus ſententiam ſequeretur, quod ex qualibet parte mixti non poſſunt quatuor Elementa extrahi: & ſic quælibet mixti pars non eſſet mixta.

Ad primum quod attinet, certum eſt, cum corpus mixtum ex pluribus unum fiat, tamen poteſtate multiplex, concurrere Elementa partim contraria, partim convenientia; vix aliter ſanè quam per appoſitionem quandam unius ſubſtantiæ ad alteram, intercedente ſectione mutuâ ſubſtantiarum ſimul & qualitatum, ſæpè ad particulas minimas ſecundùm

 ſenſum,

sensum, sæpè propter subjectæ materiæ contumaciam divisione tam sensibili, ut in similaribus multis ipsas quoque substantiarum simul & qualitatum diversas sedes, vel sensus ostendat. Lac enim vel hoc nomine similare est, quod omnis fit ejus divisio in partes ejusdem rationis: videt tamen in illo sensus, alibi butyrum, seram, caseum, una tamen lactis forma; omniumque fuit unio perfectissima; unumque fuit totius corporis temperamentum: quare quæcunque formarum in hoc sublunari orbe reperitur, compactio non videtur mixtio, quam unius in alterum transire volentis assumptio. Proinde recte definivisse videtur Scaliger, cum asserit, *mixtionem* esse *motum minimorum corporum ad motuum contactum, ut fiat unio.* Et quod experientia, atque inde ratio manifesta docuit, idipsum veteres Philosophi & Medici complures & quidem clarissimi, agnoverunt. Ad quam Veterum veritatem spectat & illud Lucretii de rerum Natura, libro secundo.

*Cedit enim retro, de Terra, quod fuit ante,*
*In terras, & quod mistum est ex ætheris oris,*
*Id rursum cœli relatum templa receptat:*
*Nec sic interimit mors res, ut materia;*
*Corpora conficiat, sed cœtum dissipat ollis.*

Quam sententiam Hippocratis fuisse, nullus negabit, nisi qui Hippocraticæ lectionis sit prorsus ignarus; & ut cætera omittam, in libro *de humana natura*, magna pars operis eò tendit, ut demonstret, quomodo natura humana, rerum obitus conficiens, eò singula referat, unde accepta fuerant; proinde unumquodque ex iis constare in quæ resolvitur: at ea non sunt homogenea, non enim constant similibus partibus, cum resolvantur in salsum, amarum, insipidum, acidum, quas δυνάμεις appellat: ergo istis diversissimis partibus constare unumquodque mixtum, necesse est. Alibique ait: *Similem naturam sibi similem è terra producere:* ad hoc denotat in ipsa terra esse partes dissimilares; quod ipsum innuere videtur & Lucretius de Natura rerum:

*Præterea quæcunque è terra corpora crescunt,*
*Si sunt in terris, terras constare necesse est*
*Ex alienigenis, quæ terris exoriuntur.*

Ex quibus apparet formas Elementorum non aboleri; alias enim in putredine & resolutione fieret nova Elementorum generatio; & in generatione fieret priorum Elementorum corruptio. Sed ut sensibus aliquid con-

congruum magis, & experientiæ manu confirmatum habeamus, exempla artis Chemicæ ſumamus, quibus diverſarum partium in mixto remanentium naturam, apprimè demonſtrare poſſumus. Et hæc ſunt quæ de auro, argento, mercurio, plumbo, antimonio, adferre licet; quæ quantumvis millies diſſolvas, tamen ſemper ad primam naturam videntur redire. Si hæc fidem plenam non faciunt, ecce perfectè mixti exemplum. Corpus cibo augetur, & alitur; cibus autem quo alimur, non eſt unus, neque unius generis: alimur enim ut pane, carnibus, piſcibus, radicibus, caſeo, fructibus, baccis arborum, aqua & vino, & ſimilibus: atqui hæc ſunt alienigena, & diſſimilia inter ſe: ergo neque venæ & ſanguis, neque cætera ſingula conſtant partibus ſimilibus; cum hæc omnia cibis illis diverſis alantur, & creſcant: ſi dixeris, cibos conſtare corpore mixto, & iſta miſta ſunt heterogenea, ut prius dictum eſt: Hoc dilucidè à Lucretio de rerum Natura exponitur:

*Præterea quoniam cibus auget corpus alitque,*
*Scire licet nobis venas & ſanguinem & oſſa,*
*Et nervos, alienigenis ex partibus eſſe.*
*Sive cibos omnes, commixto corpore dicant,*
*Eſſe, & habere in ſe nervorum corpora parva,*
*Oſſaque & omnino venas, parteſque cruoris,*
*Fiet uti cibus omnis, & avidus & liquor ipſe,*
*Ex alienigenis rebus conſtare putetur,*
*Oſſibus & nervis veniſque & ſanguine mixto.*

Similiter in herbis viridibus, nonne quo plus humidi ex illis elicitur, & eo extracto ſicciores evadunt partes reliquæ? nonne fateberis ſeparationem partium humidarum, totum ſiccius conſtituere? At Ariſtoteles affirmat, æqualiter omnes partes mixti, fuiſſe humidas, unde effectum ſit, ut aliis ſeſe exſiccantibus, aliæ madeſcant magis, an quod aliarum humiditas in has tranſeat? At hoc eſt dicere, *tranſire è ſubjecto in ſubjectum:* quod nullus ſanus admiſerit; cum igitur nulla poſſit aſſignari vera cauſa, fatendum, quod verum eſt, partes alias in mixto fuiſſe; quarum ſegregationes reliquas ſiccas reliquerant; harumque ſiccitas quæ cum humidis confuſa fuerat, non patebat: quod optimè notavit Lucretius.

*In lignis ſi flamma latet, fumuſque ciniſque,*
*Ex alienigenis, conſiſtant ligna, neceſſe eſt,*
*Ex alienigenis, quæ lignis exoriuntur.*

Exemplum artis ſumamus ex lacte, in infantis ventriculo cocto, pars in ſedimentum, aliæ in chylum convertuntur; ex hoc aliæ in ſanguinem;aliæ in pituitam, bilem, melancholiam, denique partes omnes, in propriam quamque ſuam regionem amandantur: rurſus ex ſanguinis partibus, pars alia in urinas, alia in excrementa, demittitur. Unde ergo harum rerum ſimilitudo? idem nempe eſt agens, eademque vis, ex eodem ſucco, quem æqualiter efficit, partes diſſimiles, calidiores, frigidiores, humidiores, ſicciores, leviores, graviores, dulciores, ſpiſſiores, amariores, & pluri- mis aliis modis inter ſe diſſidentes, ſibique contrarias. Quid aliud prædi- cant, quam diverſarum partium ex eadem maſſa facta diſſolutione, ſegre- gationem? calidioreſque frigidiorum, ſicciores que humidiorum, ſpiſſio- reſque liquidiorum ſeparatione factas; quas idcirco prius fuiſſe veriſi- mile eſt; dum licet diverſæ ab invicem, quadam tamen proportione, à forma univerſali temperatæ, unum conſtituebant, compoſitum. Hanc diverſam rerum poſituram elegantiſſimè exprimit Lucretius.

*Diſſimiles igitur formæ glomeramen in unum*
*Conveniunt, & res permiſto ſemine conſtant:*
*Quin etiam paſſim, noſtris in verſibus ipſis,*
*Multa Elementa vides, multis communia verbis.*
*Cum tamen inter ſe verſus & verba neceſſe eſt,*
*Confiteare alia, ex aliis conſtare Elementis.*
*Tantum elementa queunt, permutato ordine ſolo.*

Hic diverſitatem partium concipimus mixti: miſtumque nil videmus fuiſſe, niſi diverſarum partium diverſam compoſitionem; eſſeque mixtam unum per contiguitatem, non autem continuitatem, remanent enim for- mæ in mixto: ſi enim uniformes eſſent, neque ipſe Oedipus cauſam aſſi- gnarit; cur idem agens ex æquo in omnes vim ſuam immittens, ejuſdem maſſæ humidæ, ac liquidæ, partes alias in ſanguinem, alias in bilem, pi- tuitam, melancholiam, tranſmutavit, cur quo plus humiditatis illæ, eo plus ſiccitatis hæ acquirant: cur exhalatis calidioribus, reliquæ maneant frigidiores? cur ex ejuſdem ligni particulis continuis, fumum, aquam, flammam, cineres eduxerit? cur, quantumvis ſuam actionem augeat, atque continuet, nec prunas in flammam, neque cineres in flammam, nec vini phlegma in aquam ardentem, nec recrementa in eorum naturam, quæ inde expulſa ſunt, poſſit convertere? Cur fragrantibus expiratis, aliæ reſultant inſipidæ? ut fit in malo odorifero, & ſimilibus? Certum inde

exſur-

exsurgit testimonium, partium quæ exspirantur eas esse, quæ nares tuas subeant, quæ talem sensum iis præbeant: oleo pariter ex nuce Moschata extracto, feces, quam diligentissimè poteris tere, experturus an pressæ in oleum convertantur: norunt Spagirici repetita contritione & coctione, posse aliquid de novo elici. Sed non diversissimæ naturæ à priore, aut quid evidentius facit, ad veritatem hujus rei, quam omnium chemicorum salium, qui prius latitabant, ex eaque artificiosæ protectiones. Unde juvabit annotare, quam alienum ab experientia contineat illud Aristotelis dogma, lib. 2. Meteor. qui causam salsuginis maris investigans, eam ex adustione deducit: si enim per adustionem cineres ab igne acrimoniam acciperent, iisdem tunc ex cineribus lixivio facto, & partibus acribus semel ademptis, & rursus adustis, semper eandem acrimoniam imprimeres: sed hoc experientiæ repugnat: Arena enim, quæ vera est terra, & terrestris pars, vitrificationem admittit, adustionem vero nunquam. Ergo patet salem revera esse in rebus, neque ullo pacto fieri per adustionem. Quare non immerito *salem* pro symbolo *æternitatis* statuit cum Israëlitis Omnipotens Deus: *Stabilibo*, inquit, *hodie fœdus vobiscum salis*; hoc est perpetuum. Præterea, quia si salem, quem eduxeris, iterum ac sæpius aqua diluas, lixivium conficies simile priori; quo evaporato, tum salem invenies puriorem: in cineris tui materia igitur ante fuit sal ipsemet; imo ante cinefactionem actu erat in ipsa Planta, sed jam aqua dilutus: antea autem per minutissimas plantæ partes dispersus delitescebat: jam vero aquæ evaporatione relictus, quidquid in cineribus insipidis & infusis, modicum hoc salis prius dispersi, jam coactum in unam massam, vires exerit: unde patet, omnes partes plantæ, nec non cinerum, non fuisse similes, cum his acrioribus inventis, reliquæ partes, suam acrimoniam perdiderint. Nihil enim aliud facit ignis, quam dissolvere nexum partium corporis; ut singulæ partes ad eandem redeant naturam, quam prius habebant. Ex his omnibus constat, partes mixti nunquam à natura propria recessisse, ac propterea falsissimum esse ipsas eandem, cum toto seu mixto rationem nancisci, ut partes aquæ eandem quam totam naturam participant. Sed si quis rogaverit, unde fit quod videamus partes habere inter se tantam similitudinem, ut unum appareant? Anaxagoras (ut refert Cicero lib. 2. quæst. Academic.) hanc difficultatem tollit, dum ait, materiam esse infinitam, è qua omnia educantur: &, ut ait Hippocrates, in terra insunt omnigenæ facultates; ejusque particulas similes inter se unitas, easque

primum confusas, postea in ordinem adductas, à Mente Divina, hic librum suum sic orsus est: *Simul erant omnes res: Mens autem eas distinxit*, & in ordinem reduxit; & ab hoc ente provenit forma universalis mundi, & omnium partium ejus: proinde nihil est essentia, sed ratio illius vinculi. Neque eò absurditatis prosiliissent multi, nisi credidissent ac pro fundamento supposuissent, ex qualibet mixti particula, educi posse quatuor Elementa: cujus rei quam sit falsissimum commentum, jam videbimus. Aristoteles contra Empedoclem asserens, minutissimas mixti partes, singulas in diversas diversorum Elementorum particulas resolvi, disputans, fortissimo argumento infert, quod secundum ejus opinionem ex una eademque mixti particula, utrumque educi nequeat aqua simul & ignis, cum reliquis Elementis; ut ita quælibet pars mixti, cum toto non erit similis: sed quid inde absurdi esset, partes non esse similares? hactenus ratione & experientia clarum fecimus; jam autem invictissimis duobus argumentis demonstrabimus, ex qualibet parte mixti non posse educi quatuor Elementa, sed ex singulis singula: & ad hoc probandum, in Schola Peripatetica nemo ignorat, ex carne & ligno ignem & aquam produci; idem esse ac si dicas, materiam carnis aut ligni forma corrupta, formam aquæ & ignis amplecti. Itaque secundum illos, ex qualibet ignis particula ignem & aquam educi, nihil aliud est, quam partem quamlibet materiæ carnis, formam ignis & aquæ suscipere. Jam quæro, è carnis particula, vel simul exeunt, vel unum post aliud? si primum (quod apud ipsos est indubitatum) ad formam ignis & aquæ requiritur præviæ materiæ dispositio, quæ paulatim fit, & successivè; debuit ergo quæ ad formam ignis tendebat, esse valde calida, & sicca; quantumque ignis natura postulabat, contra, quæ ad formam aquæ, esse apprimè frigida, & humida. Dicant, in eadem materiæ particula, potuerit simul ad formam ignis & aquæ motibus contrariis tendere ut fuerit in gradu intenso, calida & sicca, simulque frigida & humida. Secundum dicant, ut ignem & aquam, unum post alterum abiisse putent à nova illa materia: sed quæ carnis forma substrata erat, abiens formam aquæ vel ignis accepit; non autem est materia, quæ jam in aquam abit; & illa quæ adhuc sub forma carnis est, speciem ignis exspectans. Jam vero considerandum, materiam ignis & aquæ, quæ producebantur ex carne, nunquam quæ prius erat, sub forma carnis unitam; non enim de novo producitur: & quamvis aliud faciat compositum, tamen eadem est, quæ fuit prius: sed jam materia ignis, non est materia aquæ, ergo nunquam

fuit

fuit eadem; poteſt quidem ea materia obiter eſſe affecta, in compoſito: inſaniunt, qui putant materiam jam ignem factum, in carne; fuiſſe illam, quæ jam induit aquæ ſpeciem. Ecce ut pro Empedocle Veritas vincat, ex diverſis partibus mixti diverſa exire; & proinde mixtum non eſſe unum continuitate, nec materia, nec forma; ſed unum ex multis diverſiſſimæ formæ partibus compoſitum. Hinc infertur, quatuor humores cum ſint compoſiti ex materia & forma Elementari; quanquam illorum materia & forma compoſita ſit, ex partibus divertiſſimis infinitæ potentiæ; ut ſupra demonſtratum eſt, ad ſeptem Elementa radicalia; tamen quæ ſeptem rationes ſeminarias, quæ & ſeptem Elementa concreta producere probantur, reduci poſſunt. Et iſta concreta, multas qualitates habent; quarum aliæ ſunt activiores, & origine proximiores, ut ſunt odores, colores, ſapores, ſalſum, amarum, acre, dulce, inſipidum, & omnigenum, & innumerabile; quas poteſtates Hippocrates vocat: aliæ ſunt paſſivæ, & viribus quaſi deſtitutæ, ut calor, frigus, ſiccitas, & humiditas, in quatuor iſtos humores diſperſæ, aguntque per vim aliquam ſeminariam, cuicunque compoſito propriam, & radicabilibus Elementorum exemplariorum, ideis & exemplaribus rerum faciendarum magis conformem; & illis qualitatibus & humoribus origine, natura & viribus priorem: Oportet enim non mixta, ut ait Proclus, eſſe ante mixta, & perfecta ante imperfecta, generalia ante particularia, totum ante partes, & ante ea quæ ſunt in aliis, ea quæ in ſeipſis, & tunc primo mixtio fit, cum ex incorporeis corpora, ſed planè ſpiritualia conficiuntur; eſtque mixtio aut potius compoſitio Elementorum inter ſe, Elementorum cum principiis corporum, Principiorum corporis inter ſe, & omnia ſimul; motorem autem habet, hoc compoſitum, formam nempe illam univerſalem, mentem Divinam, per omnia diffuſam, ſingulis rebus adſtantem, & præſentem, atque virtutem & motum ad finem proprium cujuſcunque rei dantem, & rem ipſam in harmonia conſervantem; cujus formæ notitiam habuiſſe videtur Ovidius:

*Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cæli.*
*Sedibus Æthereis Spiritus ille venit:*

Et in alio loco - *Eſt Deus in nobis: agitante caleſcimus illo.*

Hac ratione una cauſa univerſalis, ut ſapientiſſima, per omnia extenſa ſufficiet. Qui quærunt igitur in rebus ſingulis, ſingulas formas ſubſtantiales, nonne fruſtra quærunt per plura, quæ fieri poſſunt per pauciora? nonne eſt abſque cauſa & ratione, multiplicare Entia? & illa mens, illa ſapien-

pientiſſima cauſa, eſt ille Citharedus, qui quas ſemel aptavit fides, & Horologii Chordas, primo extendit, ſuaviſſimo modo pulſat, & in conſenſum & harmoniam retinet, & in toto vincit, conſervat conſenſum in partibus, cujus virtute univerſali potius, quam unico ſingulari, omnes rerum creatarum univerſiſſimæque partes, virtutes tam diverſæ, & multiplices earum vires, functiones, quas ab unica volunt, & ſingulari forma, aut principio, in omnibus pendere; quanto, inquam, perfectius atque infinitæ illæ ſapientiæ convenientius erit, ut res illæ omnes, earumque partes & virtutes, ab uno ortæ principio, eoque interno atque omnia permeante & nectente, deducere? Nam ut ſunt in illo, & ab illo, & per illud ſubſiſtunt, ac perſeverant, ita ut ab illo principio motæ & gubernatæ, rectius cenſeantur gubernari, & vinciri: nonne ſatius erit omnes motus diverſarum rotarum horologii ab unius rotæ motu primario deducere, quam ſingulis ſuam propriam & ſibi motivam applicare? Et quid aliud eſt mens iſta, quam Deus ipſe præſens, quam Theologi *Naturam naturantem* vocant: Operatio continua, una fidelia infinitas parietes dealbans, quæ principiis naturalibus imprimens impetum, ad quem altitudinem à prima cauſa & aliis inſtrumentariis cauſis in prima creatione habuere, dum ſimilem materiam ſimili materiæ jungit, & exemplaribus ſimiles facit.

## ARTICULI II. MEMBRUM V.

### *De Humoribus.*

HActenus eo uſque Lectorem ab Ariſtotele ad Galenum tranſtulimus, & in tali ſemita collocavimus, ut nullus in perquirendis humorum Galenicorum fundamentis ſcrupulus deinceps latere poſſit. De humoribus ergo acturus pro quibus longam iſtam diſceptationem ſuſcepi, valdè convenit, ut ſicut anteacta & probata ab Ariſtotele de Elementis, à Galeno, pro Medicinæ fundamento ſuſcepta & ſuppoſita fuerant; ſic acta & probata ab ipſo de humoribus ſimili modo ſupponi debeant, ut ex iis ad verum humorum & qualitatum examen, mentis & ſenſuum aciem intendamus. Supponamus ergò, imprimis cum Galeno, quatuor eſſe humorum genera, videlicet pituitam, bilem, melancholiam, & ſanguinem; & deinde ſub his quindecim eſſe famoſas humorum ſpecies: in primis enim ſunt (ut dicit Galenus

Galenus libro secundo de different. febr. capite sexto) quatuor pituitæ, dulcis videlicet, acida, vitrea & salsa: deinde (ut refert libro de atra bile capite 2. & alibi) septem sunt biliosiorum humorum species, quarum prima est pallida bilis, quæ est mitior omnibus; secunda, est flava, tertia vitellina, quarta porracea, quinta æruginosa, sexta cærulea, quæ *Isatidis* dicitur; septima est rubra, quæ est ille sanguis serosus, qui dicitur *Bilis*, quia ob nimiam tenuitatem, ut dicit Galenus lib. 10. de Simp. Medic. fac. dicat esse duas alias biles; & primo de natura humana textu quarto, dicat, dari præterea alias species biliosorum humorum, quæ nomine carent; nihilominus hic solum censemus esse supponenda, quæ ex omnium consensu approbantur; etenim alibi in loco magis oportuno, de iis locupletius agam. Præterea tres sunt Melancholiæ, ut 3. de loc. affect. & libro de atra bile, & alibi testatur Galenus: Melancholia, quæ est fex sanguinis adusta, & Melancholia quæ est bilis adusta, postremo est sanguis, qui copia tantum peccare potest. Expositis igitur quatuor humoribus, restat ut exemplo Aristotelis, qui expositis quatuor Elementis, quasi componentibus, colligebat possibiles combinationes primarum qualitatum: Primò enim, dixit qualitates primas esse quatuor, nempe caliditatem, frigiditatem, siccitatem & humiditatem; deinde numeravit omnes combinationes, vel misturas quæ ex iis fieri & imaginari possunt. Dixitque vel misceri calidum sicco, vel calidum humido, vel calidum frigido, vel frigidum sicco, vel frigidum humido, vel humidum sicco: collegitque deinde Philosophus, ex iis omnibus quatuor possibiles, quæ quatuor Elementis conveniunt, & duas rejicit impossibiles, quæ sunt calidum cum frigido, & humidum cum sicco. Similiter, & nos, si velimus perquirere omnes misturas quæ in humoribus, sive in contentis fieri possunt, prius simplicia componentia numerabimus, possibilesque colligemus, & impossibiles omittemus. Dicimus itaque ex Galeno libro de atra bile capite secundo & alibi, septem esse species biliosorum succorum, scilicet, pallidam, flavam, vitellinam, porraceam, rubram, cæruleam, & æruginosam; omitti hic potest porracea, quia non est simplex, sed mista ex bile æruginosa & pituita. Verum quia sic mista, posset quoque aliis humoribus commisceri, in hoc opere contentorum præter naturam, ea collocabimus. Deinde ex Galeno & communi Medicorum consensu, quatuor sunt famosæ pituitæ, acida, salsa, vitrea, & dulcis: hic non disputo an sint veræ species per constitutivas differentias factæ, quia in hoc loco non est mihi in animo ab ipsis Philosophiæ & Medicinæ

dicinæ primordiis, hoc in diſcrimen diſcedere: ſed quæ à Galeno ſunt propoſita & communiter accepta præ accipere, & inde ulterius philoſophari. Tres, ut oſtendimus, ſunt Melancholiæ, fex ſanguinis naturalis, fex aduſta, & atra bilis. Denique eſt ſanguis, qui copia & variis modis peccare poteſt. Amplius ex Galeno & Hippocrate 6. Epiſt. 2. Com. 37. dicimus, ichores eſſe æquales numero humoribus: dicit enim Galenus, quemlibet humorem habere ichorem proprium, qui naturam & virtutem ab illis ichoribus ſeparatam ſortitur; & cum humores & ichores iſti poſſunt efficere, tunc abſque putredine & cum putredine: & quia putredines inter ſe differunt natura & ſpecie, humores quoque putridi, pro diverſitate ſpecierum vel graduum putredinis erunt omnino diverſi. Putredines enim quæ aperte humanum genus invadunt, & quæ ſub benigniori adſpectu inimicum virus occultant, natura & gradibus inter ſe differunt. Hic recipimus communem ſententiam, quod quatuor ſint differentiæ vel gradus putredinis, quorum primus obſervatur in apertis febribus continuis, vel intermittentibus: ſecundus, in malignis & doloſis mitioribus: tertius, in malignis ſæviſſimis (in his febribus ſub benigniſſima facie aliquorum dierum curſu, ſceleſtiſſima oſtenditur putredo, quæ neceſſario virium ruinam, & ut plurimum mortem adfert: ) quartus in Peſtilentibus. Ex his colligi poſſunt centum & quinquaginta humores, præter naturam: hæcque ratio ineunda eſt: imprimis ſunt quindecim humores, & quindecim ichores conſiderati, dum nulla putredine polluti lædunt; totidem fiunt, dum illorum quilibet putreſcit primo putredinis gradu: fiunt igitur omnes hactenus ſexaginta: addantur iis dum quiſque putreſcere poteſt, ſecundo, tertio, vel quarto gradu putredinis; erunt omnes centum & quinquaginta inter ſe revera differentes: putrida bilis in primo gradu efficit febrem ſalutarem, in ſecundo malignam curabilem, in tertio malignam fere incurabilem, in quarto, peſtilentem. Sequuntur ſeptem ſpecies flatuum, quippe qui cuilibet humori peccanti commiſceri poſſunt, quatuor qui elevantur à quatuor pituoſis ſuccis: alius enim eſt flatus ortus à dulci pituita, alius ab acida, alius à ſalſa, & à vitrea; alius qui trucem Colicam facere poteſt; Duæ flatuum ſpecies, à Melancholia conſurgunt, alter à Melancholia, quæ eſt fex ſanguinis, & alter à fece aduſta: ab illa enim quæ excedit ut à cauſa materiali, de qua loquimur, non oritur flatus: ſeptima flatus ſpecies oritur à cibo & potu. Neque objiciant, quod humores non commiſceantur flatibus, quia facile occurrere poſſumus; plures enim morbi ex humoribus,

bus, flatibus miſtis fiunt; tinnitus, qui incitatur ſono aquæ currentis, ſi-
milem indicat pituitam groſſam, eſſe commiſtam flatibus: cholica paſſio
ſæpe fit ex miſtura porracea bilis & flatus, vel ex vitrea pituita & flatibus.
Præterea in numero contentorum præter naturam, ſunt lumbrici, & eo-
rum vapores, qui ſæpe Epilepſiam gignunt: ſunt ſpermata præter natu-
ram retenta, quorum ſpiritus, præfocatione uteri, cordis palpitationem,
& alios affectus movere poſſunt; & lues venerea, & ejus vapor, qui, ut
quotidie videmus, per univerſas corporis partes ſuum diſpenſat virus;
omnibuſque humoribus poteſt commiſceri; demum eſt ſanies & ejus va-
por, à quibus febris & innumerabiles effectus, præter naturam fieri poſ-
ſunt. Si igitur has quindecim cauſas præter naturam aliis propoſitis addas,
cauſæ erunt centum & ſexaginta quinque. Simili modo, ſi velimus ex
165, efficientibus cauſis mixturas ex duabus, ex tribus & ex quatuor, col-
ligere; cogimur diſponere omnes cauſas efficientes, ut deinceps videbi-
tur; quia commode à nobis omnium numerorum fieri poteſt additio. Ga-
lenus libro de atra bile, & alibi, dicit, ſeptem eſſe ſpecies biliosiorum
humorum, ſcilicet pallida 1, flava 2, villina 3, porracea 4, cerulea 5, ru-
bea 6 æruginoſa 7. ex Galeno 2 de different. febr. 6. pituitæ ſunt 4, ſcili-
cet pituita dulcis 8, acida 9, vitrea 10, ſalſa 11, ex Galeno libro ſecun-
do de atra bile, & alibi; Melancholiæ ſunt tres, fex ſanguinis non adusta 12,
fex aduſta 13, atra bilis 14 ſanguinis 15. Ex Galeno 6. Epiſt. 2. textu 37.
dicente, quemlibet humorem habere ſuum ichorem, ichor ſanguinis 16,
ichores Pallidæ bilis 17, ichor flavæ 18, ichor vitellinæ 19, ichor rubræ
20, ichor cæruleæ 21, ichor porraceæ 22, ichor æruginoſæ 23, ichor pitui-
tæ dulcis 24, acidæ 25, ſalſæ 26, vitreæ 27, ichor Melancholiæ natura-
lis 28, fecis aduſtæ 29, atræ bilis 30. In ſecundo ordine iidem humores &
ichores, ut putridi in primo gradu locantur: 31, 32, 33, 34, 35, 36, 37,
quatuor pituitæ putridæ, in primo gradu 38, 39, 40, 41, tres Melancho-
liæ 42, 43, 44, 45, ichores putridi in primo gradu 46, 47, 48, 49, 50, 51,
52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60. in alio dixit, ſunt putredines ſecundi
gradus, ſeptem biles, putredine maligna affectæ, 61, 62, 63, 64, 65, 66, 67,
quatuor pituitæ 68, 69, 70, 71, tres melancholiæ, 72, 73, 74, 75, icho-
res mali moris 76, 77, 78, 79, 80, 81, 82, 83, 84, 85, 86, 87, 88, 89, 90,
putredines tertii gradus, ſeptem biles 91, 92, 93, 94, 95, 96, 97, qua-
tuor pituitæ 98, 99, 100, 101, tres Melancholiæ 102, 103, 104, 105, icho-
res peſtilentes 106, 107, 108, 109, 110, 111, 112, 113, 114, 115, 116,
117,

117, 118, 119, 120, putredines quarti gradus qui in peste observantur, septem biles 121, 122, 123, 124, 125, 126, 127, quatuor pituitæ 128, 129, 130, 131, tres melancholiæ 132, 133, 134, 135, ichores peste affecti, 136, 137, 138, 139, 140, 141, 142, 143, 144, 145, 146, 147, 148, 149, 150, quatuor flatus pituitosorum succorum 151, 152, 153, 154, duo flatus melancholicorum succorum 155, 156, flatus esculentorum 157, lubricorum 158, eorum vapores 159, semen 160, ejus vapor 161, sanies 162, ejus vapor 163, lues venerea 164. Ejus vapor 165, misturæ ex duabus erunt 13530, misturæ ex tribus 13366, misturæ ex quatuor 13203, omnes 40099. Verùm, quia misturæ possent in quolibet proposito efficiente fieri duum generum, videlicet extrinsecus & intrinsecus, & sic numerabuntur rejectis impossibilibus, 40042, intus, & 40042 foras: omnes igitur misturæ, quæ in animalibus fieri possunt, quæque per syndromum signorum communium expiscari solent, ad numerum 80084 revocantur. Et si simili modo velit aliquis virtute præcedentis Methodi, penetrare, poterit adhuc infinitas humorum mixtiones & combinationes invenire: quas in praxim redigere, non difficile esse tantum, sed omnino impossibile dixerim. Cum igitur tot monstrosæ divisiones & subdivisiones ex humoribus & qualitatibus, ex mixtione diversa qualitatum, & humorum in Scholas maximo Medicinæ detrimento introduci fuerunt, non miror, quod conqueratur Author noster, & aliam semitam quærat, quo ab ista humorum confusione & dispositionibus viscerum, ad istos humores generandos, sese liberet, quando causas & curationes omnium morborum ex his quatuor humoribus, quas *famosas* appellat Author noster, deducere videtur Galenus: rejiciendo ergo istas qualitates, numerum & situm Elementorum, alias qualitates, mixturas & humores juxta Authoris nostri mentem constituere debemus. Interea prolixus hic discursus, qui medullam totius Philosophiæ Peripateticæ, & veterum Philosophorum continet, brevi ad finem perduci vix potest, nisi stabilitione qualitatum & humorum prævia enarratione, qualem Author noster, in variis sui operis locis nobis prodit, insudandum esset: & nisi prius, quid sint humores, ostendatur. Quod autem ad etymon nominis *humoris* attinet, videtur nomen humoris secum deferre notitiam rerum fluibilium & liquidarum, quorum alii sunt connati, alii post geniti. Connati sunt vitales ex vita, animales ex anima, naturales ex natura, ut ex Elementis radicalibus primo defluentes, ut sunt imagines

gines & progenies proximæ Solis, Lunæ, & aſtrorum ab illis radicalibus productorum: unde dicit Ariſtoteles, ſolem & hominem generare hominem: & hi tres humores ab Hippocrate libro ſecundo de Diæta ſub nomine ignis vel naturæ, tum Solis & Lunæ, nobis manifeſte inſinuantur. Dicit enim ignem vel naturam, in hominis generatione, triplices circuitus, facultate diverſos, diſtinxiſſe.

Semper Græca in cœlum. *Fecit ignis circuitus triplices mutua ſocietate intus quam foras conſpirantes. Qui in cavitatibus, humiditatum officinis, circuitus habent, Lunæ poteſtatem, motus, & maturitates referunt: quæ vero exterius, ubi ſolidiora conſiſtunt membra, revolutiones abſolvunt, aſtrorum imitantur proprietates; quæ in medio conſiſtunt, robuſtiſſimi ignis naturam continent; qui intus & foras, per omnia tranſiens, omnibus dominatur, idque occulto ſilentio; nec enim viſu, nec factu conſpicuus eſt.* Et, ut Author noſter ait, in igne ſeu ſole, id eſt aſtris mediæ revolutionis, anima, mens, prudentia, augmentum, motus, diminutio, tranſmutatio, ſomnus, vigilia deliteſcunt. Ibi ſpiritus eorum Mechanici aſcendentia, ſpiritualia corpora, actionum proxima inſtrumenta, radices habent. Has aſtrorum revolutiones, in humana Liturgia, docte deſcribit Hippocrates in libello de Inſomniis: *Aſtrorum circuitus exterior eſt in corpore Solis medius, Luna vero ad cavitates: quodcunque igitur horum aſtrorum vel extingui, vel lædi, vel obſcurari, vel à circuitu ſuo per inſomnia ſcilicet cobiberi videtur, in eadem corporis regione morbum latere* ſignificat: κολίας appellat ventriculum, inteſtina Meſentericas venas, hepar, lienem, & primas Elementorum officinas: in his enim ob impuritatem alimentorum, & momentaneam trium principiorum naturam, celeres ſunt periodi, plenilunia velocia, ac reliqua tempora; ſimiliter medium circuitum in corde, cerebro, ſanguine, collocat Hippocrates, ubi puriora ſunt Elementa, ſemina & aſtra conſtantioribus principiis ornata. Nunc autem, ut ad poſtgenitos humores accedam, certe illi aliunde provenire non poſſunt quam ex Chylo, & Chylus ex cibo & potu. Itaque qui velit ad infimas ſpecies deſcendere, oportet ut de diverſiſſimis partibus, in cibo & potu contentis, de numero & qualitate humorum judicet: & cum alimentum humanum ſit ex vegetabilibus & animalibus non ſolum; ſed etiam ex reſolutis Mineralium ſpiritibus compoſitum, certe nihil eſt in cibo & potu quod poſtea non tranſit in tales ſpiritus, nec eſt aliquis in vitalibus ſpiritibus, quod non prius fuerat in cibo & potu, imo ut ait Hippocrates, ſunt humores omnigeni, & innumerabiles, nihil enim eſt in effectu quod non prius

prius fuerat in causa, & nihil est in causa quod postea & idem & simile sibi non erumpat in effectum: tales autem effectus, sive post genitos humores, qui in corpore jam constituto cumulantur, alii atræ biles sunt, qui in cibo & potu delitescunt, & qui exaltatione aut prava separatione, sive viribus, actione, aut multitudine separantur, & hi excrementii sunt, qui rursus in primos & secundarios dividuntur: Primi sunt sanguis, qui nihil aliud est quam spiritus salis nitri, pituita quæ sanguinis ferrum est, & sal dicitur bilis, hoc est sulphur volatile, & melancholia sulphur fixum, hoc est volatile fixatum, ut est acetum, & ita utraque bilis dicitur, & hæ quatenus temperiem laudabilem in Symmetria constituta toti corpori suppeditant, alendo, & tunc primo per venas distribuuntur. Secundo agglutinantur, qui & in quovis alimento imo simplicissimo, imo ut pane & vino in ventriculo, Materiam Chyli constituunt, & quæ quanquam simplex appareat, tamen mutua diversarum partium mixtione contemperantur; & hæc materia si cum materia veterum Philosophorum & Peripateticorum conferatur, videbit Lector, cum quo quadrare potius videtur. Communis etiam causa sufficiens, nempe jecoris calor, qui ex temperato jecoris calore sanguinem & reliquos humores conficit, & cum idem sit calor, pari robore & conatu, & ea ratione agere debet in chylum, & simul humores omnes in hepate profert, ob chylum multiformem: tamen Galenus, cap. 8. de atra bile pituitam ex cibis pituitosis fieri asserit. Sanguis sumitur duobus modis, primo quatenus cæteros humores complectitur, & partes ex illo gignuntur & aluntur, cujus causa materialis est chylus: alio modo quatenus sincerus, & ab aliis secretus, & hoc modo sola cogitatione concipitur: efficiens est jecoris caro, quæ temperato colore chylum ibi advectum assimilat. Præter hos sunt etiam secundarii humores quatuor, primus qui in exilibus venis & arteriis continetur; alter qui ex vasis in partis substantiam roris modo dispergitur, tertius paulo crassior, qui parti agglutinatur, & dicitur Cambion; quartus qui jam concretus parti assimilatur, & in ejus substantiam mutatur: præter hos adventitios humores, sunt etiam duo, aqueus & primigenius: excrementitii duo, semen seu alimentorius, & sanguis menstruus, utilis, inutilis, mucus, urina, sputum. Ex talium humorum combinatione nascitur temperamentum, quod Galenus vocat organum, principium & causa actionis, & partes similares, quatenus hoc vel illo modo agunt, habere ex temperie, at, quod vivunt, ex anima habent: hujus præsentia illorum actio servatur, atque dirigitur, quamvis juxta veterum Philosopho-

rum

rum doctrinam, temperies debet esse organum animæ, & anima causa actionis agens per temperiem, aut per organum, & hoc temperamentum dicitur qualitas, ex mutua Elementorum actione proveniens, & est vel æquale, & dicitur *Simmetrum*, vel inæquale, & dicitur ἄμετρον, quia per quamvis à medio discedat, non ita tamen, ut sensus cædat: Altera est quæ limites mediocritatis excedit, & dicitur pravum, quod quidem radicibus & fructibus Elementorum radicalium cohæret, & proinde, ut ait Author noster, eorum familias, distributiones & jura imitantur: distinximus autem antea temperamenta, ratione Elementorum unde profluebant; at cum Elementa qualia nobis fuerunt proposita, erant septem numero, quasi summa genera, septem etiam debent fieri summa genera humorum temperamentum constituentium. Alii enim erant Mercuriales, qui fluorem primo, & cum fluore vitales, animales & naturales spiritus à Sole, Luna & Astris reliquis deferunt, sali & sulphuri consentaneos, proprietatibus Mercurii, ignis & aëris, ut hypostaticis Elementorum concretorum principiis, tum salis & sulphuris proprietatibus activis, tum rellolaceis, ut Author noster vocat, arena & aqua, quippe ut passivis, insignitas, & ita erant humores alii Mercuriales, & Mercuriales morbos producunt, ut sunt epilepsia, apoplexia, paralysis: alii sunt Solares, veluti sunt cordis palpitatio & tremor, syncope, deliquia cordis: alii Lunares, ut sunt hydrops, *Odelexia*, stomachi cruditas & variæ intemperies: alii Veneris, ut sunt Gonorrhæa, lues venerea, suffocationes uterinæ: alii Martiales, ut pleuritides, prunellæ, pestes: Joviales, sicut tussis, tabes, peripneumonia, asthmata. Saturnini sunt hydropes, tumores, ut hydrocelæ, Emphisemata; & inter Saturninos magna est latitudo, signaturarum diversis proprietatibus districti; neque enim omnes stellæ Saturninæ ejusdem sunt naturæ, neque herbæ omnes Saturninæ, vel mineralia iisdem proprietatibus trium principiorum corporis Mercurii, Salis & Sulphuris insigniuntur. Sed latitudo est magna, quæ tamen species limites non excedit. Ita Hydropis species quamvis omnes Saturninæ sint, magna tamen signaturarum varietate discernuntur. Neque solum Planetæ principatum istorum humorum apud se retinent, sed stellis fixis distribuunt: aliæ enim stellæ fixæ Saturni, aliæ Jovis, aliæ aliarum Planetarum naturas præ se ferunt, quorum vires & actus ad inferiora deponunt, primo vegetabilibus per aërem communicant, deinde Mineralibus per terram, & animalibus non solum per aërem quem perpetuo attrahunt, sed quos per cibum & potum à vegetabilium & animalium spiritibus resolutis hau-

hauriunt. Itaque qui metalla & mineralia resolvere novit, is solus naturas varias plantarum & animalium, ex mineralium spiritibus resolutis cognoscere potest. At omnia mineralia resolvuntur in vitriola, alumina, salia & nitrosa sulphura, & denuo in omni vitriolo, salia & sulphura copiosa reperiuntur, igitur ex iis genera subalterna discerni debent, & ex talibus saporibus, odoribus, coloribus istis, reperiuntur talium morborum origines, quas ducere, & per eandem Analogiam, observare debemus, & tales morborum distinctiones, non sunt otiosæ; manent enim trium principiorum diligenter inquirendæ; sic ex earum anatomia signaturarum vel symptomatum, quæ in morbis apparent, radices, fundamenta, causæ & similitudines deprehenduntur, quibus in se curationum leges non invitæ nobis sequentur.

Humores igitur in homine sunt substantiæ fluidæ, ex Elementis in digestione ad nutritionem hominis natæ, suntque productæ, tum utiliores seu nutricii, ut dictum est, tum excrementicii: illi sunt chylus, chimus, seu sanguis venosus, sanguis arteriosus: hi nempe excrementitii, humor melancholicus, fel, serum, ac denique si placet, ut serosum Phlegma seu pituitam adjiciamus, unde Tartarius.

Constat autem non minus ac res aliæ è principiis Hypostaticis fluere, igne, aëre & Elementis concretis, in formam liquidam humanæ œconomiæ congruam, subactis; ostensum enim est supra, vegetabilia animalia ac resolutos spiritus mineralium, in alimentum hominis destinatos, in ejus substantiam ac naturam, cum suis principiis, quibus constabant, facessere, ita ut deglutita, concocta, & in chylum versa, ac in jecur, cor, cerebrum, divisa, ac distributa, variis coctionum ac circulationum gradibus, tandem in spiritus naturales, vitales, & animales, Mercuriales, Sulphureos, Salivos, ac Spirituosos attenuentur, & commutentur, non commutatione aliqua ex forma substantiali producta, qualem voluit Aristoteles, sed separatoria, quæ fit ab actionibus separatoriis animæ, qua ratione alitur, crescit ac in statu suo conservatur homo, ad prædestinatum usque terminum: itaque bilis & alii humores, quos Peripatetici sub quatuor speciebus humorum contineri volunt, non fiunt nec ab Elementis, nec à qualitatibus per formam substantialem, sed separantur per singulas digestiones distinctas ab aliis, quæ prius in cibo & potu latitabant; hinc etiam humorum origo & generatio colligi & intelligi potest, quantum seperatio prius existentium, tum ex principiorum, tum ex Elementorum concreto-

rum

rum mixtione proficiſcuntur, qui quidem non ſecus inter ſe differunt, ac varii ſunt, ſive perfectione, ſive imperfectione: ac tria illa inter ſe principia diverſa ſunt, gradibuſque perfectionis diſſident. Primus humorum utilium chylus, qui in ventriculo & venis finitimis præſertim meſaraicis, ex prima coctione elaboretur: Primus ipſe chylus tribus principiis, & ſale & ſulphure, activis conſtat, ſed adhuc valde impuris: unde prima nutritionis rudimenta, per nativum iſtum calorem in venas Meſaraicas, colore albo qui à ſpiritibus vitrioli ex chylo, forma ſpirituali tranſmiſſa, deinde rubro à nitro: eaque eſt prima digeſtio, ac ſeparatio puri ab impuro, antequam trium illorum principiorum tinctura rubra in jecore abſolvetur.

Secundus eſt ſanguis primo coloris concoquentis gradu jecoris, ac venarum ex chylo naſcens, qui ſuccus eſt alibilis. Hic ſecunda quædam concoctio ac puri ab impuro ſeparatio; formalis tamen ac materialis eſſentia oritur; quæ prima concoctione longe ſubtilior ac nobilior eſt. Tertius humor is eſt, qui variis circulationum rectificationibus, calore cordis admodum vitali, celebratus, perfectione concoctionis alios duos longe ſuperat, qui humor vitæ alimentarius, aqua vitæ ſulphurea, ac radicalis dici poteſt; hic quidem per arterias in totum corpus diſpergitur, in ejuſque ſubſtantiam convertitur, ex perfectiſſima omnium alimentorum concoctione, quæ tertia eſt, eaque vocatur aſſimilatio nutrimenti, & nutriti, ubi certum eſt hanc humorum omnium, ſed maxime trium principiorum ſalis & ſulphuris puritatis eſſe participem: ſpeciemque rectificatæ aquavitæ animalis præ ſe ferre, quæ ab omni paſſivo Elemento vivi animalis, hoc eſt ſanguinis ſecreta ſit; & quando per poros corporis non perſpiratur, fit ἀδιαπνευστία, & inde reditus in majora vaſa, ubi effervescentiæ, & phlogoſes internarum partium generantur, & febres putridæ & peterchiales producuntur: ſanguinem enim jam diximus ſecundum fuiſſe humorem utilem, ut cum vino depurato ac defecato comparabilem, & eo magis, quo à majore & impuriore parte ſui terreſtris tartari expeditus ſit: hujus tria etiam principia chylum puritate ſeparant, & ex illis tres coctiones ac digeſtiones eliciuntur, aqua vitæ ſulphurea, animalis ſpititus æthereus ac ſubtiliſſimus, nec non ſal, variis & circulationibus & coctionibus naturalibus depuratus, & attenuatus: ſanguis per venam cavam in cor uſque delatus, qui veluti Pelicanus eſt, per naturæ vas circulatorium ſubtilius adhuc concoquitur, & veluti quintæ eſſentiæ, aut aquæ vitæ ſulphureæ ardentis vires aſſequitur: quæ amphyti & ſymphyti caloris ori-

go est, eadem aqua vitæ per arterias in cerebrum deportata, rursum reti admirabili circulationibus exultatur; ibique in spiritum vere æthereum ac cœlestem commutatur: unde spiritus nascitur animalis, animæ præcipuum instrumentum, eo quod ad ipsam spiritualem naturam magis quam duo reliqua principia accedunt. His extractis, quod restat in sanguine, ut in vino, aqua est insipida aut serum, ac feces sulphureæ & tartareæ impuræ, quæ ex Elementis prodeunt passivis; ejusmodi in sanguine sunt pituita frigida & humida, Mercurialis bilis, flava, calida & sicca, sulphurea & melancholica, seu atra bilis, non frigida, sed calida & sicca: salsuginosa, quæ sunt excrementosæ partes puriorum illarum substantiarum:

Nec prorsus eæ jacent inutiles; siquidem ex activis trium principiorum tum Elementorum qualitatibus nonnihil retinentes, quatenus materiatæ sunt, ad aliquid conducunt. Bilis quatenus nitro sulphureo sulphuri nitroso respondet, vel naturam salis gemmæ refert, hæc in cystide fellea ad cavum jecoris receptaculum suum, & sedem habens, longe crassior humor est, quam humor melancholicus, utpote sulphuris nitrosi habitum referens, tartarei oleaginosi viscosi & densissimi, ut qui ex tenuo ignis calore prompte condensatur, tota ferme tartaream consistentiam, silices & nigros lapillos referentem; pituita vero acida & Mercurialis fermentationi & appetitui excitando utilis est.

Cui etiam rei non inepta est melancholia, quæ acidi humoris, & sanguinis veluti fex est, analogiam quandam habens ad acetum ex vino factum; primæ enim ciborum contritioni ac concoctioni inservit, virtute ignis cujusdam interni & vitriolati, in hujusmodi humore acido delitescentis, qui à calore ventriculi suscitatus, prompte & expedite cibos conficit ac destruit, & tanta vi interdum absumit, ac devorat, dum superabundat, ut famem caninam aut lupinam plerumque inducat; sed placet de hoc aliquantulum fusius agere.

## *De Humore Melancholico.*

HUmor Melancholicus, seu potius vitriolatus, est sanguis ob deperditum spiritum æthereum, seu potius fixatum, acefiens; idque fit simili planè modo, quo vinum quod ob deperditas, seu potius & rectius, fixatos spiritus æthereos acetum evadit, quomodo autem sanguis spirituosus, æthe-

æthereo habitu privetur, aut potius ab ipſo fixetur, docet ſanguinis circulatio, qua fixantur ſpiritus illi ætherei conſtanti motu, & ſuperantur à fixo quouſque per venas deductus, melancholiam acetoſis & ponticis qualitatibus præditam, vitriolati & aluminoſi naturam referat.

Nimirum vitriolum & alumen, quidem ſunt inſtar ignium terreſtrium, aëreis & æthereis ignibus ita oppoſitorum, ut ex iis aqua vitæ nulla arte extrahi poſſit. At ſi quid primo ex eo prolicitur, illud prope inſipidum Phlegma eſt, à quo corrigitur, & veluti coërcetur, cujus tandem conſortio ſi fuerit privatum, eam acrimoniæ violentiam adipiſcitur, ut ſaxa, nec non ipſa metalla, vel denſiſſima, vel ſolidiſſima, perfringere, ac erodere valeat: & ſi à ſimili ratiocinari liceat, humorem videlicet melancholicum dicerem à proprio phlegmate ſpoliatum, eam acerbitatis & acrimoniæ vim contrahere, ut deſinat amplius naturalis cenſeri, ſed præter naturam haberi, ut quæ omnium acerbiſſima, graviſſima, & exitialiſſima, in corpore humano ſymptomata inducat. Si quidem aquæ fortes ex vitriolo, alumine & nitro conflatæ, naturam aquæ fortis redoleant. Duros etiam effectus imitatur, ſiquidem eo modo, Orexes, modo Caninam famem aut rabiem excitat, nam cum ea in ventriculo copioſius congeſta fuerit, non modo melancholiam illam, quam hypochondriacam vocant, excitat, ſed meninges & pericranium invadendo, mens perturbatur & delirat, & modo per anarrhopen ſurſum ſublatus humor, modo per catarropen deorſum, varia eaque prodigioſa & ſtupenda teſtimonia de ſe exhibet: ut ex inſania & variis cerebri paſſionibus apparet, qui quidem effectus ſiccitati, humiditati, frigiditati, aut calidati humorum aſſiſtentibus quidem, at non efficientibus tribuendi non ſunt, ſed cauſis ad quas ſupra ejuſmodi affectus revocavimus; ut ab exemplis propoſitis cognoſci poteſt: ita ut hinc inferam, (quod pace magni illius Galeni, celebriumque ejus ſectatorum dictum ſit) male humorem hunc melancholicum cum fece vini & amorea olei conferre ſtatuit, cujus receptaculum ſplen conſtituit, ſiquidem hujuſmodi humor, nunquam in liene ſeorſim deprehenſus eſt, cum nullum in liene à natura proprium deſtinatum ſit iſtius humoris Phylacium, quale bili in fellea ciſtide ad jecur deſtinatum eſt, ut ejus opera in jejunum inteſtinum exundanter, tanquam ab aloe provocata, expultrix facultas, aut à Rhabarbaro Cholagigo, quod corpus humanum vitioſis humoribus, & craſſioribus excrementis quotidie repurgat; nam non ſic ſpleni conſultum eſt, in quo quidem acetum, ſanguinis naturæ liquidæ, non autem terreſtris,

ſtris, ( quod de Melancholia naturali dictum velim ) ingeneretur: nuſpiam tamen craſſum & fœculentum quid, aliquam illius propriam partem occupat, quin per totum ipſius ſpongioſum corpus diffunditur, ut ſic corpus ejus hoc humore acido & acri perfuſum, tanquam fermento in raram & ſpongioſam naturam attollatur; ut in pane videmus fieri, qui fermento maceratus, attenuatur, ac levior & ſpongioſior redditur, cum ſecus futurus eſſet gravis, denſus & ponderoſus, ſi eo deſtitueretur: ut autem acetum vini non niſi poſt fixatum ſpiritum ſulphureum vini, acidum fit, ſic Mercurialis vini eſſentia quæ prius propter ætherei ſulphuris præſentiam vires extendere non potuit, fixato ſulphure acefcit, quia ſalem Armoniacum volatilem & aereum, nec non vitriolatum retinuerit, quem ſibi ſemper habet latenter conjunctum, à quo qualitatem & vim longe obtinet aliam, quam frigidam & ſiccam, ſed modo dirimentem & reſolventem potius ea quæ durioris ac fixioris & ſolidioris ſunt ſubſtantiæ: modo coagulantem, quæ mollioris & magis ſpiritualis ſunt corporis, ut alibi apertè demonſtravimus: ſic etiam de humore melancholico in corpore noſtro dicendum; fixatâ enim prius dulciori ac ſuaviori eſſentiâ, reliquum aceſcere, certum eſt, & eaſdem facultates, quas acetum non frigidas & ſiccas, ſed longe potentiores, à ſale ſuo obtinere, & in actum tandem producere. Omnis autem melancholicus humor, quatenus humor, craſſum quid aut terreſtre dici non poteſt; fluidæ enim & liquidæ naturæ eſſe, neceſſe eſt, nec à terrea natura calcinationem & aduſtionem, acrimoniam, quam in ea deſcribimus, nigredinem, acredinem, fermentationem aſſequitur. Sed à mixtione ſalis cujuſdam volatilis ammoniaci ſubtilis atque acris, acidi ac vitriolati, quem in ſe ſolutum continet, quique eſurinus, & provocando appetitui condimenti loco eſt, & ignis naturæ admirandæ proprietatis, concoquentis, digerentis, devorantis, abſumentis, aliaſque id genus obeuntis, intra momentum temporis, quia nullus alius ignis, ſola caloris qualitate & vi, vel intra longum temporis ſpatium, præſtandi vim habeat. Tantum itaque abeſt ut hujuſmodi melancholia, fex & amurca dici debeat, omniumque humorum craſſiſſima & terreſtris, maximè qualis nobis depingitur, atra, aliquod tamen experimentum, quod talem craſſitiem in liene deprehendi conſtet. Præterea quod ſi ex melancholia in liene comprehenſa, calculos coagulari & indurari ( ut bilis in felle, quæ ferme tota indurari videtur ) ullo experimento hucuſque comprobetur ( qui tamen lien interdum obſtructionibus ſcatet, unde ſchirri naſcuntur ) neutiquam

quam humori melancholico simpliciter hujus rei causa tribuenda est, sed variis aliis impuritatum & tartareorum aliorum humorum mixtionibus, ex quibus etiam in hepate aliisque visceribus hujusmodi Schirri generari videntur.

## *Cognitio Humoris Melancholici, seu potius vitriolati, ex Anatomia Sanguinis.*

DOcuimus alibi, quomodo à vino efficiatur spiritus æthereus, aliæque variæ substantiæ, quales sunt acetum; & ex hoc liquor acidissimus, & ex fecibus liquores mordacissimi, spiritus nitro sulphureo feculenti, &c: Simili prorsus ratione minister sedulus naturæ, quæ omnem humanæ Philosophiæ perfectionem multis parasangis transcendit, imitatione ex massa quoque sanguinis dulcissimi, extrahere novit aquam vitæ Cœlestem, acetum nectari nostro vivifico consentaneum, ut & serosam quandam & insipidam humiditatem, (Phlegma vulgo dictam) quin etiam liquorem simpliciter acidum; quique eadem plane qua de vini aciditate dictum est, ratione, & acidissimam & penetrantissimam, elevare aciditatem potest, qua separata, ex massa eadem, emergere videbit feces nigras, acres & corrosivas, in quibus diversis substantiis, spiritus varii, (non aliter ac de vino dictum est) vaporosi, halituosi, aut sulphurei, salsuginosi, acidi, dulces, acresque continentur: qui si admirabili naturæ vinculo & harmonia invicem colligentur, tantum abest ut in naturali œconomia turbas ullas dent, & seditiones moveant; ut potius animæ vehiculum, & corporis vinculum existant arctissimum.

Quando vero dulcis illa humorum harmonia interpellitur, illique temperaturæ terminis egressi vires sigillatim possident, in summo gradu excellentes, nec mutua activitate retusas, naturæ imprimis obsunt, eamque de suo statu dejiciunt. Hinc fit ut Hippocrates de veteri Medicina, supra citatus terminis *acidissimi, dulcissimi, amarissimi*, nihil aliud quam immensum spirituum robur, naturæque noxium innuere voluerit; cum inferius subjungat: *atque hæc quidem hominem lædunt.* Item: *Ubi vero quod horum secretum fuerit, tunc est conspicuum, & hominem lædit.*

## *Cognitio Humoris Melancholici, seu potius vitriolati ex Anatomia aceti.*

ACetum simplex non parum habet cum humore acido Melancholico corporibus nostris insito similitudinis & convenientiæ, verum quoniam sufficiens humoris istius Melancholici copia, vix ac ne vix quidem haberi potest ad opus aliquod Chemicum molliendum; à natura animalis ad vegetabilium transeamus, ut utriusque collationem, aceti nimirum & prædicti Melancholici humoris, nedum in solo gustu, sed in aliis etiam amborum facultatibus aperiamus. Imprimis igitur acetum, ex liquore omnium suaviori, magisque nutritivo & naturæ familiari elicitur, vino nimirum, nec vino tantum, verum etiam à cerevisia hydromelitæ vinosæ, & quovis in summa nutritivi humoris genere. Acetum ergo hoc commune, licet è vino fiat, alimento plurimum nutritivo, minime tamen vires naturæ lapsas reparat, eo quod spiritu vitali spolietur nuper fixato, in quo præsertim facultas illa inest, spiritibus nostris consentanea & ad nutriendum accommodata.

Inde fit ut quidam, quorum Princeps est Galenus, acetum, vinum mortuum appellent, nec idcirco tamen liquor ille naturalis esse desinit quamplurimis naturæ aptus intentionibus, sicut inter alia appetitui exacuendo valeat, ut taceam, quod & supra noxam bibatur.

Huic aceto vegetabili qualitatibus respondet humor corporis nostri, Melancholicus dictus, qui licet naturaliter, à sanguine proveniens, ut sanguis tamen minime nutrit, tamen aceti instar alius, ex liene per vas breve & venosum genus, ad ventriculi inferiora delatus, aciditate vel potius acidis quos continet spiritibus, ventriculi orificium superius, numerosa nervorum serie & sexta imprimis conjugatione propagata, vellicando, primo sensum excitat, hoc vero ipso dein appetitum animalem exacuit. Cæteras vero quas habent conformium qualitatum inter se similitudines, sciens prætereo. Hujus aceti aciditas per artem solo balneo Mariæ miris modis intenditur, diciturque tunc acetum destillatum, quod & ipsum Phlegmate suo liberatum, in longe majorem acrimoniam & vim dissolvendi exaltatur. Qua dissolutione perfecta, feces colore nigro, ac sapore acerrimo in fundo residentes, tantam corrodendi vim possident, ut de spiritus salsis & tarta-

tartareis, maximè corporalibus ac causticis, participare haud obscure intelligantur: simili plane ratione natura à nemine edocta, & ad cujus imitationem ars, quicquid laude dignum præstat, molitur hypochondriorum calore balnei tepore, sæpe numero longè excedente in separatione substantiarum liquoris hujus acidi, naturalis succi, videlicet Melancholici, ac cum aceto vegetabili plærarumque qualitatum similitudine participantis, partibus tenuioribus, magisque aëreis evaporatis, ipsumque quodammodo (ut Hippocratis verbis utar) commutat in acetum destillatum, acidissimum, tantoque dissolvendi ac consumendi robore præditum, ut momento quasi solidissima quævis metallorum corpora corrodere possit, ac loco naturalis caninam expetentiam excitet.

Feces vero hujus humoris Melancholici in separationis fundo residentes, tam colore nigro, quam proprietatibus reliquis, acrimoniâ imprimis, aceti feces æmulantur: estque hic atrabiliarius dictus, maximè contra naturam morbos generans, & Curationis longioris, cum symptomatum vehementia famosus. Atque in his quidem analogia, & proportio aceti, vini vegetabilis, cum sanguinis aciditate consistit. Principalis verò noster hoc loco scopus est, ostendere acidam qualitatem remissiorem aceti simplicis, intensiorem destillati, intensissimum vero ac plane erodentem fecum, nec ab excessivo calore, aut frigore, neque etiam intensiore dependere aciditate, vellicante; sed à quibusdam potius spiritibus, quorum alii quidem naturali aciditate vellicante sunt præditi; alii vero qualitate salsuginosa, eaque mordicante & erodente. Illi porro spiritus in fecibus prædicti aceti delitescunt, quorum facta separatione manifestum evadit, facultates seu qualitates dissolventes supra dictas, neutiquam à materia seu qualitatibus Elementaribus, sed à sola procedere forma seu spiritibus, quæ cum non magis in separatione partium aceti, quam ipsius aciditatis sanguinis nostri locum habere ostendant, non immerito, singulas quoque ex utriusque conclusione elicimus. Profecto si Galenus, vir alioqui ingenii ac subtilitatis miræ, voti sui (quod ex libro primo de simpl. Medicorum facultate, cap. 19. colligi potest) compos factus fuisset; hicque modum separandi diversas in aceto substantias, non minus quam Mulicularum vulgus, in lacte caseum à butiro, & serositate reliqua facili negotio separantium deprehendisset, aut saltem spirituum dictis substantiis inhabitantium, diversitatem, tanto profecto cum labore, ac ingenii defatigatione, frustra indagine suscepta, acrimonia aciditatis, aliisque in aceto dissolvendis causas, in nudis calidi & frigidi

frigidi qualitatibus, 20, 21, 22, 23, capitibus libri citati, minime attribuiſſet. Demonſtrationis autem noſtræ initium ducamus à fecibus poſt aceti deſtillationem in fundo vaſis reſiduis, humorique atrabiliario ſimillimis.

Harum fecum ſi libram, vel amplius in retorta vitrea cum recipiente probe lutato aperto igne, ( qualis ad oleum vitrioli craſſius extrahendum adhiberi ſolet ) deſtilles, aſcendentes primum videbis ſpiritus craſſos, ac inſtar nubium, ſpiſſos, & conſequenter corporeos, qui citra ignis diuturnioris ac continui violentiam, plane ſeparari nequeunt; paulò poſt verò oleum ſeu liquorem, mordacitate ac qualitate cauſtica, nec ipſi oleo vitrioli cedentem: terra in fundo remanens, ſalſedinem quidem aliquam, ad horum tamen ſpirituum igneam quaſi penetrandi ac diſſolvendi vim minime accedentem, nanciſcetur; ſimiles planè terreſtres ſpiritus in atra etiam bile continentur: fecibus nimirum, liquoris acidi aut melancholiæ naturalis, quos ob naturarum ſimilitudinem, ſpiritus appellamus corporeos vitriolatos, qui carnem in iis quos Carcinomata infeſtant, & oſſa quotidiano morbi incremento arrodendo depaſcuntur.

Quod vero ſpectat ad ſpiritus aceto deſtillato immiſtos, cum illi ſubtiliores naturæque magis inexplicabiliores exiſtant: Earum ſeparatio hactenus eſt difficilior, quatenus oculis ſubjici non poteſt: expertus tamen Chemicus, cujus ſapientia & artificium ad ardua quæque extenditur, eoſdem ſine multo negotio eliciet.

Fit autem ſumendo uncias circiter quatuor ſalis tartari puriſſimi; huicque in alembico ſuper infundendo, libram unam aceti deſtillati optimi, ac deſtillatione gradatim lento igne ſuſcepta. Dictum acetum omni aciditate vique diſſolvendi ſpoliatum deſtillare videbis ſapore ab aqua communi non differente, eo quod ſpiritus ſalis acidi vitriolati, à quibus veluti ſubtiliſſimis omnem ſuam virtutem mutuabatur, & à quibus præterea aliter ſecerni non poterat, ejuſdem ſalis tartarei beneficio retinentur: Natura quippe ſimili gaudet, prout antea declaravimus; & quod inde deſtillatur eandem prorſus quam aqua dulcedinem retinens, parum admodum de ſua imminuet quantitate: de libra namque una aceti, pauca ſolummodo grana ſalis volatilis & acidi detrahentur, quæ totam illi diſſolvendi virtutem, & aciditatem, in prædicto ſale tartareo remanentia ſuppeditabant, & ſalis pondus augebant: quod ſi vero acetum hoc ipſum ſæpius cohibendo, videlicet ad novem vices, contemplaveris, tertia & quarta vice colo-

colorem succi granatorum post viginti quatuor aut circiter horas inducet, à perfecta destillatione odore fragrantissimo præditum; qui tamen odor & color, post aliquot dies facessit in turbatum, & confusum colorem, absque sapore aut odore; qui suis usibus tamen non spernendis, in dissolutione Philosophica non caret: qui autem jam salem istum in præstantiores usus velit, ad sublimationem reiteratam accedat, & spiritum suum sulphureum sibi jungat, & habebit ad plures & non contemnendas naturæ operationes introitum. Simili non admodum ratione aqua vitæ optimâ multiplici rectificatione (si mihi absque arte loqui liceat) naturam quodammodo igneam, vel acrem adepta, omni tamen virtute acri extingui potest, ita ut instar aquæ fontanæ destilletur prorsus insipida; sed Philosophica nimirum id præstatur destillatione, detrahendo ei spiritum, id est sal Armoniacum sulphurulentum, & ignea ista seu ætherea natura, licet ex integra aquæ vitæ libra extracta, paucula tamen grana non superabit. Atque hoc Armoniacum sal sulphureum volatile ac spirituale, à vero Philosopho ad tantam activitatem perduci potest, ut solidissimum etiam metallum, radicali interim ejus humido minime destructo, in momento oculi calcinet: hic namque est ignis naturæ cœlestis, animans & vivificans, igni nostro communi destructorio è diametro oppositus. Horum ergo spirituum ex diversis vini partibus (aceto nimirum aquæ vitæ, & fecibus reliquis) extractorum excellentiâ, agendique imprimis robore demonstrato, in massa quoque corporis nostri sanguinea pari ratione, non solum tres humores, numero distinctos; verum ejusdem insuper planè cum dictis roboris & efficaciæ munere, consentientes agnoscimus. Sed cum jam satis dictum sit de humoribus, tempus est ut etiam aliquid dicamus de qualitatibus, & ut qualitatum differentias discutiamus; dicendo, quasdam qualitates esse ante corpus, & quæ progrediuntur in corpus, & corpus constituunt, & sunt qualitates sive accidentia essentialia, aut Hypostatica, hoc est substantifica immediatè, ab authypostatis, hoc est se instantibus progredientes; & tales sunt seminariæ rationes omnes, ut est spatium, lux, calor nativus; quæ quidem non in Categoria Qualitatis, sed substantiæ collocantur, & istæ sunt qualitates vivificæ, activæ, & corpora omnia durissima & strictissima penetrantes: aliæ autem sunt qualitates accidentariæ, destructivæ; &, ut Author noster vocat, qualitates rellolaceæ, quasi heterostata stantes, ex aliis, nobilioribus & prioribus quasi sublocatæ: ut Authoris vocabulo hic me accommodem. Et istæ qualitates corpus

destruunt, non actione, sed actionum dissensione, & terminum constituunt reditus, aut conversionis effectus ad suas causas: tales sunt calor, frigus, humiditas & siccitas. Et sunt corporibus posteriores, & corporum imagines, & umbræ, non à seipsis actum habentes, sed ab Hypostaticis naturis, corporum quasi immaturis fœtibus derelictæ. Hypostaticæ autem naturæ censentur, non solum substantificæ illæ qualitates, quæ sunt in virtutibus seminariis rerum, sed etiam quæ sunt in primis principiis concretorum Elementorum, ut sunt Mercurius seu fluor, ignis & aër: & aliquo pacto sulphur & sal erunt principia Hypostatica, sed non propria Hypostatica corporum; sunt enim ipsa corpora, & per consequens heterostata; sed corpora sunt activiora, sicut immediatè ab hypostaticis principiis corporum progredientia. His ergo positis, quæ omnem obscuritatem verborum auferre possunt, dicam, quod colores, odores & sapores immediate profluunt ex sale & sulphure, ut Elementis activis, sapores à sale, odores & colores à sulphure, ut qualitates essentiales, quæ immediatè cum incorporea substantia sali & sulphuri ab aëre, igne & Mercurio communicantur: ergò priùs fuerunt qualitates istæ substantificæ in fluore, quam in igne; & prius in igne quam in aëre, & prius in aëre quam in sale; & prius in sale quam in sulphure.

## *De Sapore, Odore & Colore.*

DEmonstratum est, secundum Chemicos & Veteres Philosophos, omnium rerum facultates ac proprietates specificas tribus illis hypostaticis rerum omnium principiis potiùs, quam qualitatibus primis Galenicis, aut earum mixtioni, quam alii à Chemicis adscribi & acceptas ferri; sali nempe & sulphuri, ut à Mercurio hypostatico principio promanantibus: quorum singulorum natura abunde, & ad rem excussa est; & ante me, à nullo, quod sciam, à suis primis principiis, immediatis, veris & concludentibus, demonstratis; ut repetitione ulteriori non sit opus. Præterea differentiæ singulorum illorum principiorum, salium varietatibus; saporum varietates attributæ, sic odorum & colorum discrimina, sulphurum differentiis adscripta, à Mercurialibus spiritibus, ut à radice promanantibus, quorum omnium tres sunt primariæ, ac præcipuæ qualitates omnium facultatum ac proprietatum parentes, ac radices; ut ex Dogma-

ticorum

ticorum etiam sententia demonstratur. Verum cum Dogmatici, ut alias qualitates, ita & sapores, odores, & colores, ab Elementis derivent, quod dissidium antea fuit, & adhuc erit enucleandum. Constat sex præcipue dari salium genera, quæ in tria rediguntur, fixum, mediæ naturæ, & volatile: ex tribus istis variis salium generibus triplici illi causæ rerum communibus, sapores omnes deducuntur: ut ad calidum, frigidum, humidum, & siccum, non sit opus recurrere: sal fixus & simplex, ut citra commixtionem consideratus, saporem salsum simpliciter efficit; sulphureus sal, simpliciter etiam intellectus, ut saliginosum dulcem saporem exhibens; & sal Mercurialis, sic seorsim & simpliciter conceptus, acidum saporem repræsentat; qui tamen simul sapores æquis proportionibus ac viribus Anaticis permixti, gratum saporem in universum exhibent, qui nullius particularis vere sensum ac gustum præ se fert. Cum autem alibi jam docuerimus, tria ista principia in mixto corpore simplicia non posse deprehendi, usque adeo simplicia, aut corporis expertia non sunt, quin compositionis aliquid habeant; & secum inter se qualitates suas promiscuè communicent, ut ex sale Marino, & sale Petræ patet: in quibus præter salsum saporem, acidum etiam & dulcem contineri, ac separari, facile est percipere in sulphureis rebus, aut oleosis; nec non in liquoribus Mercurialibus ejusmodi etiam saporis conjunctionem inesse certum est: idcirco asserimus, omnem salem fixum corporis mixti, salsuginosum maximè esse & amarum; sulphureum vero, sapore oleaginoso & dulci stipari, & Mercurialem acido, acri, & igneo; ita ut ex tribus illis simpliciter sic dictis qualitatibus, salsa, dulci & acida, quæ in omni corpore mineralium, & vegetabilium & animalium comperiuntur, alii sapores omnes pendeant: nec ad hanc rem parum conducunt, tanquam organicæ ac instrumentales causæ Elementares, illæ qualitates passivæ, terrestris nimirum ac sicca passiva qualitas, atque frigiditas, & aërius humidus vapor, quæ hujusmodi sapores & qualitates potentes, ex tribus illis principiis prognatæ, ad hanc vel illam naturam promovent, aut contra infringunt, ac enervant: quod ut apertis rationibus confirmemus, atque ut oculis ipsis subjiciamus, rem totam à corporibus mixtis ordiemur. Diximus saporem privato quodam jure, salibus aut eorum spiritibus adscribi; quod aperte hinc elucet, quia saporum discrimina non nisi ex salium differentiis, aut vice potius versa, salium differentiæ ex saporum discriminibus producuntur. Qualitates enim specificæ possunt corpus producere, & in sinu naturæ diversæ, tot propemodum salium

lium genera componere, quot saporum varietates in salibus, fossilibus ac Marinis reperiuntur: nitrum, nempe, amarum; alumen acerbum, vitriolum austerum, armoniacum acidum, & dulces sales, qui non tantum in manna & saccaro manifesti sunt, sed & in sale Marino, vitriolato, delitescere dico. Nec non moneo in singulis horum salium, tria ista simul principia prima conjuncta convenire, æthereum nempe, seu aëreum Mercuriale, aut spirituale, quod acidum est, & acriter terrestre quod austerum est, & amarum & oleaginosum, seu dulce, quod, intermedium est.

In solo vitriolo aperte conspicitur (quod omnium salium maximè corporale est, ut alibi dixi) acre, acidum, acerbum & astringens. Quia vero permixti sunt sapores, aut qualitates cum passivis & Elementaribus, qualitates singulorum illorum, integram vim non habent; at debiliores ex mixtione redduntur; acre siquidem (quod non nisi vi ignis cum parte aërea extrahitur, ac separatur) Mercuriali liquori immixtum est, acidum Phlegmati, aut aqueo humori, & acerbum seu austerum, terrestri siccitati; quæ quanto plus qualitatibus elementaribus, iisque passivis abundant, tanto magis enervantur ac languent. At si activæ qualitates à passivis secernuntur, ut arte fit, tum acre & acidum, intus vim suam obtinent, ignesque suos aperte ac plane lingua inurunt; aëreæ quidem, igneæ ac adurentis qualitatis magis participes, acidum vero aqueæ proprietatis. Acre enim, ut jam ex dogmaticorum sententia explanavimus, de natura ignis participans, virtutem admodum attenuantem obtinet ac dissipantem, atque etiam erodentem; acidum utpote parum aqueum, tenuium admodum partium, incidentem & aperientem, refrigerantem, nec non putredines arcentem; acerbum & austerum quæ restant, (post acris oleosi & acidi aquei extractionem) aëriarum partium, Elementarium, & qualitatum naturam possident, & vim qua incrassant & adstringunt, ex substantia terrena, & crassa proprietate obtinent.

Qui autem ex terrestri illa parte, ab impuro purum, quod sal est, extrahere cupit, salsum saporem habebit, cujus virtute & dejectivum & vomitivuum reddetur. At in sulphure dulci vitrioli, conspicua est dulcedo, quæ plane narcotica est.

Denique in omnibus plane salibus, congrua anatomia dissectis, tria hæc animadvertuntur; acidum, dulce, salsum seu amarum; quæ agentium qualitatum vim habent, non tamen humido passivo terrestri & crasso destituta; sed iis vario modo sic perfusa, ut saporum varietatem salibus inducant.

Atque

Atque hæc fit demonstratio, quia constat varias illas saporum differentias, aperte in salibus, & conjunctim & separatim, præsertim in eorum spiritibus, contineri; quas ex Chemicorum sententia, facultates, virtutes ac proprietates innatas, vocamus: frigido autem, calido, humido & sicco esse arrogandas; utique negamus; at essentiales qualitates, salsæ nempe, amaræ, austeræ, acerbæ, acidæ, acres, dulces & oleosæ, solæ activæ sunt. Sexcentæ enim frigiditates, sexcenti calores, humiditates & siccitates, nec salsum, nec amarum, nec acidum corpus ullum reddent; aqua enim pura aut simplex, aliisque succis aut salibus destituta, saporis nullum unquam sensum conciliavit.

Quicquid sale caret aut spiritu salino, nulli exhibere suum gustum unquam potest; at si simplex aqua cineribus infundatur, & permisceatur, salsedinem, amaritudinem, majoremque vel minorem acrimoniam aqua illa tandem contrahet, secundum naturam salsi, magis aut minus salsi, aut amari, qui in cineribus continetur. Quod si dicat adversarius, mel & saccarum coctione, vi ignis aërea, aut etiam amara reddi posse; respondemus, id quidem fieri, dum aëreæ & sulphureæ, & aqueæ partes, quæ dulcedinem inducunt, ac tuentur, ex coctione illa pereunt: cujusmodi est narcotica papaverum qualitas, atque id genus aliorum odorum, quæ narcotica sunt, ac fœtidi odoris: quæ quoniam cerebrum stupefaciunt, ac consopiunt, solet à Medicis qualitati frigidæ tribui: ubi legem tamen suorum axiomatum infringunt, quibus odores qualitatibus calidis adscribunt, ut verissimum est. Quod vero in papaveribus narcoticum est, atque opio, id nihil aliud est quam pars quædam oleosa ac sulphurea, flammam concipiens, (quale olei genus ex hyoschiami & papaverum seminibus extrahitur) quæ tamen etsi prompte ardet, effectus tamen quam frigidissimos, ut vulgus opinatur exerit. Quam quidem frigiditatem opio attributam, ut corrigant vulgares Medici, calida addunt, ut videre licet in eorum remediis opiaticis, aut antidotis, in quibus opium ingreditur. Hujusmodi compositiones Mirepsus plures quam octuaginta describit. Euphorbio & adurenti facultati non minus parcitur, quam utrique piperi, aut id genus aliis causticis, & summæ caliditatis. Cum tamen verum & genuinum Opii correctorium (ut ita loquar) ab Hermeticis probè cognitum acetum sit, quod vapores aut halitus narcoticos arcet, ne ad cerebrum evehantur; sic illos aciditate sua comprimendo, ut eos retineat; econtra vero illorum calida, ultra quod vim naturæ inferant, illos magis suscitant ac multiplicant; unde sinistra

prorſus ac exitialia ſimptomata inducant, ut hac ratione adverſus ejuſmodi Medicamentorum uſum, & perniciem neceſſe fuerit ad Empiricorum Laudanum, quamvis imperfectum refugere.

Nunc de coloribus aliquid dicendum, quorum ne quid detrahant Dogmatici de qualitatibus ſuis, varietatem quandam colorum ad ipſas referre ſolent, at obſervationes quaſdam admodum leves ac futiles notarunt: ut cum dicunt, in cæpa alba, & vino albo, ex colore frigiditatem majorem indicari, quam in cæpa rubra, aut vino rubro, at ſublimatum & arſenicum album etſi candidiſſima ſint, inſtar cryſtalli, ſub iſta tamen albedine ardentiſſimum & exitialiſſimum ignem fovent; quin & ipſum ſaccarum, uſque adeo album, ſuave ac dulce, in penitioribus ſuis partibus, miram tegit nigredinem & acrimoniam, ex qua poſſunt aceta fortiſſima, & Regiæ velut aquæ erui, quæ metalla quævis duriſſima ſolvant ac comminuant: abſurdum ergo fuerit dicere, à calido & frigido colores effigiari, qui ex ſolis ſpiritibus vel tenuiſſimis vaporibus ac aëreis in ſale latentibus proficiſcuntur, præſertim in eo ſale, qui natura ſulphureus eſt, quale eſt nitrum aut ſal petræ; ut vocant, ſicut in tractatu de ſale nitri, in Philoſophia, imò à Pyrotechnica deſcripta videtur, (qui optime depuratus, nivis inſtar candidiſſimus eſt:) aperte docui ex hac albedine infinitos varii generis colores prodire ac elucere, qui varietate omnes omnium colorum opolas ſuperant, qui colores ex ſolis ſalis petræ ſpiritibus prodeunt; compactiſſimum etiam vitrum penetrantibus, ac in volatilis farinæ ſpecie inſigniti omnibus coloribus vi ignis extruſis, & in ſuperficie Alembici vitrei adhærentibus, perſpicui, ex quibus coloribus totum etiam Alembici corpus infectum, ac linitum videre liceat, tam in intrinſeca, quam extrinſeca ipſius ſuperficie; quique tam varii appareant, ut verno etiam tempore omnibus ſuis veſtita coloribus, tellus multitudine & varietate colorum his cedat. Hinc liquet, iſtam colorum omnium diverſitatem ex ſpiritibus non eſſe petendam: quum alias omnes rerum omnium proprietates, ac virtutes ad eos eſſent referendæ; ſi igitur iſtorum fundamentum ſuper tria principia, eorumque ſpiritus ponatur, firmum utique ac ſtabile futurum eſt: ubi etiam non fuerit opus in alicujus cauſæ ignoratione ad occultas proprietates confugere. Hæc omnino doctrina, ut certiſſima & veriſſima, ſi excolatur, addiſcatur, & omni ſtudio excutiatur, Hippocratis etiam illius magni, nixa authoritatibus, omnes mentis noſtræ tenebras facile diſcutiet, lucem clariſſimam afferet, difficultates omnes ſubmovendo. Ex ea enim ſchola certiſ-

ſima Theoremata, & axiomata, citra tot diſtinctiones, depromuntur, quibus ut apertiſſimis, & firmiſſimis, nihil opponi poſſit; quin uſque adeo conſtanti muniuntur veritate, ut citra omnem controverſiam, ab æquis judicibus uno conſenſu facile admittantur, ac recipiantur. Exemplum de aceto ſumi poterit, de quo, quid certi ut aſſerant, nihil habent; imo multi etiam magni nominis Medici; ſed ſi interna ejus Anatomia ſpectetur, & partes ab invicem ſeparentur, ubi refrigeratio, inciſio, diſſolutio, ebullitio, oriantur, facile pateſcet.

Et hic eſt finis Capitis Septimi, continens appendicem principiorum Corporis; ex qua Analogiâ fundamenta totius doctrinæ Peripateticæ inveniuntur, ſuper quæ Galenus ſuam, tum veterum Philoſophorum, ſuper quam Divinus Hippocrates, Paracelſus, & Author noſter ſuam Medicinam ſtabiliverant; quibus ſi acquieverint plurimi hujus ſæculi Philoſophi Peripatetici, & Medici, non ſeſe & illorum Philoſophiam riſui exponent, vel tales erunt. At illi qui ſalem igne animatum, principium corporum, à ſale vulgari diſtinguere neſciunt, qui itidem ſulphuris & Mercurii originem ab illorum rudibus imaginationibus deducendo, diſtinguere neſciunt, cum tamen volunt experimentis pluribus inniti, & quamvis ubique rudem rerum naturalium imperitiam, & qualem ne vel à Ruſtico quidem ullo exſpectare debemus, ubique venditent; ita tamen pertinaces ſunt, ut reluctantibus ſenſibus, nullis experimentis Chemicis quibuſcunque, habere fidem unquam velint; ſi contra illorum præconceptam opinionem aut imaginationem, vel minimum pugnare videantur: imò tam obſtinati ſunt, ut vix fidem ſenſus amplius inveniant. Ad quorum pertinaciam nihil quidquam aliud reſpondendum, quam quod Doctiſſimus Joannes Fabricius, in narratione ſua de maculis ſolaribus, ingemiſcendo, protulit; ita referente Doctiſſimo Joanne Hevelio, admirandi ingenii & doctrinæ viro, in ſtupendo & multis inauditis obſervationibus abſoluto, & incomparabili opere Selenographico: *Prob eo progreſſa eſt pertinacia noſtra, ut ſenſus etiam vix amplius fidem inveniant; quin imo imaginatio tantam habeat cenſendæ veritatis prærogativam, ut vix permittamus exemplis à ſenſu doctis revinciri noſtras obſtinationes. Hoc enim pleriſque noſtris innatum eſt, ut licet errore demonſtrato cauſa deciderint, non tantum non cedant, ſed genu etiam pugnent, adverſus manifeſtam veritatem.* Interea licet experimentis Chemicis minime fidant, nec rationibus inde deductis, iraſci tamen propterea nolumus: ſed pertinacem obſtinatumque animum,
relin-

relinquemus: modo ne ſenſibus oculiſque qui multa illis incredibilia in natura bene fundata denegant, & qui nos ad talia credenda incitant, commovent & propellunt, & in judicia bene fundata oppugnant, & in alio loco plerumque adverſus luculentas veritatis demonſtrationes, nihilo fortius ſeſe muniunt, quam ambitioſa Ariſtotelis authoritate; in qua ſibi talem ſtatuunt ſuæ ſcientiæ ſecuritatem, ut etiam in ejus fide univerſam Naturam oppugnent.

---

# ANACEPHALÆOSIS
## CAPITIS OCTAVI.

*Itaque generationem eſſe progreſsionem ſeminum aſſerimus, in qua ex fontibus, abyſsis & vitalibus tribus principiis, ordinata corporum explicatione, in hanc mundanam ſcænam definitis temporibus progredientia, individuorum renovatione ſpecierum perpetuitatem cuſtodiunt; fierique in hac liturgia ex inviſibilibus viſibilia, ex incorporeis corporea, poteſtate vitalis immortaliſque ſcientiæ, in univerſa natura vigentis; cujus efficientia, elementa & corporum principia, officiis conſentanea, colores, ſapores, odores, caliditates, frigiditates, humiditates, ſiccitates, magnitudines, digeſta tempora, & omnium corporum ornamenta admirando ordine producuntur; diverſos quoque generationum eſſe modos ratione Elementorum & ſeminum, adeoque in quibuſdam plane neglecta eſſe ſexuum diſcrimina, in nonnullis obſcura rudimenta apparuiſſe, in aliis vero ſexuum perfecta ſeparatione, individuorum proprietates, manifeſtius explicatas habemus.*

### *Analyſis Logica Anacephalæoſeos Capitis Octavi.*

DUm dicit generationem eſſe progreſſionem ſeminum, hic ordinem prædicabilium in generatione conſtituit; in quo à genere ſummo, nempe à ſeptem Entibus radicalibus ad ſpecies genericas, nempe ad ſeminarias rationes, & ab illis ad ſpecies individuas,

duas, ad fructus astrorum, quos corpora vocat Author, nempe ad principia corporum Hypostatica, nempe Mercurium seu fluorem, ignem & aërem, & inde ad corpora ipsa Hypostatica, salem & sulphur, descendit; & dicit, hunc ordinem esse ordinatam corporum explicationem, per quam specierum perpetuitas custoditur.

## *Enucleatio textus Anacephalæoseos Capitis Octavi.*

POstquam Elementorum radicalium conditiones, Capite quinto, seminum naturam Capite sexto, & corporum origines & proprietates inde progredientes Capite septimo exposuerat, quasi tres solidas columnas, aut naturæ fundamenta, nunc opportune hoc Capite octavo ostendit, quo pacto ex istis tribus ordinibus fiant rerum generationes, corruptiones & transplantationes, in magno mundo. De iis enim quæ in parvo mundo fiunt, Capite sequenti agetur; quæ omnia, quia mixtionis ope perpetuò utuntur, de hac etiam in hoc Capite tractandum. Primo de generatione loquitur, & dicit generationem fieri explicando corpora, quæ prius in vitalibus principiis implicata erant, quarum fundamentum in semine consistere ait, sicut semen in radicali materia; & dicit generationem & corruptionem fieri per semina, primo quietè in causis & matricibus, aut toto delitescentia, quæ separatione deinceps ad personatum mundanæ scænæ perficiendum instituta sunt, & mirabili scientia ita imbuta, & digestis temporibus, sicut jussit naturæ artifex; & quando constituit, prodeunt, ut generationum & corruptionum fluxus & refluxus moderantur, & dicit generationem esse corporum renovationem in magno mundo, per progressionem affectuum seu causatarum à causis, ad individuorum renovationem in tempore, quæ Author fontes, abyssos & vitalia principia non absque ratione vocitat, & de quibus virtute vitalis immortalisque scientiæ, in causis vigentis, quæ prius implicitè, occultè, insensibiliter in causis prius latebant, nunc explicitè, ordinatè, sensibiliter pro specierum perpetuitate custodiendæ in affectibus manifestantur, & horum fundamentum ait esse in semine, hoc est in speciebus incorporeis, quæ distinguuntur in corporea corpora seu spiritus corporeos, ut primis radicibus viciniores, & in corpora incorporea, seu corporeos spiritus ad corporum productionem vergentes, & quia corporum jam productorum renovatio fieri

nequit, nisi per veterum corporum depositionem, & assumptionem novi, dicit ista vetera corpora resoluta, nempe in spiritus, ad vacuum, hoc est ad causam vacuam corporibus sese convertere, sicut intelligit per assumptionem novi corporis seminum rursus progressionem, ut fiant ex incorporeis nova corpora: itaque cum ex seminibus seu spiritibus fiunt corpora, intelligit per progressionem seminum fieri ista corpora, quando etiam ex corporibus fiunt spiritus seu res corporeæ, tunc intelligit per conversionem causati ad causam: itaque dicit omnia naturæ dona esse immortalia. Proinde solvitur ex hac doctrina dubitatio de origine formarum; unde nempe veniant, & quo tendant, formæque nobiscum negotiantur, veniunt enim formæ sicut causatum à sua causa, nempe ab Elementis radicalibus, progrediendo ad semina redeunt, sicut causatum ad suam causam, hoc est ad Elementa radicalia, & cum ex istis naturæ duobus fundamentis, nempe Elementis radicalibus, hoc est incorporis & corporibus, nulla sit proportio & consensus, ut fiat generatio inter incorporum & corpus, debet esse medium, partipationis, aut internexus. Præterea inter incorpororum naturam, medium, nempe seminarias rationes hoc est incorporea corpora ponit Author, quæ cum incorporo consentire debeant, & corpora incorporea, quæ cum corporibus magis assimilantur. Itaque Sympathia harum extremitatum fit in seminum potestate, qua expellunt dissentanea, & consentanea adsciscunt: has causas Hippocrates Orcum, Orphæus noctem, quietem & tenebras vocat. Itaque Hippocrates, ait, *homines arbitrari quod, quæ hic aut corrumpuntur, aut pereunt, ad tenebras, ad orcum & caliginem festinent, sapientes autem aliter sentire affirmat, quod relictis tenebris ad lucem & vitam pergant*, & quæ hic in generationem *prodeunt, augeri videntur, quæ illic in corruptionem abeunt, diminui.* Ita dicit generationem & corruptionem esse fluxum & refluxum seminum, quæ dum fluunt augentur, dum vero refluunt diminuuntur, nihilominus vicissitudo & terminus utrorumque in natura fluxuum constituti sunt, juxta naturam seminum, quæ nihil præterquam quæ jussa fuerant ab initio facere aut augere possunt, & adfert Lunam pro exemplo, quæ quamvis crescendi & decrescendi varias vicissitudines induat; tamen perpetuam & incorruptibilem retinet naturam: ita quando dicit Hippocrates nullum animal mori, manifeste ostendit, se animalis appellatione, non hoc proprie intelligere quod ex carnibus, ossibus, ligamentis venit, & quod sanguine compactum est, sed hujus compositi speciem, alioqui si una species moreretur, omnes pariter corruerent,

ruerent, & vacuum in speciebus committeretur longe magis in natura flagitiosum, quam vacuum in corporibus. Itaque perenni hac rerum conspiratione, leges mundanæ conservantur: etenim quæ hic in provincia generationis lucent, ea absolvunt, quæ antea in noctis quieta officina ab exemplaribus decreta sunt, & vicissim quæ ibi vigent, horum fœcunditatem vitali continuitate, pensum suum absque sollicitudine aut dubitatione absolvunt, scientia ingenita, vitali & essentiali; & hæc est Hippocratis & Paracelsi prædestinatio, Orphæi fatum, ubi dicitur in ipsa naturæ essentia insitam esse legem, estque ipsa essentia quæ impellit & suscitat, semina vero progredientia ad illius legis in essentia contentæ imperium, ex potentiis Signaturas, qualitates, quantitates, in generationis opere proferunt, si vero aliorum seminum validis tincturis impeditæ fuerint, mixtione signaturæ mutabuntur, fietque quod non volunt semina, hoc est, erit transplantatio, quam sæpe & hic Author vocat Symptoma generationis: hanc doctrinam vocat Author, generalem generationis doctrinam, & dicit se postea ad singulas Elementorum familias descendere. Itaque quantum illustres generationum differentias ratione Elementorum concretorum & seminum nobis prodit, nempè essentiam quæ est in Cœlesti, ætherea, aquea, & terrestri natura, & dicit non esse difficile Elementorum, seminum & principiorum naturam, explicata generatione etiam processus demonstrare, & ut generationis processum accuratius expediat, dicit semen esse *Vitale principium, continens in se spiritus Mechanicos & tincturas universæ Anatomiæ propriæ speciei; quibus sibi fabricat corpus, colores, odores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras & reliquas signaturas consentaneas officiis, & prædestinationibus prædictorum spirituum & rei producendæ.* Et hæc omnia, ait, quia mundanam provinciam administrare debent, corpus sibi constituunt generationi aptum, quo contineri & conservari possunt, quod corpus primam materiam illius rei dicimus; & si miretur aliquis, quare nos inverso ordine dicamus corpora contineri in spiritibus, tunc illos ad considerationem invisibilis, & sensibilis naturæ remittemus, & invenient quod contineatur minus principale, fluens in eo quod non fluit posterius in priori, effectus in causis, simulachra in exemplis, corpora in spiritibus: ultima enim hæc invalida sunt ad causarum conservationem. Unde sequitur naturalium facultatum administrationem, posse absque corporibus absolvi, sed non absque spiritibus, qui vincula sunt utriusque, incorpororum nempe & corporum: Itaque hac ratione utriusque natu-

ram & proprietates oſtendere debent, deficere debent enim à puritate & ſtabilitate ſuperiorum, & inferiorum ſortem ſuperare debent, & hac ratione cauſæ ſecundæ ex prioribus gubernantur: quod ſi vero aliquando irritæ fiant generationes, quia rudimenta corporum adhuc ſunt invalida, & impreſſionibus aliorum ſpirituum expoſita, vel ſæpe quia locorum benigna fomentatione deſtituantur, & in hoc caſu corpora primo fugient ad interitum, ſpiritus vero in cauſis ſuis ſtabiliter manebunt: quod ſi vero impreſſiones in iſta rudimenta corporum moderatiores fuerint, tunc impreſſiones relicta generatione tranſplantationem aggredientur, tamen hos ſpiritus artificioſos, à fumis & vaporibus, qui ſcientia Mechanica, hoc eſt artificioſa, & ſcientifica conſtare debent, diſtinguit, & dicit hujuſmodi corpora quæ vicinitate ſpiritibus architectonicis, vel ſeminariis principiis proximè adhærent, hoc eſt incorporeis corporibus, materiæ primæ rationem obtinere, itaque ſpiritalis hæc materia imprægnata turget, & paroxiſmum profert, ante florum emiſſionem, idque in certis animalibus ſtatis temporibus, quibus gravida hujus materiæ effloreſcentias, & impetus, inde procedentes, alienata quaſi à ſenſu mente oſtendunt, & tam Hieme quam Æſtate, Vere, Authumno, æque imprægnantut, turgent, floreſque emittunt ſeminales illius materiæ: & hic flos verum ſemen eſt, & animalium principium, & continet in ſe ſpiritus Mechanicos totius animalis præpotentes, & ex hoc fonte prodit verum ſemen, & vigorem dat materiæ ſeminali, in teſtibus & vaſis ſpermaticis contentæ; quæ beneficio veri ſeminis viget: hoc autem corporeum ſemen, cruditati ſubjectum, generationis membra elaborant: nec exiſtimare debemus, in ſemine iſto materiali, partes eſſe diſſimiles; quanquam ſimilari ſpecie repræſentantur, ita, ut quod aliud ſit corpus cerebri, aliud hepatis; ſed iſtas partes progreſſu temporis, ex uno ſemine ſimilari, corpore, non virtute molis, aut corporis ſenſibilis, ſed ſcientiæ exituras: ita tanta eſt potentia ſpirituum, ut ſi ſcientiam cordis habuerint, cor, hepar, lien, conficient. In illa enim ſcientia ſunt proportiones, numeri, menſuræ, figuræ, Elementa, & corporum principia, & quæcunque ad Mechanicam generationis ſcientiam requiruntur. Dehinc in progreſſu capitis ad generationem vegetabilium tendit Author, & dicit, generationem vegetabilium manifeſtiorem, balſamum non tam ſpiritalem obtinere: vegetabilia enim corpora habent ſuccum viſcoſum, lentum & craſſum, habita ratione animalium. Et quamvis antea dictum fuerat, ſpiritus continere corpora: tamen hic familiario-

liarioribus loquendi terminis utendum, dicendo vulgato more, ſpiritus Mechanicos, generationum principia, in talibus vel talibus corporibus contineri. Continetur verò talis materia, in anatomia totius Plantæ, quamvis in quibuſdam particulis perfectius præparetur, & in vegetabilibus diverſæ ſunt propagationum viæ, aliæ ſurculis & vitis, aliæ ramis, ut ſalices & populus. Spontaneæ etiam multæ ſunt generationes, & in his vitale principium matricem occupavit conſtantem, qualis eſt terra: itaque anniverſaria fructuum & foliorum diſpenſatione, debitum naturæ perſolvunt, & quæ antea occultis differentiis, ſoli ſcientiæ notis deliteſcebant; jam vero, hoc eſt in progreſſu, deſtinatum officium explentes, tribus corporum principiis, ex quibus univerſæ partes conſtituuntur, egent, ut donorum varietates, quæ in ſeminum ſcientia prius continebantur, oſtendant, & manifeſtis corporum differentiis ſeſe explicent; & dicit corporum principiis egere, ut diſtinguantur principia Hypoſtatica corporis ab ipſis Elementis concretis, ordine, & officiis: ordine, nam quamvis multi ſalem & ſulphur pro principiis Hypoſtaticis corporum cum Authore conſtituant, tamen propter validas rationes, à me ſæpius allegatas, contrarium demonſtro. Non poſſunt enim ſal & ſulphur, cum ſint ipſa corpora, eſſe eodem tempore etiam principia corporum, & ſimul ipſa corpora: eſt enim Mercurius ſeu fluor, & rectè, principium corporis Hypoſtaticum, & principatum ſui ordinis tenet, & proinde eminenter, aut virtualiter ſicut cauſa, continet concreta ſui ordinis reliqua ſeu participantia: ſed cum incorporea præcedant corpora, erunt ignis & aër quidem principia proxima corporum Hypoſtatica, poſt fluorem aut Mercurium, & deinde ſal & ſulphur corpora activa, & Hypoſtaticis principiis proxima, & ultimo loco aqua & terra, paſſiva corpora, communiora habentia officia, & materiæ rationem obtinentia. Sed quia conſtantiam & ſoliditatem requirebant corpora, in mundanam ſcænam proditura, principiis, aut potius Elementis talibus concretis opus habebant; quod coagulationi corporibus opportunam ſoliditatem & ſaporem dare poterant: & hoc officium ſali datum eſt, & hujus beneficio lapidum, Metallorum, oſſium, arborum, durities & reſiſtentia fit; & adhuc, niſi plura corpora activa ſalium proprietate, per ſpiritus Mechanicos ligata eſſent, officiorum injuſta committerentur diſpendia: & proinde ſali, ſulphur; quod pingui inflammabili, & viſcoſa ſua ſubſtantia datum eſt, ut ſalis congelationem, & duritiem, benigna contemperatione moderetur, cui Mercurius ſeu fluor, aſſidua, ſpi-

 ritali

ritali irrigatione, salem & sulphur actionum frequentia, ad siccitatem & senium in horas festinantia foveret, fluidaque & labili substantia, mixtionem omnem facilem redderet: semina igitur in suis matricibus, fermentatione & alimentorum benigno affluxu roborata, radicum rudimenta, folia, caules, stipites, fructus, semina, reliquaque omnia suis signaturis ordinatè vestita, scientiam naturæ hominibus ostendunt, fœcunditatis & multiplicationis causam. Restat ut de Mineralibus nunc agamus, à generatione animalium, & vegetabilium multum differentibus: non enim seminis beneficio, individuorum propagatione speciem custodiunt, sed semina eorum & species in seminariis naturæ rationibus vigent, & ab illis destinatis temporibus prodeuntia, terminum naturæ absque ulla liberorum hæreditaria successione exspectant, nihilominus conservantur in nocte illa, Orphæi causa; nempe scientiarum & vitæ ubertate plena: in seminariis quippe naturæ rationibus, ibi singulæ suis temporibus destinatum exspectant fatum, quæ instantibus vitalibus principiis, & spiritibus Mechanicis comitatæ, mundanam provinciam, loca & alimenta familiaria petentes, ingrediuntur. Et quamvis vulgaribus hæc sunt intellectu difficilia, tamen hoc in loco non omnino omittenda. Nam sine horum notitia, novorum morborum generationes, ut luis Venereæ, pestis, sudoris Anglici, febris petechialis & Ungaricæ, & omnium Epidemicorum vix intelligi possunt. Primum igitur in Mineralium ordine considerandum venit, quod omnes vulgares Philosophi, fortuitam partium appositionem, & non seminis internam susceptionem, Mineralibus quam ineptissimè attribuant: secundò, quod vitam omnibus Mineralibus eodem errore auferant: quod autem non habeant fortuitam, sed internam seminis susceptionem, testantur tempora quibus maturescunt, & tempora effervescentiarum, venarum ordinatas progressiones, corporum regulares compositiones, ut in crystallis, in smaragdo, amethisto, ut in sale gemmæ, vitriolo, veneris gipsis, qui habent vel Hexaædricam, Dodeædricam, Octoædricam, & similes formas; quæ non fortuitæ sunt, sed constantes & regulares; & quæ non fiunt absque scientia, & directione rei non errantis, qualis est vita: imo & formæ illæ fiunt per motum; & motus est actio; & omnis actio à viribus, & vires à potentia, & potentia ab essentia, & vita est effervescentia essentiæ & actionum origo; de quibus legantur quæ à me tradita sunt in Elementis Philosophiæ meæ Pyrotechnicæ, Gallico sermone editis, Capite de mutuatione Elementorum cum quinque corporibus regularibus Geometricis.

cis, Semina vero Mineralium in ſuis abyſſis deliteſcentia, ubi digeſta tempora expleverint, cum ſpiritibus conjugium faciunt; ex quibus corpora tandem confici poſſunt, principiorum & concretorum omnium Elementorum ornatum in ſe continentia; loca verò, matrices & domicilia opportuna nanciſcuntur, & electione norunt: aves enim nidum dignoſcunt; & *ubi Cadaver, ibi congregantur Aquilæ.* Nam vires ſuperioris naturæ, ſcientiæ rationes ubique penetrant, & donorum varietate, ſcientiæ abditæ Majeſtatem proponunt; matricibus autem & locis repertis, corporum viſibilium & concretorum commercium admittunt, alimentumque attrahentia, ut poroſos fumos pro ſpiritibus oſtendunt, tunc Elementa Mineralibus propria ſimiliter, hoc eſt Mercurium Mineralem, ignem & aërem Minerales, ſalem, ſulphur, aquam, terram Minerales conſtituunt, quibus abſolutis, coagulationes, colores, & qualitates, quæ in vitalibus eorum principiis vigebant, proferunt, & metalla vel Mineralia his ſimillima producunt; hancque habent proprietatem, quod omnia illorum ſemina ſint Hermophroditica, hoc eſt multis ſpeciebus conſentanea. Sic, ſi loca occupaverint illi ſpiritus ſeminales in immundo ſulphure turgida, immundas metallorum ſpecies producent, Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, ſulphurum & ſalium admixtorum indolem oſtendentes: & horum aſcendentium impreſſiones imitantur, ſeminum Elementorum & corporum principia, novaque conjugia admittunt: quod ſi non invenerint loca ita valida, externorum aſcendentium poteſtate repleta, vel conſentaneorum virtute perfuſa, fiet quod volunt, alimentorum amica ubertate nutrita, & tandem omnia donorum inſignia abſolvent; individuaque hoc pacto perfecta proferent, qualia ſunt aurum & argentum. Qui ſingulorum ſpecierum proprietates exactius cognoſcere voluerit, legat Theophraſtum Paracelſum de Generatione Mineralium: ipſe quoque fodinas Ungaricas, Thermas & ſalium naturales fodinas accedens, manifeſtius externa rerum accidentia, diſpoſitiones & conditiones conſpicatus, majori cum fructu cauſas & inviſibilem naturæ Liturgiam poſtea cognoſcet. Jam poſt viſitatas Animalium & Mineralium generationes, ad ſuperioris globi generationem ſeſe accingit Author, & in Cœleſti Regione vel firmamento, individua perfecta contineri, ſtabili vigore in ævum perſiſtentia percipit; etiam in terreſtri quædam perfectiſſima corpora reperit, ut aurum, argentum, & gemmas; & ſpiritus actionum fontes, cum corporum nimis duris vinculis ligantur, vix vitæ argumenta demonſtrare poſſe aſſerit. Cœleſtia tamen fructuum aſſi-

aſſidua diſpenſatione, viventium officia oſtendunt; ſed non in propria, ſed in peregrina Regione parturiunt, ut in aëre ſerenitatem; in aqua fluxum, & refluxum, & tempeſtates; in terra fœcunditatem, ſterilitatem, anni ſalubritatem; in aëre itidem tonitrua, fulgura, cometas, ventos, morborum Epidemicorum nuntios, & ſimilia meteora in aqua & terra, inſalubritates, peſtes & ſimiles mutationes, à Meteoris excitata, in quibus vitalia principia, & Mechanici Spiritus Cœleſtium impreſſionum fundantur, ſuiſque temporibus ad generationem feſtinant: de quibus legantur commentaria, quæ Divinus Hippocrates in Epidemiis, in libro de aëre & aquis, accuratiſſimè obſervaverat; & videbit iſtas impreſſionum efficientias, non à quatuor qualitatibus, quæ multos decipiunt, ſed ab actionum proprietatibus, quæ ante corpora, atque ipſa corpora conſtituunt, provenire.

## CAPUT IX.

*Mixtionem eſſe ſeminum ad generationem procedentium inſtrumentum, cujus miniſterio Elementa & corporum Principia, ſeminibus domeſtica, colligata; unitatem ſuorum exemplarium æmulantur, variarique Mixtionum uniones, ratione ſubjectorum: Spiritualia deinde corpora veram mixtionem, à penetrationis dimenſionum periculis expeditam, conſtituere; idque vitali virtute Mechanicorum ſpirituum: tranſplatationem generationi intervenientem, mixtioni accidere, communemque eſſe generationum omnium ordinibus, ſive levioribus tincturis, individuæ naturæ proprietates immutarentur, ſive validioribus ſpecierum ſignaturæ tranſplantatæ, novæ familiæ inſignia demonſtrarent: poſtremo validiorum occultorumque aſtrorum reſolutiones, tranſplantationes, tam potentes comitari; ut novarum generationum appellatione, vigorem principiorum declaraverint.*

### *Anacephalæoſis Capitis Noni Analyſis Logica.*

DIctum fuit ſupra mixtionem quaſi ſpeciem genericam, fuiſſe inſtrumentum generationis, quæ quaſi pro ſpecie individua haberi poteſt: prius enim fit mixtio quam generatio; & mixtio fit ex principiis corporum inter ſe, principiorum cum Elementis concretis,

cretis, & omnia simul, sicut ex generibus summis, & hujus instrumenti ministerio, Elementa, hoc est partes destinatæ in mixtione, à seminibus pro individuorum partium productione corporea; tum etiam Elementa concreta, sive sint Hypostatica corpora, ut sal, sulphur, sive corpora passiva, terra & aqua, quæ in unum colligata, unitatem suorum exemplarium, seu Entium Genericorum, æmulantur. Variari dicit uniones mixtorum, ratione subjectorum. Per uniones mixtorum intelligit, ut supra, mixtionem esse unionem diversarum partium, tendentium ut fiat unio exemplata, quale fuit prius vivum exemplar. Variari autem tales uniones, juxta subjecti naturam, verum est; nam qualia sunt Elementa concreta, principia Hypostatica, corpora Hypostatica, taliter variari debent mixta. Hinc sequitur verum esse, quod mixtio fieri debet, nisi ab Elementis concretis, corporum Principiis & corporibus Hypostaticis, ad mixtionem tendentibus, & mixtionem præcedentibus. Non posse etiam fieri mixtum ex Elementis radicalibus, nec seminibus, notum est; quia mixtio à penetratione dimensionum liberatur; nunquam enim misceri possunt spiritalia incorpora aut species, quæ sunt vitalia Generationis principia. Et asserit Author, quamvis mixtionem à vitali virtute scientia spirituum Mechanicorum fieri asserit, sed præcipuè à validis occultisque astrorum revolutionibus, uti hoc in loco astrum non pro seminibus, ut in multis hujus Authoris locis deprehenditur, sed astrum hic sumitur pro stellis fixis aut Planetis.

## CAPITIS NONI ENUCLEATIO TEXTUS.

### *De Mixtione & Transplantatione.*

DIctum fuit supra mixtionem fuisse instrumentum generationis, jam originem, naturam, proprietates, differentias, actiones qualitatum Essentialium, declarare statuit, sed præcipuè motorem adjungit.

### *De Motore Mixti.*

MIxti motor, est principium vitale, scientia Mechanica instructum, species, semen, astrum, cujus potestate & infallibili scientia, tam Divina Mixtionis officia administrari possint; & hoc est principium quod

omnium generationum principium fundamentum, & radicem fuisse dictum est. Hujus virtute semina à causis suis progredientia, principia & corporum Elementa, soli scientiæ radicalium entium nota, permiscentur, & familiaria istis seminibus, seu primarum causarum primis effectibus constituunt, non corporum mutua aut fortuita appositione; nam spiritalia sunt, & demensionum legibus adhuc non subjecta, neque qualitatum accidentalium inimica contrarietate opposita: familiaria enim adhuc sunt principia corporum & Elementa, adhuc ex unitate progredientia: proinde amica & mutua societate confluere debent, vitalibus tincturis, per omnia penetrantibus, validisque vinculis universa componentibus, & illa vincula potestates, & potentiæ, vitæ, & aliorum Entium Radicalium cum corporibus ligant. Et antequam ad mixtionis naturam & necessitatem perventum erit, sciendum est, quod cum scientiæ proprietates, differentiæ & varietates multæ in principiis unitæ, quasi exemplaria futurarum explicationum lateant: diversis etiam Elementis & corporum rudimentis, tum principiis ad unitatis explicationem desiderari, quæ tamen vitæ unitate, principia & exemplaria denuo imitari debent, & proinde mixtionem molita est natura, per partium diversarum vires, & rationum ad mixti unionem conspirantium.

## *De Subjecto Mixtionis.*

SUbjectum Mixtionis sunt Elementa concreta, & corporum principia, ex Elementis, virtute & scientia Mechanicorum spiritali, per causæ progressionem producta; & tunc fit mixtio, quando ex incorporis fiunt corpora, sed planè spiritualia. Estque mixtio Elementorum concretorum inter se, Elementorum concretorum cum principiis, principiorum corporis inter se, & omnia simul.

## *De Necessitate Mixti.*

ET quia Elementa concreta & principia corporum, singulis diebus à spiritibus vitalibus & Mechanicis per conversionem causatarum ad causas consumuntur; assidua restitutione opus fuerat, nempe ut fiant ex incorporeis corporibus corpora incorporea, & tandem corpora, ad supplendum defectum

defectum resolutionis corporum in corpora incorporea, in incorporea corpora, & in ipsa denique incorpora, & proinde rectè ab Hippocrate dictum. Nutriri nos ex eadem substantia, ex qua constamus, & generetionem nutritione continuari, & ita quantum distant subjecta inter se, tantum distabunt uniones, termini vel durationes: sic pura puris mixta, longas habent durationes; & ita si impura puris, aut impura impuris, ocius vel serius, juxta subjectorum analogiam, ad terminum præscriptum, pervenient. Stabilita igitur mixtionis necessitate, subjecto, terminis, diversisque modis, nunc dicimus, sicut prius, non communia illa & vulgata Elementa misceri, sed propria & unicuique radici in generatione consentanea: elementa intelligit Author, tale quippe sulphur, in vegetabilibus, quale potest esse tali vegetabili specificum, talem salem in Mineralibus, qualem scientia Mechanica, talis mineralis expetit, talem Mercurium seu fluorem in animali, qualem proprietas specifica illius animalis ad propriam partis constitutionem eligit, talem terram, ignem, aërem, aquam, essentiæ uniuscujusque specifici consentaneos; & accuratiorem fieri mixtionem asserit, si alimenta ratione locorum, & externorum ascendentium in generationis progressu confluentium, oportuna fuerint: per Elementa intelligit Author continuationem progressionis causatarum, radicalibus Elementis proximè adhærentium. Causa enim totius rationem repræsentat, unde nutrimentum ad partes transmittitur, effectus autem partium per loca. Hic non intelligit Elementa radicalia, ut in Elementorum definitione intelligebatur, sed mixtas & corporeas cavitates, quæ cum radicalibus rationibus rei nutriendæ conveniunt, imo & ex istis radicalibus, prius per progressionem causati, productis; externa autem ascendentia, vocat Hypostatica corpora, sal & sulphur; & dicit, ( si tincturis & facultatibus validis destituta fuerint alimenta.) Prius dixerat: Si alimenta oportuna fuerant, hoc est si debito tempore conveniant, & in initio generationis, si vero non habeant alimenta validas tincturas; per tincturas intelligit virtutem rei tingentis, metaphora ducta à corporibus tingentibus, nam spiritalia menstrua, prius exemplar tincturæ quam ex corporibus extrahunt, & ad alia deferunt, in se habebant interius, antequam foras edere potuerant, ut videre est in aqua & spiritu vitrioli, aqua enim invalida est ad extrahendam tincturam ex rosis: ratio est, quia nullam habebat tincturam internam, cum rosis convenientem, at spiritus vitrioli hoc perfecte faciet, quia in se Ideam aut exemplar rosarum in ejus colcothare abscondunt; tale enim colcothar, & terra pro tingen-

tingendis floribus rosarum trahitur: quale est in spiritu vitrioli, & ita de omnibus tincturis intelligendum: quod si vero alimenta destituta fuerint validis tincturis, interius; tamen si spiritibus radicum, vel seminum obtemperaverint, fiet quidem mixtura, sed illa magis Elementorum concretorum conditiones quam seminum imitabitur, sicut videtur in mixtura illa quæ fit ex spiritu salis & rosis, spiritus enim salis destituitur facultatibus internis tincturæ rosarum, attamen aliquid abstrahet, sed Elementorum concretorum qualitatibus, quam seminibus, hoc est internæ tincturæ rosarum similiorem. *Quod si vero* hæc est alia conditio eaque generalis, si alimenta validis fuerint imbuta tincturis, si seminum proprietatibus viguerint, si potentias Hippocraticas ostenderint, tamen à quibuscunque aliis adjunctis venerint, sive loci, sive diversorum seminum confluxu, sive externorum ascendentium validis impressionibus, miscebuntur talia; sed signaturæ variabuntur: signaturas vocat, externas aliquot qualitates, hoc est colores, odores, sapores, fietque quod non volunt, semina; & tales mixtiones pro generatione facient transplatationē; quam Author symptoma generationis vocat: Exempla hujus transplatationis plurima sunt, tam ex vegetabilium animalium, quam Mineralium familia desumpta: ex vegetabili insertiones arborum, quæ fiunt ex racemis peregrinis, faciunt quidem mixtionem & per consequens generationem, sed transplantationi obnoxiam, fiet enim generatio & fructus inde provenientes, sed mutabuntur colores, odores, sapores, quos non ex arbore aut trunco, ubi fit insertio, facta desument, sed ex racemis quæ in truncum inserebantur; in animalium genere, lupi canes, perdices & gallinæ, equi cum asina. Et ut in omnibus hisce speciebus, facilius intelligi possit transplantatio, observandum alias esse transplantationes individuorum in vegetabilibus; & ita manente radice, signaturæ mutantur, cicurantur agrestes, mitigantur sapores, odores, mutantur colores, accelerantur vel retardantur tempora maturationis: imò & multum interest, quam tempestivè aut tardè ad libidinem transferantur: sic mala cotonea primò post brumam tempestivè transplantantur: morus ante Vernum; cerasa, amigdala, circa brumam: & sunt etiam aliæ transplatationes specierum, in quibus manente radice, signaturæ mutantur. Est & transplantatio specierum, ubi omnibus signaturis mutatis, novæ familiæ insignia manifestè repræsentantur; sic sisymbrium in mentam, rapam, in Raphanum, Imperatorium in Angelicam, triticum in lolium degenerare videmus. Sic in semine tritici lollii semen delitescit, sed ministra;

& ita

& ita de aliis: Mineralium ſemina, quia Hermophroditica ſunt, æquivocas generationes obtinuerunt, id eſt transſplatationi mixtas: Gemmæ enim, ſpecifica transſplantatione producuntur, validioribus tincturis, occupata prima communique Metallorum radice: ita ex radicibus Veneris Smaragdus, ex radice Martis Berillus: quæ omnia mirabilem naturæ poteſtatem ſatis abundè demonſtrare poſſunt; & hæc de mixtione, quantum compendii ratio exigit, reliqua è Commentariis in textum facile deprehendentur.

Transſplantatio autem appellatur, quando non illud quod intenditur, ſed aliud quid finitimum generatur: idque duobus modis; cum ſcilicet vel ſemina confundantur, ut fit in perfectis animalibus: exempli gratia, cum ex equo & aſina mulus generatur; aut cum ex pluribus plantarum ſeminibus, una planta generatur; vel cum ex uno quidem ſemine aliud generatur, ut cum Triticum in lolium degenerat. Hancque transſplantationem fieri ſtatuunt, ubi ſemina ſunt æquivoca, id eſt pluribus ſpeciebus eſſe quaſi communia: eſſe enim ſtatuunt in Tritici ſemine, tam Tritici quam Lolii; ſed illam principem, hanc formam miniſtram, & quaſi comitem, atque illam tamdiu Domini obire munia, quamdiu omnia ſeſe rectè habent: & alimentum quod aſſumitur, & locus, in quo degunt. Quod ſi contrarium accidat, & aliorum confluxu & conſpiratione, miniſtra illa forma dominium acceperit, iſta vero princeps quaſi in ſervitutem redigitur. Ita ex multis quæ in natura fiunt, probabile eſt unam formam ſub diverſo ſchemate corporis, in Naturæ Theatrum progredi; aut certè in uno ſemine plures poſſe eſſe formas, ſed ſubordinatas; ita tamen ut una ſit princeps, & anima; reliquæ quaſi miniſtræ. Perpendantur ſaltem diligenter bombices, in quibus anima diverſa corpora induit: & ut Ariſtoteles de Hyſtoriis animalium cap. 29. & Plinius lib. 11. hiſtor. natural. cap. 22. habet, varia fit formarum ſucceſſio. *Primo enim ex ovo fit eruca, deinde bombix, deinde acrydalus; de qua re videatur Hieronymus Vidas, & Libavius ſingularum part. 2. bombicorum libro*; imo non ſolum ex ovis, ſed ex plantis putreſcentibus erucæ, & ex his papiliones generantur, & ut Ariſtoteles de Hiſtor. Animal. lib. 2. cap. 19. habet. Erucæ ex virentibus foliis, maximeque ex braſſica fiunt, ex erucis papiliones: ſed non eſt credendum, ex quavis planta fieri quemlibet vermem, ſed ex certis certos: videnturque talium inſectorum formæ, plantarum & animalium formis ſubordinari; & ex quibus

bus quales vermes fiant, inter alios recenſet Scaliger Exercit. 89. ſed & Exercit. 190. ita ex moro fiunt bombices, mediamte tamen juvenco, (ſi enim defecerint aut corrupta fuerint, hiberno tempore ova) juvencum, viginti diebus ſolis paſcere moris jubent, eumque interfectum putredini relinquere, ut ex carnibus putreſcentibus vermes naſcantur, qui in bombices abeant. Ita etiam Virgilius in fine quarti Georgicorum, ex bobus gigni apes docet: qua de re multa egregia, & omnino iis qui Phyſicos audire volunt, cognoſcenda habet. Ariſtotel. lib. 8. Hiſtor. animal. imprimis cap. 19. ubi docet, in genere ex Plantis vermes, & erucas generari, & ex his Chryſalides, & ex iſtis papiliones, & alia alata animalia naſci; neque ſolum papiliones, ſed & alia alata animalia, ex Plantis naſcuntur, nec ſolum viridibus aut putreſcentibus, tales tranſplantationes animadvertentur; ſed etiam ex lignis, aqua maris ſemel ad minus in dies circumfluxis aut irrigatis. Teſtantur ſatis anates Scotici, quos incolæ Klakguiſſe nominant, qui etſi aves ſint, & revera anates Marini, non tamen aliarum avium more, ex ovis excluduntur, ſed in mari Septemtrionali Scotico oriuntur; de quorum ortu Hector Boëtius, inſignis olim Scoticarum rerum Hiſtoriographus, & Collegii Veteris Univerſitatis Abredonenſis primarius meritiſſimus; cujus verba ſunt: *Reſtat*, inquit, *ut de anſeribus Scoticis quos Klakguiſſe appellant, quoſque vulgo perperam in arboribus naſci, in his inſulis credunt, ea quæ cognoſcendæ hujus rei multo jam tempore ſtudioſe, diligenter explorata cognovimus, diſſeramus: mari enim illis interjecto, mihi magis eos procreandi vis quædam ineſſe videtur, quam alicui alii rei; variis enim modis, tamen ſemper in mari eos provenire conſpeximus. Etenim ſi lignum in id mare projicias, temporis tractu primum in eo vermes, excavato ligno, naſcuntur, qui ſenſim formati, capite pedibuſque atque alis, plumas poſtremo edunt, demum aſſeribus magnitudine æquales, cum ad juſtam pervenerunt ætatem, cœlum petunt, avium aliarum more remigio alarum per aërem delati. Id quod luce clarius, Anno à partu Virginis* 1409. *pluribus ſpectantibus in Buthphania viſum eſt. Nam cum in ea ad Pettiſlego Caſtellum fluctibus hujuſmodi quoddam lignum ingens delatum eſſet, rei novitate qui primi conſpexerant, admirabundi, ad loci illius Dominum accurrentes, rem novam nuntiant. Is adveniens trabem ſera dividi jubet, quo pacto ingens confeſtim apparet multitudo, partim vermium, quorum alii adhuc rudes erant, alii membra quædam formata habebant, partim etiam jam formatarum perfectè avium, inter quas quædam jam plumas habebant, quædam implumes erant. Itaque rei*

*mira-*

*miraculo stupefacti, jubente Domino Comite de Pettislego ex Illustri Forbesiorum Familia, ut tunc ejus loci Domino, in templum Divi Andreæ, Tiræ (Pago cui id est nomen) lignum deportent, ubi & hodie manet, undique velut à vermibus perforatum.*

Nec displiceat Lectori pro cujus commodo in hoc opere multas horas mihi alias quam necessarias insumpseram, si occasione arrepta de transplantatione & generatione Anatum Scoticorum, quæ ex veritate & relatione Hectoris Boëtii Historiographi Scoti in Regione & Climate meo Natalitio, & prope arcem Comitatus de Pettislego, tunc ad avum meum ex Materno genere ab Illustrissima Forbesiorum familia ortum pertinente, aliquid dicam, & Historiam Transplantationis Familiarum similiter adjungam, & veniam petendo humillimè rogo, ut pagellas aliquot sequentes in meum & posteritatis meæ usum duntaxat transiliat, ut illis quibus jura mea natalitia, hoc est, Scotigenæ genti debeo, occasionem legendi & cognoscendi, dijudicandi, & forsan etiam, cum auxilio Divino, aliquando recuperandi derelinquam. Est ut manifestæ protestationis & declarationis loco relinquam, hac tempestate incerta, & inauditis mutationibus & obtruncationibus inhumanis obnoxia, ne jus & æquum quod Deus & natura mihi & successoribus meis è materno genere, è linea recta descendentibus ante quingentos annos tribuerunt, oblivioni & præscriptioni obsolescat.

Parens enim mea piæ memoriæ & ex Illustrissimis & Nobilissimis Scotiæ familiis nata, cùm adhuc pupilla esset, utroque Parente orbata, & in custodiam Patrui ex Paterno genere cum ampla hæreditate, relicta fuit. Interea ille omnis pietatis & Christianæ charitatis immemor, ipsam omni hæreditate, sensim & sensim defraudavit, & sibi suisque successoribus contra omne jus Divinum & humanum appropriavit: nullo tunc temporis (ut Juridici vocant) in illa familia Feudo Masculo instituto. Parens postea meus ex Antiquissima & Nobilissima Familia natus ipsi matrimonio junctus, incepit jus suum, non absque multis expensis, jactura bonorum & temporis, coram gentis Tribuno, sibi reclamare à Patruo tutore & custode, etiam repetere; sed cum jam res in procinctu fuerat, Parens vita cessit, relicta matre cum tribus filiis, quorum maximus vix septimum agebat annum, & ego minimus. Interea fruendi occasione satis insigni oblata; Matrem incautam blanditiis, & spe recuperandæ hæreditatis ablactat. Ille interea emissarios undique emittit, qui tacitè rem familiarem nostram in

in angustiis (satis arctè propter dispendia multa, in litem profusa, versantem) comprimebant, data opera ut inermem viduam, & infantes innocentulos deprimerent, & ut inde causa deciderent. Sed Deus, viduarum, & Parentibus orbatorum protector, amicos nobis insperatos suscitavit, qui nos consiliis & patrocinio ab angustiis liberarunt; inter quos primus & præcipuus fuerat, qui ruinam familiæ nostræ defendere voluerat, Illustrissimæ & Antiquissimæ Familiæ Lesliorum Dux, Joannes Leslius, Baro de Balquhane, Illustrissimi Comitis Leslei, nunc in Aula S. Romani Imperii Imperatoris, propter immensa sua merita in eum collata evecti, qui nos singulari humanitate & Generositate, à consanguineis nostris proximis derelictos, tam à Paterno quam Materno genere sustinuit. A Paterno, quia propter familiæ in peregrinum nomen mutationis subeuntis periculum, à nostris partibus stare noluerunt; talis enim tunc fuerat familiarum peculiaris mos, non lex, ut quo facilius tribuum illorum, hoc est familiarum ejusdem cognominis inde descendentium, & inter se adhærentium injurias acceptas repellerent, aut illorum in alteram illatorum facilius protegerent, capitalis familiæ cognomen, quo jure, quaque injuria in eadem familia conservare quasi pro aris & focis mordicus nituntur: quod ut facilius fiat, eundem respectum, authoritatem & jus, quod Regi & Reipublicis debent, aut quod à Rege tacitè subtrahunt, Capiti summo Familiarum conferunt; pro quo contra quemvis alium, imo contra ipsum Regem liberum dominandi, imperandi, invadendi, & manu forti opprimendi potestatem & jus concedunt, & authorizant, unde tot tribuum diversorum discordia totam gentem ad plura sæcula ita divastaverant, ut à litibus illorum & ordinatis prœliis, ex talium familiarum ordinibus, plures cadere visi sunt, quam pestis aut peregrinum bellum destruere poterat, & tales longè protractæ familiarum dissensiones, funestissima bella ad plura sæcula inter Gordanorum & Forbesiorum Familiam peperit, quæ omnem Maternorum nostrarum proximitatem, inutilem pro nostra tuenda causa reddebant, & quamvis sæpius compositæ videbantur, per mutua utrarumque familiarum matrimonia, tamen vel minima deinceps occasione data, recandescebant, sicut in avo nostro contigerat, qui quamvis uxorem habuerat, aviam nostram, ex præcipua Gordanorum familia natam, & pro pacis tuendæ vadimonio datam, tamen in prœlio quod fuit à Gordanorum familiis contra Forbesiorum, ante annos centum & triginta datum, in loco nominato *Crabstein*, à præclara Civitate Abredonensi mille

mille passus distante, apud ripas fluminis *Deæ*, Cæsi ex Forbesiorum numero à Gordonis duo millia hominum numerabantur, inter quos in isto prœlio avus noster Baro de Petslego, ex parte materna quatuor fratres amiserat, à parte fratris ipsius uxoris, (qui primarius Gordonorum fuerat, ut illius Belli Dux) cæsos. Itaque tam ex Paterno, quam ex Materno genere, relicta Mater, uni ex duobus fratribus relictis tutela Matris quasi ovis rapaci lupo commissa fuit. Quæ Matrem nostram pupillam ex hæreditate ejecit. Interim & hic tutor fatis cessit, relicto filio fatali nostræ familiæ ruina turgido, etsi bonorum & hæreditatis nostræ illegitimum, & prætendentem duntaxat hæredem repræsentabat, pari ratione malitiæ & fraudis paternæ egregia & ampla specimina præ se ferebat, nam si Pater aperta fraude & quasi manu forti bona nostra detinuit; filius cum causa sese decidentem, & jam penè devictum arbitraretur, fraudis nova subterfugia excogitat, & jus sibi ex ficta transactione cum puplila imaginatur. Interea tempus transigitur, & in longa possessione quamvis interrupta totam spem collocat. Hinc est factum, ut tentatis multis meandris, & ambagibus, quibus nos adhuc ex infantia emergentes destruere nitebatur, & præcipuè etiam Matre, ut tum vita defuncta, sed Deus ut est Orbatorum Parentibus protector, sic est fraudis & malitiæ, & tyrannidis omnis vindex acerrimus, gravissima mentis alienatione affecit, & conscientia prava præteritarum actionum, ita perterritum fecit, ut aliquandiu ante obitum, desperabundus iram Divinam in se justè propter damna in nos commissa fuisse accessam, non solum verbis, sed cum suspirio, & lachrimis, & reconciliationis & restitutionis intentione & desiderio profitebatur, sed à Patrui (qui etiam Matris nostræ Patruus erat) astutia, & interesse obsidebatur: is enim omnibus artibus usus est, ut apud se post obitum desperabundi patris filius adhuc pupillus ipsi & filiis suis committeretur. Ac proinde quanquam Deus satis amplam misero occasionem obtulerat, ut damna nostra ante mortem non tantum ex maternæ hæreditatis surreptione restitueret, sed ad minus ut tot annorum expensas & dispendia, quibus ille directè & indirectè bona nostra satis ampla, & longo litigio, dissipare fecit, resarciret: tamen Patruus ex avo, suæ possidendi hæreditatis, & ad suam familiam tandem devolvendi & traducendi spe allectus, nobis (ut à suo instituto alienis) ægro morituro nihilominus acclamantibus, viam semper & occasionem occlusit. Tandem extincto hoc adversario, Pupillorum lex, quæ vetat aliquid contra ipsos minoritatis tempore jure aggredi, re-

moram causæ nostræ satis notabilem injecit; sed tandem hærede tertio ex minoritate emerso, fratres mei duo seniores; quos ego ad peregrinas nationes invisendas è Scotia discedens, (unde adhuc non redii) reliqui actionem resuscitant, & continuo decem annorum spatio prosequuntur. Ego etiam pro viribus meis apud Legatos Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ, apud Aulam Gallicam commorantes, cujus auspiciis, tum Medicinam exercebam, & cujus sanitati ubi opus fuerat præfueram, literas Serenissimi Regis admonitorias ad Parlamentum Scotiæ, ut nulla intermissa mora, & nullo habito personarum respectu, litem istam contrahant, & dirimant obtinui, per quas cum se premi viderent, ad amicam litis direptionem, secundo natum fratrem invitant; seniori jam mortuo. Judices ex utraque parte elegerunt Illustrem Comitem de Denderpeffer, & Comitem Balcomiæ, utrumque in summa Curia Parlamenti Scotici Senatorem meritissimum; quorum judicio utraque pars sese submisit. Sed antequam de lite terminatum fuerat, ecce Junior frater etiam vita cessit, & litem adhuc protraxit. Interea monitus de progressu litis & Fratris fato, Deus novit quantæ anxietati obnoxium me senserim, cum viderem causam tam legitimam, omni humano auxilio esse destitutam. Denuo literas Regis recommendatorias, ad magnam Parlamenti Curiam obtinui, ut omni intermissa mora, brevem & legalem mihi redderent sententiam. Item Commissarii fuerunt nobis concessi, & in mea absentia amicos elegi, in quorum manus omnem potestatem agendi, transigendi, aut quælibet ad istam litem spectantia prosequendi, in mea absentia deposui; & is fuerat Illustrissimus Joannes Scothus, Comes de Scots Tarbet, cui adjunctus fuit Magnificus Dominus, Dominus Ludovicus Stuartus Eques, in hac causa Fratrum meorum Patronus: & apud eum omnia scripta tunc erant, quæ litem istam directè & indirectè respiciebant. Sed ecce cum omnia fuerant amica transactione usque ad subscriptionem deducta, & adversarius noster, ut testabantur omnes (nuper ex Minoritate egressus) nihil æquè desiderabat, quam ut Patris injustæ oppressioni, & nostris dispendiis mederetur: sed ecce inopina mors ipsum è vita, magno nostro damno eripuit, post se relinquentem filium nuper natum, contra quem dum minor erat (talis est lex gentis) nulla prosequendæ litis unquam detur potestas; & ita ab ista spe præsentanea frustrati, & amicum adversarium, & ulterius progrediendi libertatem, usque ad Minoritatem præsentiæ novæ hæredis amisimus. Voco amicum adversarium, quia præterquam quod nobis sanguine junctus fuerat,

piam

piam habebat conſcientiam, & ſcelerum paternorum deteſtator ingens. Nam poſt Patris mortem plurima ſcripta falſa & lites injuſtas delere incepit; per quas dum vixerat Pater, inertem Plebem, ſubditos & vicinos ſuos, laboribus mille vexaverat: ille autem vocatis illis ad quas ſpectabant, coram ipſis chartas iſtas igne cremari, & lites iſtas tolli juſſit; & unumquemque in priſtinum ſtatum reſtituit. Et ſæpe coram multis teſtatus eſt, ſe nos in integrum reſtituere voluiſſe; quod revera feciſſet, ſi Deus ipſe vitam ad decem duntaxat dies prolongaſſet. Bonus & pius quanquam pravi Patris filius, ſed ex Religioſiſſima matre natus, quæ ſæpè coram Marito inexorabili genibus flexis & à lacrymis & querelis Matris meæ, amitæ ſuæ, mota, miſericordiam deprecata eſt, monendo ne maledictionem Divinam, in ſe & ſuam familiam induceret.

Interea ſolus relictus, ego, & jam à quadraginta annis, è natali ſolo peregrinus, hanc familiæ noſtræ tranſplantationem in publicam dare volui, ut loco declarationis & proteſtationis, poſteritati inſerviat, ne jus & æquum quod Deus & natura mihi, & ſucceſſoribus meis à Materno genere, & linea recta deductis, ante quingentos annos tribuerunt, oblivione & præſcriptione obſoleſceret. Et quod me magis coëgit, eſt confuſus & intricatus ſtatus rerum Scoticarum, ut cum hæreditatum & bonorum illic poſſeſſorum, nunc tanta ſit incertitudo & inſtabilitas, quanta non poſſidentium certa eſt deficientia & egeſtas: in vanum igitur cogitavi fore, rem tanti momenti ſuſcitare, quouſque Deo Opt. Max. libuerit, pacificum & ordinatum ſtatum reſtituere, quo Juſtitia & Æquitas nos redintegrare poſſit: aut ſi ſecus, quod Deus prohibeat, manu forti res eſſet contendenda, poſteritatem meam præmonitam habeam, quo jure injuſtè detentam hæreditatem ſibi arrogare, & devincere poſſint. Sed quid me deterrere debent tam injuſta bonorum diſpendia & ſceleratæ tranſplantationes, cum ſcelera humana non pridem Religionis & Juſtitiæ pallio velata, plura contra Regum, Principum & Magnatum Capita, jura, bona & ſucceſſiones, quam contra me, inaudito & ſcelerato facinore perpetrarunt; imo contra Reformatæ Religionis Regem; cum tamen ipſi ignavæ Plebeculæ Reformati apparere, horrendo ſcandalo ſtuduerint; imò contra omnium Regum, ne dicam piiſſimum & juſtiſſimum, ſed omnium hominum innocentiſſimum, exemplo omnibus Regibus tremendo, exercuerunt: in Regem dico, bonitate & inaudita clementia, ſibi ipſi ſolum hoc nomine noxium. Neque in hoc facinoris veſtibulo hæſitare voluerant, ſed contra manes illorum, nu-

per martyrisati Regis, impura mendacia per impudentissimum os, infamis cujusdam nebulonis non veriti sunt spargere; imo & ultra progressi, in alios Reges inaudita & intoleranda insolentia debaccharunt, dum axe caput Domini & Regis sese amputasse jactitant; ut omnibus aliis Regibus exemplo sit, eumque Tyrannum Neroni & Domitiano sæviorem exposuerunt. Sed aliter Deus disposuit; maturo enim jam facto, & deinde succedentibus sæculis futuro examine, contrarium in facie totius orbis spectantis apparet. Quidquid in contrarium allatrare impurus ille Canis videatur in sua Defensione, seu potius offensione præclaræ gentis Anglicanæ, qui tot cloacas falsissimarum aspersionum in Manes nuper Martyrisati Regis, non veritus fuerat evomere, in qua quot lineæ, tot sacrarum literarum obtruncationes, in pravum sensum contorsiones, Authorum profanorum, legum & authoritatum detruncationes reperiuntur, quot voces, tot splendida mendacia & sophismata, peregrinis nationibus minus extricata; Grammaticorum & puerilium errorum castigationes, Regio Defensori objectæ; ut in Grammatica potius, quam in veritatis Campo sese victorem utique proclamari ambiverit. Talibus igitur elusionibus adumbratur veritas, quæ tamen sole renascente magna fit, & tandem prævalescit. Dum casum benigni illius Principis mente revolvo, infortunium in hoc solum admiror, & deploro, quod subditos tot habuerit, imo & domesticos inaudito beneficiorum cumulo oneratos, qui tamen in impudentissimum istum nebulonem non sævierint; & locum in orbe ubi pedem figeret non prohiberent. Felices sunt, qui manus ab ista innocenti anima impollutas reservarunt: tremebundum enim & exemplare Dei judicium super illos, illorum fautores & prolem, è Cœlo eminere certum est: tarda esse Dei judicia, sed certa, tota sacra Pagina proclamat, tamen non tarda, quin paucorum annorum spatio (toto terrarum orbe spectante & exspectante,) sceleratissimum hoc facinus vindicari super Authorum capita percipiatur, nisi eadem sinceritate culpam agnoscant, & pœnitentiam, tot veris Jejuniis & Eleemosinis, & restitutione recipiscant, quibus in humana & falsa simulatione, jejuniis, publicis precibus, falsissimis aspersionibus, incautam & insipientem Plebem, sed oculis defascinatis, nunc miseram pœnitentem & lugentem agnoscant: non enim contra Regem illorum Sapientissimum, Ducem Magnanimissimum, & Dominum Clementissimum, sed contra Deum Regem Regum rebellarunt, imo si viam aliquam Cœlum conscendendi nebulones illi invenire potuissent, more Gigantum, Jovem ipsum, è Cœlo detrusissent, tanta fuerat

fuerat iſtorum aliquot furibundorum & fanaticorum impietas, & facultatum alienarum eripiendi libido, & temeritas, & ſi talis impia & ſcelerata conſuetudo inter homines deinceps locum habeat, quis Dominus vitam ſuam à ſervorum invaſione, in propria domo etiam tutam & liberam conſervare poſſit: nonne accuſare? nonne falſum teſtimonium ſupra accuſata audire? nonne condemnare? aut contumacem & non reſpondentem in lecto ſuo ſtrangulare poſſunt? & hæc omnia ſub ſpecie Juſtitiæ, Æquitatis & Religionis exercentur, reluctantibus nihilominus ipſis Eccleſiaſticæ diſciplinæ articulis. Sed cum tales accuſo, ex ipſis maximam gentis partem, quæ tota partibus Regiis adhæſerat, abſolvo: Magnates nempe aliquot utriuſque gentis, qui non ſolum vitam in Regia cauſa amiſerunt, ſed familiam deletam, & in reos pro ſceleris prætenſi compenſatione collocatam, ſucceſſoribus præ inopia, apud exteras nationes incommoda multa patientibus habuerunt. Aliam etiam partem comprehendo, quæ abſque ulla prava intentione, ſed mira ſimplicitate, credulitate, præpoſteroque religionis Zelo obcæcati, Principem Religioſiſſimum mutatæ aut diſſimulatæ Religionis crimine inurebant; quorum ut jam maxima pars, qui de ultima declaratione & proteſtatione Regia de ſenſu profeſſæ Religionis audiverunt, cum inſigni pœnitentia, ſed tardè nimis illorum ſimplicitatem abjurarunt. Tantum poteſt mentis præoccupatio apud Plebejos valere, ut quos propter falſas aſperſiones prius odio proſequebantur, eoſdem denuo veritate indagatâ, plurimo amore & commiſeratione proſequantur. Aliam autem partem ex fece plebis, ex ſectariis, & ex militari ordine nuper erecto, compoſitam accuſo, qui jam virga ferrea utramque gentem inaudita Tyrannide vexant & dilacerant. Arrigant igitur mentem & aures in hæc facinora Reges & Principes terræ univerſæ, ne ſimilia vel forte deteriora ipſis contingant, ſi iſta peſtifera præludia impunia neglexerint. In illos igitur parricidas animadvertendum, ne omnem Plebem vicinam, in furorem ſimilem vertant, niſi reſipiſcant; &, ita ad verum & legitimum hæredem accurrant, & pro vero Rege à Deo dato agnoſcant. Dominatio enim Regia caput ſuum inter alia extulit, ſicut Hieruſalem inter alias Civitates terræ ſanctæ. *Montem enim Sion æternum fundavit Deus.* Parilepomenon 48. hoc eſt fundamentum ſuper quo Regia poteſtas à Deo ſuper populum ſtatuebatur; exemplo ipſius Creatoris, & Cœleſtium Civium perenni, qui in Oratione Dominicali imperat, ut precemur, *fieri voluntatem Divinam in terra ſicut in cœlo.* Quapropter Civitas Davidis, ſive

Regis, juxta Templum Dei, ut exẽplo Civitatis Dei Civitatem ſuam componeret, ædificata fuerat, & Hieruſalem propter hæc fundata dicebatur in montibus Sanctis, Pſal. 87. & Salomon vocat, Civitatem electam: *Super omnes*, nempe alias Dominationes, *Deus Regiam amat*: nulla quippe eſt quæ tantum inſtar Dei habeat quam poteſtas Regia: quapropter poteſtatem Regiam & legitimam Regibus omnibus, exemplo Iſraëlitarum dedit: & cui obſiſtere ordinationi Divinæ judicatur ab Apoſtolo, quando dicit: *Omnis anima poteſtatibus supereminentibus ſubjecta eſto.* Proinde quicunque hanc poteſtatem negat, is poteſtati Divinæ ſubjectus eſſe non poteſt; ſed impius & voluntati Divinæ oppoſitus; & ſupereminens videri velit; quidquid probare in contrarium detorqueat Grammatiſta ille, in defenſione Populi Anglicani; quam ego offenſionem potius ſtrenuiſſimæ gentis Anglicanæ appellare poſſum: imò maxima pars Anglorum, ſi ab hodierna tyrannide liberarentur, Grammaticulo iſti oculos effoderent, quia libertatem & Religionem ab ejus ſimillimis amiſerunt, Religionem inquam Reformatam, quam jam à multis annis in Septentrionali iſta plaga, quaſi loco peculiari, à Deo electo, in qua voluit antiquæ ſuæ Eccleſiæ Catholicæ Religionem promoveri, & locum pro ſuo cultu peculiarem reſervare, & ab aliis diſtinguere, deformatam & mille ſectariorum nævis conſpurcatam perſentient, propter defectum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, à ſola authoritate Regum Angliæ dependentis. Proinde locus ſolii Dei, nempe templum & arx Regia ſemper jungebantur, nempe Templum & Hieruſalem, ut eſt Regum 2. cap. 21. *In Templo, hoc eſt Hieruſalem, ponam nomen meum in ſempiternum.* Tum Joel 2. *In monte Sion & in Hieruſalem erit ſalvatio, qui invocaverit ibi Dominum, ſalvus erit.* Audienda vero deprecatio Salomonis, qua Deum obteſtabatur ſuper Hieruſalem & Templum, Regum 1. cap. 8. *Quocunque*, ajebat, *miſeris populum tuum, orabunt te contra viam Civitatis quam elegiſti, & contra domum quam ædificavi nomini tuo; & exaudies in cœlo orationem eorum.* Per hæc ergo verba facile eſt intelligere, Regiam poteſtatem æque atque Eccleſiaſticam fuiſſe jure Divino inſtitutam. Jugo enim montis Sion alteri inſidebat arx Regia, quæ Civitas David dicta eſt, *quamque Dominus ipſe Civitatem magni Regis*, vocavit.

Interea ad confirmandam iſtam ſententiam, dicenda erunt pauca de Regibus Judæorum, qui ſuper ſolio excelſo Civitatis David ſederunt; quorum origo hæc fuit. Dictum ſupra fuit Dominum Deum fuiſſe & Regum Judæorum. Deum, qui illos cœleſtibus junxit auxiliis; Regem, qui pro

pro illis ſtare in acie, ſcutum protenderet, gladium ſtringeret, & Judaici nominis hoſtes profligaret. Quia vero invaleſcente Judæorum pervicacia, non raro eveniebat, ut averteretur ab illis Deus, & peregrè proficiſcens, ut loquitur Euangelium, abſentivus diutius foret: tum vero Judæi ſine Rege & defenſore, hoſtium ſuorum patebant incurſionibus, qui illos diriperent, & crudelem in modum ad internecionem delerent. Metuentes illi, ne quid tale experirentur, mortuo Samuele Judice ſuo, qui jam ſenuerat; & filiis ejus: *quos & Judices Iſraël poſuerat*, non ambulantibus in viis ejus: petierunt ſibi Regem *Qui judicaret eos more cæterarum gentium*; *qui egrederetur ante illos & bella ſua pugnaret pro illis.* Quod nimirum male Samuelem habuit. Neque vero petitionem Judæorum neglexit Dominus. *Audi vocem eorum in omnibus quæ loquuntur tibi. Non enim te, ſed me abjecerunt.* Samuelis 1 cap. 8. Quæ ſic reſolve. Factus eram pacto, ait Dominus, Judæorum Deus, idem & Rex, Judicem vero te, ô Samuel, & filios tuos, poteſtate illa Regia, quæ mihi in Judæos eſt, ſuper eos conſtitueram. Quia ergo Judicem té, & filios tuos renuerunt; non te Judicem à me ſuper eos conſtitutum, ſed me qui te conſtitueram abjecerunt *Et ſicut me dereliquerunt, ſic faciunt etiam tibi.* Atque adeo quod in te peccant, prius & gravius in me peccaverunt. Hinc enim planè mentem ſuam apparuerunt, quam parum mihi credant; & quam uon ſatis confidenter in me Rege ſuo ſpes ſuas ſitas habeant. At quoniam ita ferè increduli, & obdurati ſunt ſui cordis inſipientiâ. *Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem.* Illud certe interea receperat Deus in deſerto; poſiturum ſuper Judæos Regem, quando terram ingreſſi eſſent, quam daret eis, illamque poſſiderent. Edixeratque, ut conſtituerent ſibi Regem. *Quem Deus ipſe elegiſſet de numero fratrum ſuorum.* Deuteronomii 17. Imò & Reges promiſerat Deus Judæis, quo tempore Abrahamo, & Judæis in Abrahamo, benedicebat. *Egredientur ex te Reges.* Nec non Jacobo prophetante, atque omnibus Judæis in filiis ſuis benedicente. *Non recedet Sceptrum à Juda.* Dedit ergo Judæis Regem Deus. Super Dominationes enim omnes Regiam amat. Nulla quippe eſt quæ tantum inſtar Dei habeat, quam poteſtas Regia. *Veruntamen*, edicebat Deus Samueli: *Conteſtare eos, & prædicito eis jus Regis.* Jus vero Regis illud: quod jus merè Regium erat; quodque apud Reges Aſiaticos maximè obtinebat; penes quos ſummum & merum imperium fuit. Jus inquam Regis, illud videlicet Samuelis, eo pertinebat; ut Judæis, Rex ſuus, Dominus eſſet: & viciſſim Judæi, ſubditi, & ſervi eſ-

ſent

ſent Regi & Domini ſuo. Cui obedirent etiam *diiſcolo*: Cui ſubjecti eſſent, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Et contra quem ſi rebellarent, non contra Regem ſuum, ſed contra Deum ipſum rebellarent. Neque illis permiſſa licentia rebellandi contra Regem diiſcolum; ſed clamandi ad Deum à facie Regis ſui. Neve Regis ſui tactio illis juſta eſſet: imò illi parcerent tanquam rei Deo ſacræ. Regem eſſe ſupra homines notum, ut ſupra Regum Deus eſt. Regemque regnare ſuper populum ſuum, ratione illa, qua Deus ſupra Regem ſuum eſt. Atque adeo ultorem Deum ſolum Regis Tyranni exiſtere, & Regem Aquilam eſſe, cui legum humanarum retia non tenderentur, unctione demum Divina Regem perfundi, ut ſupra homines, & medius inter Deum & homines conſiſteret. Unctionis porro hujus Electiſſimæ, tanta Religio animos Judæorum pervaſerat, ut Reges ſuos tanquam Deos haberent, & adorarent. Religione illa David perterritus, inhibuit manus ſuas à Saule Rege ſuo, Tyranno licet & reprobo, & ſibi hoſti infenſiſſimo. *Neque enim Deus ſinat*, ajebat ille, *ut manum meam mittam in Dominum meum, quia Chriſtus*, (ſive unctus) *Dei eſt*. Excanduit vero David idem in filium Amalecitæ advenæ, qui ſe jactaverat de occiſo à ſe Saule Judæorum Rege. *Quare*, inquit, *non timuiſti mittere manum tuam, ut occideres Chriſtum Domini?* Quem poſtquam juſſiſſet ante oculos ſuos confodi, hæc ſuperingeſſit. *Sanguis tuus ſuper caput tuum. Os enim tuum locutum eſt adverſum te, dicens: Ego interfeci Chriſtum Domini*. Inde illud celebre Interdictum: *Chriſtos meos ne tangite*: id eſt Unctos Reges meos ne tangite. *Suos* autem vocavit Reges Deus; quia ditionis Divinæ, non humanæ ſunt. Hinc ſolium Regum Iſraël, *ſolium Domini*, dictum eſt. Paralip cap. 29. *Stetitque Salomon ſuper ſolium Domini in Regem pro Patre ſuo David*. Sed ut à jure Divino, tum conſuetudinibus Regum Aſiaticorum, cœleſtium etiam rerum ordinem juxta Platonicos, ſed præcipuè Proclum addam, qui quamvis non Chriſtianus ſed Ethnicus fuerit, ac proinde non unum tantùm, verumque Deum, Æternum, Omnipotentem & rerum omnium Creatorem & Conſervatorem agnoverit, ut Eum ex Legis Divinæ præſcripto coleret: ſed innumerabilem variorum Deorum multitudinem, (cui Dæmones, Heroës, bonos, maloſque Genios, & Angelos addit) falſam gentilium opinionem ſequutus, eſſe crediderit, & aliis prohibitæ Platonicæ Philoſophiæ, ſuique Præceptoris Syriani dogmata tradiderit, de Deo tamen multa magnificè ſcribit, quæ diceres ex Divinis ſacræ Scripturæ oraculis eſſe deſumpta: & ne lon-

longius abeamus, quum Proclus unum primum, æternum, summumque Deum (unde cæteros originem traxisse suæque naturæ firmitatem & constantiam pendentem habere dicit) propter incomprehensam, & ineffabilem Divini numinis excellentiam, omni appellatione superiorem esse statuit; quum Deum & coloris, & figuræ, & tactus expertem, quum incorporea, invisibili, & æterna natura præditum appellat, quum rerum omnium sapientissimum Opificem, qui res universas & singulas, à se conditas fovet, suaque Divina Providentia moderatur, administrat, atque conservat; quum eum omnis cognitionis, & veræ sapientiæ perennem fontem vocat; quum omnium bonorum suppeditationem; quum omnium virtutum parentem; quum vitæ non solum Authorem, sed etiam conservatorem; quum Deum ubique & nusquam esse; quum in omnibus locis esse, nec in ullo conclusum teneri; quum omnibus adesse, & omnia esse, & nihil eorum esse, quæ per ipsum sunt, & quæ suum esse ab ipso acceperunt; quum ubique præsentem omnia videre, & omnia scire, & unumquemque pro meritis vel bonorum præmiis, vel malorum pœnis afficere dicit; denique quum Proclus Deum disertissimis verbis appellat summum illud bonum, quod omnia semper expetunt, ad quod omnia contendunt, & quod omnia participare student; quod in eo solo per communionem & cum eo conjunctionem, omnium felicitas & beatitudo sit reposita: quum Proclus hæc, & alia quam plurima his similia passim de Deo scribit, quid (quæso) magnificentius, quid sublimius, quid augustius, & Divinæ Majestati convenientius, ab homine mortali vel cogitari, vel scriptis mandari posset? Præterea, quid non de rerum summo Opifice demonstrat, nempe eum res universas in ordinem digerere, atque exornare, per opificem suam unitatem: proinde incorpoream naturam Pithagoræi per ipsum unum figurare voluerint: ipse enim unum sibi ipsi unum est, cum enim unus sit, & ex universis rebus exemptus, Pater & rerum Opifex suam unitatem in se ipso constituit, & ipsam uniformitatem in seipso stabilitam aliis rebus post se insinuat, & Æleates hospes distinctè tradit ab ipsa omnium entium multitudinem necessariò dependere, & ex eo quod est unum: illud ipsum vero quod est unum, ex uno dependet, ipsum enim unum Ens participat ipsum unum: quod vero participat aliquid, & eo quod participatur est posterius, idcirco, quoniam ex ipso uno prodit ipsa multitudo, quæ propter ipsum subsistit, unius appellationem ipsi multitudini tribuit, quæ ab uno regi debet: unum igitur quod ab omnibus Entibus participatur, est ali-

quid Divinum: nihil enim eſt aliud ipſum unum, quod ab Ente participatur quam id quod eſt in unaquaque re Divinum, quum omnia cum inparticipabili uno unita & arctiſſimè conjuncta per Divinam Unionem ſint; nam diſſolubile propter inopiam conjunctionis & facultatis multitudinem in unum contrahentis, ſubitò ruit: quod verò eodem modo ſe ſemper habet, & Divinam immortalitatem continet (ut eſt Regia dominio quæ à diviſione eſſentiali & Anarchia eſt exempta) immortalitatis maximè particeps eſt & omni multitudini præferenda, & jure Divino ſtabilita: itaque videmus ſingula certâ ratione alia cum aliis rectè uniri & aptè conjungi: nam ſi aliud quidem propter unitatem primam ab ipſo Ente participatam, merito uniforme eſſe videmus, & ſi Deus propter ipſum unum, eſt Deus: ergo ipſa unitas Divinum erit quid & uniforme: Ἑνοειδὲς enim & Μονοειδὲς idem ſunt. Nam quod unam & quod ſolam formam habet, eſt idem: & ſicut Divina Veritas quæ Divinas Unitates cum ipſo uno bonorum fonte unit, eſt omnium veritatum caput, ſic intellectualis veritas omnes intellectuales Ordines & cum uno conjungit; ſic etiam ſenſibilis veritas omnes ſenſibiles veritates & Civilitates & Policias cum uno conjungit: nam ipſa veritatis eſſentia, cauſam habet, quæ multitudinem in unum cogit: unum quod eſt bonum igitur eſt portus tutus univerſorum entium & ſtatuum: ergo omne bonum vim habet uniendi ea quæ participant ipſum, & omnis unio bonum eſt, & ipſum bonum eſt idem cum ipſo uno. Si enim ipſum bonum omnium conſervandorum vim habet (quamobrem etiam eſt omnibus optabile) id vero quod conſervandi vim habet & ſingulorum eſſentiam naturamque continere poteſt, eſt ipſum unum. Per ipſum enim unum omnia ſervantur & conſervantur. Et ipſa diſſipatio unumquodque expellit ex ſua eſſentia, & à ſua natura degenerare facit. Quibus ipſum bonum adfuerit, hæc unum efficit, & continet, per ipſam Unionem. Et ſi ipſum uuum vim habet congregandorum & continendorum ipſorum Entium, ergo unumquodque eorum propter ſuam præſentiam perficit.

Bonum igitur eſt etiam hoc modo unitum cum omnibus, & pro ipſo, unio, quâ res cum omnibus uniuntur, eſt bonum. Si verò & ipſa unio bonum eſt per ſe, & ipſum bonum eſt unificum, id eſt, quum res in unum cogit, ac ex multis unum facit, ergo illud quod eſt ſimpliciter bonum, & ipſum ſimpliciter unum, idem eſt, quoniam & unit ſimul & bona facit ipſa Entia. Quamobrem etiam ea quæ quodammodo ex ipſo bono exciderunt, ipſa quoque unius communione ſimul privantur. Et ea quæ ſunt

unius

unius expertia, quod intervallo repleantur, etiam ipso bono privantur, eodem modo. Est igitur & ipsa bonitas, unio, & ipsa unio, bonitas, & ipsum bonum, primò bonum. Et omne bonum est Divinum, & omne Divinum est pulchrum, sapiens & potens, & illius pulchri bonum est universa conservare: ubi enim non est pulchritudo, ibi non est ordo, sed Anarchia est confusio, quia ab unitate & bonitate declinant, pulchri enim bonum universa per unitatem suam conservat, Elementa autem illius boni sunt tria, optabile, sufficiens & perfectum: optabile enim sursum rapit omnia ad unitatem, Anarchia verò ad multitudinem detrudit: sufficiens est exsuperans plenitudo, & indeficiens, & infinita bonorum procreatrix sui, & in se contenta: multitudo vero Anarchiam & sui destructionem prosequetur: perfectum ad ipsas causas omnia in orbem agit: & mixtum est ex optabili & sufficiente, & horum principalis fons & causa est ipsa bonitas, quæ in uno imperium fixit: Post hanc Divinam Bonitatem & Unitatem Sapientia sequitur, quæ Dei est intelligentia & ineffabilis cognitio, quæ est unita cum eo quod in cognitionem cadit: Has sequitur Potentia quæ omnia potest quæ pulchrum & sapiens velint, & hæc omnia fiunt quia multitudinem confusam ad unitatem reducunt per fidem, veritatem, & amorem, quæ omnia conservant, & cum primariis causis conjungunt, & hæc tria posteriora sunt tribus aliis, quæ rerum Divinarum & Civilium complendarum vim habent, nempe bonitati, sapientiæ, & pulchritudini, & inter hæc nil adeo fidum est omnibus entibus, atque est ipsum bonum, quod est unum, & ipsa boni & unius appetitio & conjunctio cum bono fidem appellamus, sed istam fidem non intelligimus esse credulitatem, quæ est infra scientiam, sed veram fidem quæ est supersubstantialiter supra scientiam & intellectum; nos Deo immediatè conjungens: proinde Plato dicit libro de Legibus, Mendacii Studiosum infidum esse & amoris expertem. Unica enim est veritas, mendacium vero multiplex, & statui Anarchico simile: necesse est igitur veritatis Studiosum, fidum esse, filium nempe ad amicitiam ineundam, & cum aliis contrahendam, esse valdè commodum, & pro Civium societate & conservatione prorsus necessarium; & proinde Plato virtutem Conciliatricem diffidentium & in Civitatibus Sedatricem facultatem, fidelitatem appellat, & omnes combinationes excludit, itaque unionis, communionis & quietis causam esse ipsam fidem apparet; fides enim ad unitatem res dispersas colligit, infidelitas ad multitudinem Anarchiam & confusionem tendit: & si fabulosas Platonicorum sententias in Protagora descri-

descriptas velimus veritatibus præmissis exponere, Protagoream fabulam de rerum opifice, hoc est, de Magno Jove induceremus; dicit igitur illa fabula, Prometheum, qui genus humanum ornavit, & qui nobis prospexit, ut vitam ratione præditam haberemus, ne summersa Telluris furoribus & naturæ necessitatibus periret, naturam artibus illigasse, eamque vinculis earum constrinxisse, & has quasi ludentibus animabus mentis imitamenta proposuisse, & per has excitasse nostram cognoscendi facultatem, & intelligendi vim, ad formarum contemplationem. Omnis enim artificiosa effectio est formæ procreatrix, & subjectæ materiæ ornatrix: sed ipsas quidem artes ipsum procurantem & ipsis animabus dedisse, & à Vulcano & Minerva eas accepisse.

In his enim Diis primo omnium artium causa continetur: nam ille quidem Vulcanus ipsarum artium vim fabricatricem primo præbet: hæc vero Minerva cognoscendi facultatem & intelligentiæ vim ipsis animabus ex alto per illuminationem suppeditat. Quoniam autem non solum oportebat animas, quæ sunt in generatione & ortu habere ipsam artium inventionem, sed etiam aliquam aliam scientiam Civilem his perfectiorem, quæ istas artes componere, & ornare, & ipsas animas per virtutem ad vitam degendam, secundum mentem adducere posset, Promotheus vero ea quæ ad vitam istam placidè traducere nobis suppeditare non poterat, quia apud illum magnum Jovem primo est Civilis scientiæ politia, nempe & rectus societatis & vivendi ordo: Promotheus vero (inquit fabula) etiam in Jovis arcem intrare non poterat (sunt enim Iovis custodiæ formidabiles, quæ ipsum ex omnibus particularibus causis exemptum custodiunt) ideo Iupiter Mercurium nuncium ad homines misit, qui ferret prudentiam, pudorem, timorem, & verecundiam: Denique Iupiter hortatus est & imperavit, ut Civilis scientia virtutem istam omnibus pariter impertiret, & justorum, & pulchrorum, & bonorum cognitionem omnibus distribueret: sed non divisim, ut artes alias alii per distributionem acceperunt. Et alii quidem sunt periti rerum humanarum, & ideo sunt ipsorum hominum arbitri. Alii vero sunt imperiti, vel omnium, vel aliquarum artium, & illi debent esse peritis subditi.

Cum igitur Plato exemplar Civilis scientiæ ad ipsum Iovem, hoc est, ad primam unitatem & bonitatem primò refert, quibus quasi fundamentis humanæ & Politicæ gubernationis res inferiores illius Civilis scientiæ participes ita redderentur, ut qui primo Politiam Reique publicæ administrandi

di formam in hoc universo constituerit, & qui statuerit, ut Divina mortalibus imperarent, hoc est, tota partibus distinguerentur, & ita colligarentur, ut inferiora ab exemplo superiorum ad administrandæ Reipublicæ formam atque rationem collocaret, & ad unum caput reduceret, & is Adrastiæ sanctiones & statuta usque ad extrema extenderet, ut & ea quæ sub Luna sunt ad exemplar Opificis & primi Capitis sua justitia totam illam Politiam quæ omnium est præstantissima & quæ præstantissimis legibus gubernatur, exerceret, juxta exemplum Artificis & Creatoris qui exemplar Civilis illius scientiæ in se habebat, & Monarchiam tradere voluit. Si modo igitur Politiarum omnium prima & perfectissima est illa quæ est in Cœlo & universitatis Opifice, ut ait Socrates in Politia, id est, Dialogo de Reipublicæ administrandi forma, quis non eandem Civilem & Monarchicum statum in uno stabilitum sicut pulcherrimum & optimum approbabit? impossibile enim est, ut ille qui justè omnia produxit, & qui omnem Civilem scientiam in se ipso per essentiam habetur, inferioribus juxta suum exemplar & modulum non imperet, & Divinitatem omnibus unus & summus stabiliter & immobiliter impertiat: nam illæ custodiæ quæ circum ipsum sunt, ipsius immutabilem ordinem & immotam rerum fabricationis & gubernationis custodiam quæ in unitate versatur, significant, & circa arcem Jovis, ubi sunt formidabiles istæ custodiæ, Socrates in Phædone Adrastiam Regnum habere demonstrat, quod animabus illæsæ vel innocentis vitæ mensuras definit, & dicit quod ubi ista fiunt, in ipso mentali suam essentiam habet, & ibi beatitudinem ipsis animabus per illuminationem impertit; in illo igitur loco dicitur Adrasticæ Regnum esse situm; imperium enim omnium Divinorum uniformiter obtinet, & sanctiones omnes & intellectuales leges ad unam suam sanctionem reducit, & ex ea dependere jussit: omnes enim leges, sive sint illæ quæ tempore Saturni, sive Jovis, promulgatæ (quæ Saturniæ & Ioviæ dicuntur) illa Adrastiæ sanctio continet: proinde Adrastia dicitur custos Trinitatis, nempe Scientiæ, Temperantiæ, & Iustitiæ. Adrastia apud Orpheum dicitur rerum Opificem custodire (ut hactenus sæpius dictum fuit) & æreis Clavis, æreis Symbalis tantum strepitum edere, ut Dii omnes, nempe intellectuales mentes, ad ipsam sese convertant, & illam Adrastiæ legem *Thesmon*, non *Thesmi* pluraliter, secundum autem *Nomos*, intellectualem significans distributionem. Tertio vero loco ipsum *Thesmum*, & extendit ad omnia Animarum genera, & demonstrant ipsam esse communem fœlicis ipsarum &

beatæ vitæ menſuras & veram earum cuſtodiam, ad quam aſcendens anima ad omnium cognitionum facultatem uniformem & Regiam aſcendit, & Iuſtitiam, Temperantiam, Scientiam contemplatur: & illic ſunt tres fontes intellectualium virtutum quaſi tres Deitates quædam perfectæ, & mentales, ut in Phædone introducitur Socrates, quaſi tres Deitates mentales per ſe perfectas ſubſiſtentes, quarum unitas eſt Scientia: ſecundum locum tenet Temperantia, tertium Iuſtitia: & Scientiam dicit eſſe intelligentiæ immutabilis ſuppeditatricem, & Temperantiam dicit ſuppeditare Diis ſuæ ad ſe converſionis cauſam. Iuſtitiam ſuppeditare diſtributiones bonorum omnium ſecundum uniuſcujuſque meritum, & propter primum unusquiſque Deorum intelligit ante ſe exiſtentes, & unitate repletur, & propter ſecundum ſecundo & cognato bono fruitur: & propter tertium regit ea quæ ſunt poſt ipſum.

Aliam præterea Trinitatem deinceps contemplatur, nempe Veritatis Campum, Pratum, Alimentum Deorum, & hunc Campum illuſtrari dicit mentali luce quod eſſentiam procreat, nam ſicut lux unum unificum illuminat, ſic ipſum mentale eſſentiam: Pratum eſt fœcunda facultas vitæ & rationum omnigenarum: Vis Altrix vero eſt quædam mentalis unitas totam Deorum perfectionem vigore & vi replens: ſed omnes iſtæ facultates ſurſum ſunt unitæ, in inferioribus vero diviſæ: & alimenti duo ſunt genera, Ambroſia, quæ eſt ſolidus cibus, Nectar vero, liquidum.

Per Nectar vero & Ambroſiam perfectiones Deorum intelligit. Ambroſia vero fini, Nectar vero infinitati proportione reſpondet, & hunc cibum ſeu utramque facultatem Alimentum vocatur, quæ eſt mentalium bonorum plenitudo antarcia, & uniformis perfectio.

Socrates in Republica Platonis per proportionem boni Solem mundo imperare docet, & probat hanc proportionem, quia probat per ſimilitudinem primarum cauſarum: nam ſicut à primo ſummoque bono res univerſæ per excellentiam creantur & ſuſtentantur, ſic res mundanæ, à Sole ſicut participante bono ſimiliter gubernantur & ita ſtatus hominum, ſive minor mundus à Regibus regi & in ordine conſervari debent, proinde Regem vocat ipſe Plato *Deum*, & hoc Rege dicit nil eſſe præſtantius: Primus ergo Rex dicitur ipſe Deus, omnium Entium & pulchrorum Author. Secundus vero eſt Sol, qui ſub eo naturam cœleſtem & terreſtrem regit. Tertius Rex, qui eſt humanarum legum & Actionum Rector & Conditor, unde rectè dicitur juxta illud Cornelii Gemmæ.

*Jus*

*Jus legis scopus est, opus est lex aurea Regis,*
*Omnipari Rex est Regis imago Jovis.*
*Verum aliter prudens, aliter legem improbus haurit,*
*Pro lege hic ventrem spectat, at ille Deum.*

Nullum igitur Regimen post Deum & Solem est quod tantum instar Dei habet quam potestas Regia, nam veri Regiminis munus est multitudinem in unum caput cogere. Non caput in multitudinem deducere, nam ante res multiformes (sicut possunt dici alia multa regimina) fuerant res uniformes, unitas nempe, quæ à multis minime participari potest, quin unum unitatis nomen admittat, necesse est: uno quod privatur, in nihilum statim redigitur, & in suum interitum subitò ruit, & è contra per unum omnia conservantur Sed ut rerum Regiarum Tragædias & iniquas transplantationes, Deo & Regibus animadvertendas, relinquam, contra quarum actores certo certius datâ horâ & occasione, ulcisscendas aliquando aggredientur; & ut ad veritatis familiæ meæ transplantatæ accedam demonstrationem, volo ut singulis pateat, quam justa sit hæc mea prætensio. Proinde literas meas natalitias magno Scotiæ Sigillo confirmatas, & mihi post legitimam examinationem Commissariorum concessas, legendas affero: & quanquam inveniunt, quam disparem mihi elegerim sortem, dum Medicam (ego ex Nobilissimis Scotiæ Familiis ortus) Artem amplecterer, tamen scient primò, inter Scotos Medicinæ Professores fuisse à Regibus Scotiæ tali honore donatos, ut Comitum pari titulo fruerentur; & ad hunc diem tali titulo frui certum est. Secundò, quod fuerat mihi, fratri tertio, optabilius latitare, & virtute studioque honesto inter peregrinos vivere, quam turpi paupertate inter Compatriotas & præclaros consanguineos vilescere: Liberos forsan post me relinquam, qui sese à meo defectu si quis fuerat, relevabunt; & quod Laureâ non potuerat Parens in integrum conservare, Marte & Illustribus actionibus filii redintegrare possint; & ut ita faxit, Deum Optimum Maximum humillime precor. Hæc autem ut vera sunt, testantur literæ meæ Natalitiæ super plurimorum Nobilium Vicinorum fide & examine, mihi à Parlamento primò concessæ; & deinde Sigillo Magno Regni munitæ. Quorum autographum inter Regni Panchartas, & Archivos titulos reperitur; sicut & apud me, idem Sigillo munitum; aut apud Successores meos, tamdiu quam fieri possit, reperietur.

CARO-

*CAROLVS, Dei Gratia, Magnæ Britanniæ, Franciæ, & Hiberniæ Rex, Fidei Defensor, &c. Vniversis & singulis Regibus, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Abbatibus, Prioribus, Nobilibus, Baronibus, Præsidibus, Senescallis, Magistratibus, & Civitatum Consulibus: Nec non omnibus & singulis Admiraliis, Regionum, Arcium, Vrbium, Castrornm, Exercituum, Classium, Navium, Fluviorum, Portuumve Præfectis: Aliisque quibuscunque terra marique imperium exercentibus, ad quorum notitiam præsentes hæ litteræ pervenerint; perpetuam fælicitatem & salutem in Eo, qui suorum Salus est certissima. Quandoquidem summa eorum, quibus Rerumpublicarum administratio incumbit, cura esse debet, ut benemerentibus & Virtutis studiosis debitus honor conferatur; & si quis contra jus & æquum quid perpetraverit, constituto supplicio coërceatur: Nobis hucusque ratum constansque fuit, ne alterutram in partem negligentius providisse videremur. Itaque quantum vel è re nata, vel per graviora Reipublicæ negotia fieri potuit, sedulo dedimus damusque operam, ut quicunque vel Generosi Stemmatis, vel præclari facinoris, aliarumve rerum insignium à Majoribus derivata jura, aut encomia acceperunt, eadem apud posteros sarta & tecta (nisi ipsi à probitate & illorum vestigiis desciverint) quam longissima fieri possit serie maneant; quo & ad parem ipsi accensi laudem, aliquam propria virtute accessionem majoribus addant, & Parentum memores, nil eorum amplitudine, aut fama integra indignum committant, sed pari passu proavos æmulati, probos & fideles Regi & Regno, in omnibus, quantum jus fasque patitur, se subditos præbeant. Hinc factum est, ut dilectum & fidelem nostrum subditum,* Willielmum Davissone, *nunc in celeberrima Parisiensi Civitate Medicinæ Doctorem, litterarum studio & uberiori ingenii sui studio addictum, eoque nomine jam pridem apud exteros suo merito gratum, vel longioris peregrinationis ad ulteriora invisenda, amantem, vel fortasse sedem & domicilium (prout sese obtulerit occasio) alibi positurum, eadem benevolentiæ & commendationis nostræ*

*tessera*

*tessera ornare statuerimus. Quod & æquitati admodum est consentaneum, ut cum eruditionis suæ & modestiæ specimen peregre laudandum dederit, Nos pariter indubitatæ Veritati ex æquo & bono firmum testimonium (quod beneficii loco illi apud exteros prodesse potest) suppliciter rogati non denegemus. Quare cum post factam inquisitionem fide dignissimorum hominum, quibus Nos id muneris demandavimus; Nobis compertum sit: Certum facimus & testamur, prænominatum Willielmum Davissone, legitimum, ex legitimo matrimonio, & Generosis parentibus oriundum fuisse, Nobilibusque familiis tam à paterno quam materno genere descendisse; Patre scilicet Generoso & Spectato Viro Duncano Davissone de Ardmakrone infra Vicecomitatum nostrum de Abirdein: Qui fuerat filius legitimus Thomæ Davissone de Ahinhampers infra Vicecomitatum nostrum de Bamf, inter ipsum & Elisabetham Forbes ejus sponsam legitime procreatus: Quæ quidem Elisabetha fuerat filia legitima Willielmi Forbes, Baronis de Tolwhone, inter ipsum & Elisabetham Leith ejus sponsam, filiam legitimam Georgii Leith Baronis de Barnis, legitime procreata infra prædictum nostrum Vicecomitatum de Abirdein. Sicuti prædictus Thomas Davissone fuerat filius legitimus Ioannis Davissone de Ahinhampers, inter ipsum & Ionetam Leslie, ejus sponsam, filiam legitimam Domini Willielmi Leslie de Balwhane Militis, infra prædictum Vicecomitatum nostrum de Abirdein, legitime procreatus. Qui quidem Ioannes Davissone fuerat filius legitimus Willielmi Davissone de Ahinhampers, inter ipsum & Ionetam Couts ejus sponsam, filiam legitimam Willielmi Couts, Baronis de Auchtercoull infra Vicecomitatum nostrum de Abirdein, legitime procreatus. Matre pariter, proba & pudica fœmina, Ioneta Forbes filia legitima Willielmi Forbes, Baronis de Pitsligo, inter ipsum & Katharinam Gordoum ejus sponsam, filiam legitimam Alexandri Gordoun, Baronis de Strathdoun & Cluny, legitime procreata. Qui quidem Alexander Gordoun fuerat filius legitimus Alexandri, tunc Comitis, nunc Marchionis de Huntley, inter ipsum & Ionetam Campbell ejus sponsam, filiam legitimam Comitis Ar-*

*Argatheliæ legitime procreatus. Sicuti prædictus Willielmus Forbes, Baro de Pitſligo, fuerat filius legitimus primogenitus Alexandri Forbes etiam Baronis de Pitſligo, inter ipſum & Barbaram Albernathie ejus ſponſam, filiam legitimam Ioannis Comarchi de Saltoun, legitime procreatam inter dictum Comarchum de Saltoun, & Eliſabetham Hepburne ejus ſponſam, filiam legitimam Patricii Comarchi de Haile. Qui quidem Alexander Forbes fuerat filius legitimus primogenitus Ioannes Forbes, Baronis de Pitſligo, inter ipſum & Eliſabetham Keith, ejus ſponſam, filiam legitimam Domini Ioannis Keith de Craig, Equitis Aurati, legitime procreatus. Qui omnes legitimo matrimonij nexu compulati, hactenus cum generis luce claruerunt, tum ad poſteros ſine labe transfundunt eandem: Quæ omnia ſicuti ex ſe vera ſunt & firma, itidem ut apud univerſos & ſingulos teſtatiora & certiora maneant, non gravatim haſce patentes literas noſtras prænominato Willielmo Daviſſone conceſſimus, quibus ad plenam apud omnes fidem faciendam, Sigillum noſtrum Magnum appendi mandavimus. Datum Edimburgi ſecundo die menſis Iulij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo nono, & regni noſtro anno quinto.*

Sed ut ad tranſplantationem, & ad locum ab Hectore Boëtio deſignatum redeam, & rem ipſam ex propria mea ſcientia & pertractione referam; certum eſt, arcem iſtam eſſe caput & præcipuum domicilium & manſionem Illuſtriſſimæ & Antiquiſſimæ familiæ Forbeſiorum, nunc Comitum de Pitſligo, ſupra annuum proventum centum millium Florenorum in confinio Boguhaniæ ſitam, & ab Oceano ad 40. vel 50. paſſus remotam; & apud littus maris Portum habet, ſeu potius ſinum, ad cymbas accipiendas piſcatorias duntaxat oportunum. In eo loco, & in ſaxoſis locis vicinis, conſpiciuntur frequentes generationes iſtorum Anſerum, ſeu potius Anatum lignis & trabibus longa mora in iſto mari à ſemine iſto Anatifero alteratis: & quos ego, ibidem natus, & uſque ad annum ſeptimum educatus, ſæpè dum puer eram, pertractavi, plurimos ex aſſeribus cymbarum vetuſtate dirutarum, magnitudine ciceris, adhuc concha inducto: naſcentes, & ligno ex una parte inhærentes & ex alia prominentes: alios vero adultiores, & è concha dehiſcentes, adhuc forma conſpicua à natis

tis apparentes, conſpexiſſe memini: alios jam maturos, & à conchiliis ſeparatos, alis & pedibus penſibilibus, & roſtro ſolo ligno inhærentibus. Unde manifeſtè demonſtratur, exinde nutrimentum traxiſſe, uſque quo Natura provida, copioſiori alimento indigente, copioſiorem nutritionis copiam per ſeparationem à ligno aliunde ſuppeditare potuerit. Nam matura jam ætate fruente, roſtrum ex ligno prolabitur, & ſi tunc mare in fluxu fuerit, in mare cadit, & aliorum anatum more pernatat, & volatu cœlum petit. Si verò prolapſus in refluxu acciderit, & ſi ex alto præcipitio devolutus fuerit, tunc ut plurimum prolapſu iſto deſtruitur. Et in hoc notandum quod generatio iſta magis affectat ligna abietina, quam alia, propter abundantiam materiæ alibilis, quæ in reſina & ſulphureis partibus abietis reperitur: in iſta regione volitare videntur, in maximo numero: & pro cibo non injucundo haberentur, niſi quod parum marinum ſapiant. Et quamvis creberrimi videantur, & ab incolis capiantur, tamen ova deponere, nec ovorum incubatione fætum excludere unquam percipiuntur, ſicut aliæ aves, ſed lignis illis innaſcuntur; & aliquando etiam algis marinis, modo ſint in loco littori proximo, ubi à Sole & Luna ſæpius in dies irradiari poſſint. Ex prædictis igitur patet, quod ſeminarium iſtorum anatum, non ex individuo, ſed ex ſpiritu ſeminario in quibuſdam Oceani locis efflorescente, originem deducant. Et quanta ſit neceſſitas omnia perpendendi quæ in Natura quotidie occurrunt unuſquiſque judicare poteſt; ne Ruſticis nos cum Philoſophia noſtra deridendos præbeamus. Nam in crebra obſervatione multarum & diverſarum generationum, cauſas rerum rectius adferemus; quam ex Librorum lectione mille nugis ſarcinatorum expedire poſſimus.

## ANACEPHALÆOSIS

### CAPITIS DECIMI.

*Generationis humanæ radicem, fundamentum, principium, in Balſamo illo vitali contineri, quod univerſi corporis Anatomiam occupavit; idque tam in fœminis quam in maribus vigere, mutuoque congreſſu efferveſcere, & ſuſcitari, fœcundaque ſpirituum Mechanicorum ſobole, ad teſtium Anatomiam; & hinc ad Matricem*

*cem naturali impetu confluere, una cum materia ſeminali, quæ in teſtibus præparata, ſpiritualia principia felicius cuſtodit: In ſpiritibus vero Mechanicis vigere ſcientiam, cujus poteſtate Elementa, corporum principia, conſentanea, ex alimentis, opportunâ mixtione aucta, ex inviſilibus viſibilia, ex incorporeis corpora tandem evadant, partiumque numerum, ſitum, conſenſum, figuras, magnitudines; reliquaſque ſignaturas, ſecundum prædeſtinationes dictæ ſcientiæ, definitis temporibus abſolvi; ſexuum diſcrimina, ex ſupervenientibus tincturis pendere, in communi vero radice & principio unita conſpirare.*

## *Enucleatio textus hujus Anacephalæoſeos.*

IN hac Anacephalæoſi aggreditur humanam Anatomiam, non illam cadaveroſam, ſed vitalem, quæ origines, proprietates, ſingularum partium ſcientias, & agendi poteſtates inquirit. Quæ quidem tales ſunt, quales antea diximus, in proprietatibus radicum majoris mundi inhære-re, nempe in vitalibus principiis humanæ naturæ, & Mechanicis Spiritibus, tanquam in ſolida radice, in ſæculi conſumptionem duraturis. Et talis radix, tinctura, ſemen, balſamus, Mumia, aſtris oportunis, hoc eſt incorporeis corporibus veſtita, in univerſo corpore viget; quamvis partium diverſitate ſignaturas variet; itaque ait Author, non in teſtibus, non in cerebro, aut ſpinali medulla conſiſtere ſemen; ſed in Mumia, Balſamo, vitali ſulphure, quod per univerſum corpus diſpergitur, ſuoque favore omnia complecti dicit. Quid autem ſit Mumia? in Commentarium ſuper textum Capitis diſcuſſum fuit, & dictum, nempe fuiſſe vitale principium, ſicut Balſamus, & vitale ſulphur, quorum virtute non ſolum viva corpora à putredine conſervantur, ſed etiam mortua corpora; & illam radicem Hippocrates *animam* vocat. Et dicit Author, ſcientiam illius animæ, in ſpiritibus Mechanicis vigere, cujus poteſtate, Elementa, intellige concreta, corporum principia, & corpora Hypoſtatica ex alimentis oportuna mixtione mota, ex inviſibilibus viſibilia, ex incorporeis corporea, tandem evadunt, partiumque numerum, ſitum, conſenſum, figuram, magnitudinem, reliquaſque ſignaturas ſecundum præeeſtinationes dictæ ſcientiæ, diſtin-

distinctis temporibus absolvi. Per partium numeros intelliguntur progressiones rerum naturalium: ita enim solebant Pytagorici, mixtiones ac progressiones rerum naturalium, numeris adaptare, eorumque involucris, misteria multa occultare: & si constantes & perpetui sunt numeri partium, numerorumque proportiones & mixtiones ordinatæ, in generationum ordinario opere, aut ministerio reperientur, (quod Author *Liturgiam*, non inconcinno denominat vocabulo:) casu ubique dicit non contingere; neque à posteriori; sed in Mechanica scientia contineri, ubi magnitudines, figuræ, colores, sapores, & reliquæ signaturæ fundantur. Et si in scientia istæ signaturæ & numeri otiosi non sunt, sed vitales, potestate pleni; documenta dabunt, pondere, numero, mensura, & ordine, ornata esse omnia. Itaque nihil est in universo, quod ordinem effugit; quod non proportione ad harmoniam unitatemque redigatur: & exemplo possunt esse semina, quæ in generationibus ab unitate labentia, partes tanquam numeros & sonos ordinata proportione producunt. Elementa concreta constituunt, corporum principia & corpora hypostatica, numeris antea in scientia definita: quæ si consentanea sint, harmoniam, mixtionem, proportionem, & consonantiam facient; consonantiam nempe ex tribus debitè confluentibus constantem, scilicet seminali tinctura, Elementis, & corporum principiis; nec est ulla particula corporis, in qua tres dictæ harmoniæ consensum non faciunt: requiritur enim seminalis tinctura, Balsamus, Mumia, Radix, vitale principium (vocabula seminalibus rationibus æquivoca) si communi vita frui licuerit: requiruntur enim corporum principia Hypostatica, requiruntur Elementa, principiis consentanea, hoc est tale sal, corpus nempe Hypostaticum, principio nempe Mercurio, seu fluori corporum hypostatico, ut communiori aut remotiori exemplo, simile: tale sal igni, ut peculiari & proximo salis exemplo, simile: tale sulphur, corpus nempe Hypostaticum, Mercurio seu fluori ut communissimo, aut remotissimo sui ordinis exemplo, igni, ut proximiori principio Hypostatico; & aëri, ut corporum proximo principio, arena seu terra corpus, tali sali, corpori Hypostatico simile, talem aquam, corpus concretum, tali sulphuri, ut corpori Hypostatico simile. Tribus igitur, nempe seminali tinctura, corporum principiis, & concretis Elementis conspirantibus, in omni mixtionum progressione facient, hoc est officium destinatum absolvent, alimentoque continenter attracto, augebuntur. At si peregrinis impressionibus, mixtorum progressiones, ita validis

lidis tincturis fuerint contaminatæ, harmoniam non assequentur trinam; sed transplantationem facient, quæ in supervenientibus mixtionibus, & generationibus emendari non potest; cum rejectis propriis officiis, & ordinibus, alterius Reipublicæ Cives & Ministri evadant: & ita scientiæ suæ prædestinationes relinquentes, *faciunt quæ nolunt, & quæ non sciunt:* & ita in mola Matricis, in monstris & similibus evenit; principio primo scilicet destructo; & ita prima generationis exordia explicantur: in quibus partes singulæ, ex alimento auctæ, in conspicuam varietatem desinunt: sed postea alimento commodiore & solidiori desiderato, occultæ viæ deinceps non sufficient, sed membranis, quibus involvuntur fœtus, in dies crescentibus, canales formantur umbilicales, qui conjuncti, venas omnes & arterias ex utero in secundinas dispersas colligunt, spiritumque & sanguinem fœtui subministrant. Sed hic dubium proponi potest; quænam partes primò formari judicentur à natura? Hippocrates fœtum circulo comparat, naturam seminis figuris, informi nempe semini. Natura planè spiritualis est, & tale nutrimentum secum ad matrices attulit, & in eo ut crassiori corpori cortices & membranarum involucra format: itaque exinde ex crassiori alimento attracto, principia, termini & fines incipient apparere: itaque primæ partes circulo, (in quo nec finis, nec principium est) comparantur; sed copiosiori attracto alimento, tunc partes apparere incipient. Tandem in fine hujus Anacephalæoseos, tractat de seminum distinctione; & dicit, in una radice & principio vitali, & scientia, contineri masculi & fœminæ exordium, sed supervenientibus tincturis & mixtionibus separari; fœminamque esse transplantatam marem. Et hujus opinionis Author est Hippocrates, Libro primo de Diæta, & rationem reddit, quia anima eadem est omnibus animalibus; & corpus non item; & reddit rationem, quia animæ species, vitalia principia rerum, radicales tincturæ, stabiles sunt, perpetuæ, mixtioni non subjectæ, nec ulla necessitate corporeis prædestinationibus implicantur, spirituum tamen corporalium beneficio corporibus alligantur: de quibus consulendus erit Hippocrates Libro de Natura pueri, de Diæta; item de Genitura.

ANA-

# ANACEPHALÆOSIS
## CAPITIS UNDECIMI.

*Actiones omnes naturales à ſpiritibus proficiſci, iiſque differentibus ſubtilitate, craſsitie; ſecundum actionum analogiam; progreſsionem ſeminum & diſtinctionem ſcientiarum, partium neceſsitatem attuliſſe: in iis tanquam aſtris & radicibus, coacervari, & quaſi ad centrum revocari ſpirituum ſingulorum theſauros, indeque perenni radiorum defluxu cuncta foveri, Anatomiis eorum conſentanea; concoctionum officinas plurimas eſſe, communeſque appellari; in quibus impuritatum ſeparationes manifeſtæ & corporeæ neceſſario contingerent. Generationem quatuor humorum ſanguinis, bilis, pituitæ, melancholiæ, in hepate Phantaſticam eſſe: in ſanguine enim tanquam Elemento, innumerabilia ſemina, eaque proprietatibus trium principiorum inſignita, contineri, ſuperiorum Elementorum aſtra, fructibus inferiorum nutriri; & rurſus inferiora, ſuperiorum favore non deſtitui, ſed cuncta opportunis temporibus debitè conſpirare, revolutionumque ſuarum periodos inviolatas cuſtodire, niſi prævaricationes peregrinorum ſeminum irreperent.*

### *Analyſis Anacephalæſeos Capitis Vndecimi.*

DIcit Author, & recte, omnes actiones à ſpiritibus proficiſci; omnis autem actio, ut ſupra declaratum eſt, provenit à viribus; vires autem à potentia, & potentia ab eſſentia: & dicit differre ſpiritus craſſitie, & ſubtilitate, & ita, ut qui ſubtiliores ſunt, craſſiores ſeparare actione videantur; imò & notum eſt vulgarium Philoſophorum edictum, *Actiones eſſe ſuppoſitorum*; & ita ſuppoſita, vel ſunt αὐθυπόστατα ſibi ipſis quippe ſtantia: vel ἑτερόστατα, aliſtantia; ſed ſe ſtantia viribus, actione & eſſentia præſtant aliſtantibus; ſe ſtantia ſunt incorpora, & aliſtantia ſunt corpora; & horum

horum media ſunt incorporea corpora, & corpora incorporea. Et de iſtis mediæ naturæ Entibus intelligit Author, quando dicit, nec immerito, omnes actiones Naturales ſpiritus proficiſci: quando autem dicit progreſſionem ſeminum partium, neceſſitatem attuliſſe, intelligit progreſſionem cauſati, nempe ſeminum, hoc eſt ſpirituum à cauſa, hoc eſt ab Entibus radicalibus; & quæ in cauſa implicata fuerant, & unita, de neceſſitate erumpere in ſeminali affectu debent, per explicationem & multiplicationem: & ultimus terminus hujus progreſſionis eſt, finire in corpus, & corpora iſta, juxta explicationem diverſarum potentiarum, neceſſitatem etiam partium attulerunt. Sæpius enim dictum eſt, cauſam eſſe totum; cauſatum vero partes. Et quando addit, *ſcientiarum diſtinctionem*, intelligit, fine poſito, debere poni etiam media ad finem: & iſta media ſunt ſcientiarum diſtinctiones. In iis nempe ut in ſeminibus, & ſcientiis tanquam aſtris, ſingulorum ſpirituum Theſauri coacervantur; & ad centrum revocantur, ut perenni radiorum defluxu, cuncta foveant, eorum Anatomiis, hoc eſt diſpoſitionibus partium futurarum conſentanea. Per *concoctiones officinas* intellexit κοιλίας, hoc eſt cavitates, ſive ventriculos manifeſtos, ſeu occultos. Et in Anatomia tam mundana quam humana, dicit eſſe duos globos, ſuperiorem & inferiorem: ſuperiorem vocat firmamentum & aërem; & in illis eſſe dicit multa aſtra: & ſuperioris globi aſtra in homine, dicit, eſſe cor, pulmones, cerebrum, nervos, arterias, quæ officinas ſeu ventriculos concoctionum Procuratores habere cenſentur. Quod ad Generationem quatuor humorum, multas adfert validas rationes, ad doctrinam quatuor humorum & qualitatum primarum deſtructionem pertinentes; & dicit, non ſolum in hepate, humores iſtos generari; ſed in ſtomacho, liene, renibus, uno in ſanguine, ut Elemento; innumerabiles humores generari, qui omnes ex alimento, (in quo vegetabilium Animalium & Mineralium vires & ſpiritus reperiuntur) hauriuntur; & inde in omnes partes corporis diſpergunt, proprietatibus ſalis, ſulphuris & Mercurii inſignitæ. Per *ſuperiorum Elementorum aſtra*, intelligit in majori mundo ſtellas, in firmamento & aëre; in homine vero intelligit partes omnes ſupra Diaphraghma ſitas: inferioris verò Globi aſtra in majori mundo intelligit Plantas & Mineralia; in minori verò partes ſub Diaphragmate ſitas. Et dicit, ſuperiorum Elementorum Aſtra, in homine, nempe, cor, cerebrum, nervos, arterias, nutriri à fructibus inferiorum aſtrorum, nempe, ab hepate, liene, ſtomacho, ſanguine; & rurſus infe-

riora

riora astra, favore inferiorum non destitui, nisi prævaricatione; hoc est, nisi fiat transplantatio; quam symptoma generationis, aut prævaricationem actionum naturalium nominat; & quæ à concursu peregrinorum seminum irrepentium, ad generationem accidere solet. Et hic est verus Authoris sensus.

## ENUCLEATIO TEXTUS CAPITIS XI.

### *De Usu partium.*

TOta hujus doctrinæ dilucidatio ex prioribus dependet, proinde qui velit esse fidelis hujus Authoris discipulus, oportet ut ex præmissis benè sit institutus, antequam de sequentibus rectè judicare contendat: & ut hujus necessitatis cautior sit Lector; Author initio singulorum capitum recapitulationem brevem rerum anteactarum inducit. Ita in hoc Capite, paucis quæ de origine humana, prima seminis progressione, de explicatione potestatum scientificarum animæ, quæ corporum societate perficiuntur, ait, & earum quæ in Capite dicta fuerant, brevibus commemoratur. Dicit enim quia non poterant Entia, tanta numerorum & proportionum fœcunditate gravida, in uno gradu sistere, sed in multitudinem progredi, differentem juxta analogiam corporum, quæ mixtionis ope explicantur: undè ait fieri conjugia visibilium ac invisibilium corporum & spirituum: spiritusque in corpora degenerare, & corpora denuo in spiritus resolvi. Quæ omnia ex tabula seu sphæra Entium Radicalium satis clare illustrantur. Tandem colligit se, & absoluta seminis progressione, fœtuque absoluto, ad necessitates & officia partium accedit. Nec solum hic doctrinæ Capitis præcedentis memor, sed etiam ad universalia fundamenta redit: & dicit; quoniam in generationis fluxu custodiri debeant pro generatione Elementa; concreta quippe & corporum principia consentanea, à radicibus & seminibus fluentia, ut ex similibus radicibus nutrimenta, augmenta, ac mixtiones omnium corporum proficiscantur. Et ita imprimit nobis necessitatem earum partium inquirendarum, quæ horum, hoc est Elementorum Radicalium, & seminum ministeriis destinantur. Itaque partes horum Elementorum Radicalium & seminum ministeriis accommodatas, consentire necesse fuit, & in initiis omnium genera-

tionum, quia omnia ſpiritualia ſunt, & unita Elementa etiam Radicalia, partibus id eſt ſpiritibus ipſis, ſed corporeis officia ſua peragere cenſentur. Hanc unitatem reſpexit Hippocrates, aſſerens nos conſtare ex duobus, Igne & Aqua, hoc eſt fixo & volatili. Multa enim ſunt unita, quæ ſenſus non poteſt diſcernere. Itaque patrocinio unitatis, variæ locutiones admittuntur: ſic ex uno ſemine naſcimur, ex quatuor item Elementis; ex ſulphure, ſale, terra, & aqua, ex Mercurio, igne & aëre: in quibus quamvis in origine, hoc eſt in Entibus radicalibus, & in progreſſu, ut in ſeminariis rationibus, & in Mercurio ſeu fluore primo ſui ordinis participato, unita videantur; proprietates tamen ſine confuſione illæſas cuſtodiunt. Primo igitur Mechanici ſpiritus principia corporum Hypoſtatica, & Elementa concreta, prædeſtinationibus, officiis & ſcientiis, ſibi domeſtica adſciſcunt; quæ uſu partium reſpondere poſſint: & ex his primum ſpiritualia corpora, hoc eſt colores, odores, ſapores, tales conſtituant, quales in prædeſtinata ſpirituum ſcientia vigent; quibus omnibus rite mixtis, nutritione aſſidua auctis, paulatim à ſpirituali deſcendentes Anatomia, in corpoream familiam degenerant, corporaque conſtituunt, principio humida, calida, frigida, ſicca: in quibus ut poſtremis ſignaturæ priorum, ſed leves vigent; poſteriora enim, ut ſæpè ante hac dictum eſt, ex prioribus ortus ſui primordia duxerunt: itaque facta commutatione ſpirituum in corpora, figuras molientur, magnitudines nempe, ſitus, conſenſus, bonis ſcientiarum accommodatos, & concavo facto ventriculo, Oeſophagum & inteſtina adjungent; non quod una pars alteri prior conſtituatur, ſed quia aliter Naturæ opera interpretari non poſſunt. Rurſus, quia proprietates ſpirituum, ex quibus conſtituitur hepar, ex tali ſulphure, ſale & Mercurio procedunt, in quibus ſcientia ac poteſtas attrahendi, ſeparandi digerendi, & ad maturitatem producendi chyli vaporoſam ſubſtantiam, in ſanguine (quod hepatis officium eſt) continetur: renes ſimiliter, in quibus tertia alimentorum ſeparatio perficitur, ſecundum ſcientiam ſpirituum, Mechanicorum, in Mercurio, ſulphure, & ſale degentium, attractiones, ſeparationes, & digeſtiones vaporoſi ſanguinis abſolvent; & ita de liene intelligitur. Et in his omnibus ſali, ſulphuri & fluori ſive Mercurio, proprietatum actionumque cauſæ adſcribuntur; non caliditati, humiditati, frigiditati & ſiccitati. Neque ex illis temperamentum ſingularum partium integratur, ſed ex mixtione ſalis, ſulphuris & Mercurii inter ſe, & cum Elementis aliis concretis conſentaneis. Et hoc eſt noſtrum

tem-

temperamentum. Principia hic cum dico, Mercurium, ſalem & ſulphur, vitalia intelligenda: nam in illorum Anatomia, tales motus conſpiciuntur; & talis eſt cœli motus, vitalis nempe, cujus imaginem imitari ſtudent, ſpiritus cordis, item fluxus & refluxus Marini, ſic nitroſa & ſulphurea motus ſimiles oſtendunt, ſed non continuos, quia radicem non habent continuam: hic fundamenta pulſuum peti debent, & omnium accidentium ſeries, quæ pulſibus eveniunt, & ſi omnia à ſpiritibus, hoc non tamen arguit inutilitatem partium, magna enim ſpirituum Mechanicorum differentia eſt. Nam corporei ſunt ſpiritus illi Mechanici, à quibus officia corporibus finitima proficiſcuntur, multum à virtute & viribus Mechanicorum ſpirituum, quæ in Entibus Radicalibus & Originalibus deprehenduntur, diſcrepantes. Corporei enim ſpiritus ab his originem ducunt, foventur, continentur, gubernantur, & propter viciniam & conjugium Radicalium cum corporibus, corporeas ſæpè affectiones ſuſtinent, locaque & Matrices, radices & fundamenta poſtulant, in quibus actionum fontes, & fructuum, hoc eſt corporum Theſauros conſtituant. Sic partes integrantes corporis, ſunt tales radices, penuria, aſtra, in quibus uniuntur, & concentrantur virtutes ſpirituum, per orbem totius Animalis Anatomiæ diſperſæ, neque enim in ſolo pectore continetur Anatomia (hoc eſt diſpenſatio) ſpirituum cordis, ſed per univerſum corpus mirabili continuitate diſpergitur: ita de hepatis, lienis, ſtomachi, uteri, teſtium, cerebri, Anatomia, & quamvis in ſuis Regionibus ſegregati jaceant, tamen continuitate à prioribus diverſa, per omnia diffunduntur, & ſenſuum, motuum, imaginationum, memoriarum, ſpirituum corporeorum, ſed ſubtiliſſimorum miniſteria perficiunt. Et inde eſt neceſſitas partium, quæ incorporeis, deinde corporeis affectionibus obtemperant: ita motum à ſpiribus incorporeis primum, deinde corporeis cieri manifeſtum eſt, ſed carnoſæ fibræ corporis legitimè diſpoſitæ, requirunt, ut horum conjugio & congreſſu motus validiſſimi & conſpicui abſolvantur: ſic in prima ſeminis conſtitutione in Elementis & corporum principiis, etiam num ſpiritualibus, ſolo ſpirituum miniſterio, continuitas cuſtodiebatur; donec ſpiritualibus in corporea tranſmutatis, vincula quoque corporea adjuncta fuerint, per quæ à radicibus, tanquam per orbes ſpiritus Mechanici peregrinari poſſint: eſt etiam & alia continuitas, quæ carnium, membranarum, oſſium, beneficio perficitur, quæ omnes partes magna principiorum diverſitate conſtant. In ſanguine quoque lex præſcripta eſt, & locus deſignatus, ſcientia

attributa, cujus ductu in propriis diversoriis sine aliorum injuria se continebit, officia destinata absolvet. Sed nunc post spirituum scientiam, opus est de partium ordinibus ex necessitate prædestinationis scientiæ spirituum constitutis, earumque actionibus dcere, quæ Elementis inferioris globi inserviunt, ut ventriculus, hepar, lien, Oesophagus, intestina, Mesariacæ venæ, renes, vesicula fellis, urinæ, venæ, imo & ipse sanguis: actionibus vero Elementorum superioris globi inserviunt, cor, pulmones, aspera arteria, Diaphragma, arteriæ, spiritus etiam vitalis per arterias diffusus: & in secundo ordine partes continentur, quæ generationi destinantur: pro tertio ordine, erunt ea quarum ministerio colliguntur, & conspirant, universaque vincula sunt continuitatis corporeæ. Nunc post ordines partium explicatas, coctionum liturgias aggreditur, & dicit, virtute spirituum Mechanicorum, alimenta ventriculo recepta resolvi & misceri, sunt enim in ventriculi natura, quam Author noster Anatomiam vocat scientiæ sulphurum, salium, & Mercuriorum, quæ tales actiones edere possunt: in ipsis quoque alimentis continentur Elementa ac principia, quæ his actionibus obtemperant: ita facta resolutione separantur, sed continuatur digestio separationi partium impuri sulphuris, ab alimento impurum ad monoculum tendit, quod adhuc ab intestinorum Mechanicis spiritibus perfectius separatur. Sed cum hoc impuro sulphure est & alia pars mucilaginosa & tartarea, quæ in ventriculo separatur, quæ omnibus alimentis inest, & hæc quia in se non habet virtutem expulsivam, sed potius aluminosam, & styphicam, quæ si retinetur morbos parit, sed separatis impuritatibus alimentum in ventriculo digeritur, & continua spirituum actione, in vaporosos halitus convertitur, & inde ad hepatis officinam se confert, & quamvis repudiatur corporea chyli distributio, & admittatur vaporosa solummodo substantia, tamen corporea continuationis vincula, distributioni huic necessaria sunt, nec spiritualia omnia spiritualibus mediis conspirant. Magnes ferrum attrahit non absque corporeo medio, torpedo manum piscatoris absque corporeo medio non afficit, ita quamvis vaporosum & spirituale sit nutrimentum, tamen continuationis vincula desiderantur, quorum adminiculo attractiones naturales, quæ spirituum beneficio administrari debent, absolvuntur & spiritus isti in Balsamo, Mumia, vitali sulphure, totius Animalis latent, qui omnium Alimentorum radices sunt, & sine quibus nihil nutrire potest: in hoc Balsamo sunt Elementa, sunt principia Hypostatica, est fluor, seu Mercurius, ignis, aër, & duo corpora hypostatica,

sal

ſal & ſulphur; Elementa concreta, terra & aqua, ſunt excrementa, impu-
rum illud ſulphur & fœtidum, urina, mucilagines; tartarei ſudores, im-
puritatum quoque multæ ſpecies: eſt ſuccus ille ptiſannæ cremori ſimilis:
eſt ſanguis, ſunt ſpiritus, carnes, oſſa, ligamenta, nervi, ſi Mechanicorum
ſpirituum aderit induſtria, & ſcientia, quæ latentia ſeparare poſſint, quo-
rum multa præcipuè Mercuriorum ſalis & ſulphuris ſpecies, quæ artis mi-
niſterio oſtendi poſſunt, ſed non pituitæ ſanguinis aut utriuſque bilis, quæ
ſunt inania duntaxat nomina fraudulenta oſtentatione principiorum ſu-
perba, ſed ſi quis nova iſta (ut volunt multi) nomina, in vanum fuiſſe intro-
ducta cenſerit aliquis & idem eſſe aſſerat, qui febrem ex nitroſo ſulphure,
accenſo cum chemicis atque illi qui febrem ex bile putrida cum Galenicis
oriri affirmant, ita colicam eſſe de mucilagine tartarea, aluminoſa ſtypti-
ca, cum chemicis, atque ex pituita cum Galenicis, ita qui calculum fieri di-
cit ex mucilagine marmorea, alebaſtrina, arenoſa, bolari, ut chemici, ſive ex
pituita ut Galenus, ſive dixerit podagram generari ex ſale Mercuriali ſubti-
liſſimo & acutiſſimo, cum chemicis, ſive ex ſanguine, pituita ex utraque bile,
aut ſeroſis humoribus cum Galenicis, ſive aſſerat cancrum oriri ex ſale æru-
ginoſo aut ferrugineo cum chemicis, ſive ex melancholicis humoribus, vel
atra bile, cum Galenicis, vehementer tamen errare cenſeo, nomina enim iſta
quatuor humorum, aut ſimiles appellationes vulgares, ſunt extraneæ &
mortuæ, quia comitantur ſignaturas externas, communes, invalidas, mor-
tuas, & momentaneas: in chemicorum vero Philoſophorum Scholis deri-
vantur nomina ab internis proprietatibus, à poteſtatibus, à radicibus ipſis
rerum, qua lege febres nitro ſulphureæ nominantur, nam radices habent, &
ſemina, in quibus permiſcentur ſulphuri impuro, fœtido & reſoluto, muci-
lagines & ſemina ſalium nitroſa, qui enim hujus radicis fructus in ventricu-
lo, & in ventriculi anatomia exaltatas inquirere velit, omnia ſymptomata
quæ febribus ventriculi ſuperveniunt, facilitate manifeſta inveniet, nam
dum incipit minera nitroſi ſulphuris flores ſuperficiales emittere, apparent
ſomnolentiæ, pulſuum mutationes, frigiditates, horrores, rigores, oſcitatio-
nes, pandiculationes: nitroſorum ſulphurum infinitæ ſunt propemodum
ſpecies, multum inter ſe proprietatum robore, ſinceritate, & exaltatione
differentes, & hoc qui ignorat, Elementa ignorat, nec enim corporea con-
tinuitate ob difficilem penetrationem diventionum ubique opus eſt ad ef-
fectus tales producendos, ſed ſufficit ſpiritualis præſentia, ſatis eſt Elementa
communia vitalis Balſami, inſtrumenta & domicilia vaporibus & ſpiriti-

bus, per omnia penetrantibus, acuta & valida ſubtilitate inquinata eſſe, nec mirum eſt ex eadem tinctura, in vitalibus Elementis recepta, eodem tempore, tam diverſa accidentia ſuſcitari: partium enim differentiæ, officiis ac trium principiorum proprietatibus diſtinctæ in cauſa ſunt: ita cordis anatomia occupata, pulſus mutantur ſpirituum motui deſtinatorum, & muſculorum provincia labefactata, invita motuum miniſteria peraguntur, in cerebri rempublicam hoſpites admiſſi, ſenſibus ligatis peregrinum inducunt ſomnum, laborioſa vigilia permixtum, & tandem his ſuperficiebus acetoſis, frigidis, Mercurialibus, exhauſtis, vapores ac ſpiritus pinguiores inflammabiles, ſulphuris naturam magis referentes: ſulphuris dico, ſalium permixtione tranſplantati, qui & ipſi vitalium Elementorum anatomias iniquinantes, calorem, ſitim, capitis dolores, deliria, pulſuum celeritates, anxietates introducunt, donec exhauſtis radicibus, conſumptis reſolutiſque ſpirituum inimicis tincturis vomitione, alia excretione, ſudore vel inſenſibili tranſplantatione evacuatis deſideratam naturæ quietem concedant, reſiduarum indubitato metu ſuſpectam; ita & hæ accenſionum ſtatæ & ſæpe ordinatæ repetitiones, quæ apud Galleniſtas pro miraculo habentur, hic cum maxima facilitate interpretantur, fideli hac proprietatum miniſterio adjuti: præterea, qui febrem ex bile ortam eſſe aſſerit, bilem in nutrimento ex quo conſtamus non inveniet, nec niſi multa caliditatis & ſiccitatis ope adducerentur ſignaturæ, & febrilium ſymptomatum cauſæ, interpretari non poterant, quod tam ſæpe & hic ab Hippocrate dictũ, calidum, aut ſiccum nullas magnas mutationes adferre, ſed amarum, ſalſum & omnigenum, quæ ſpecies ſunt Mercurii ſalis & ſulphuris: qui vero ex nitroſo ſulphure febrem conſtitui aſſerit, in febre ſulphur hoc, ſalem & Mercurium in omnibus ſpeciebus nutritioni deſtinatis inveniet, neque etiam vulgarium Philoſophorum diſſenſum, hoc in loco habemus, illi enim etiam nobiſcum conſentient nutriri nos ex eadem materia ex qua conſtamus, at nutrimur ex Vegetabilium, Animalium & Mineralium reſolutis ſpiritibus: igitur ex iiſdem etiam conſtamus, imo & fatentur bilem æruginoſam per vomitus ex corpore humano ſecerni, imo & porraceam, hoc eſt porri qualitatem habentem, item vitream & tartaream, imo ſalſam & acidam ſæpè adferunt; quæ omnia teſtantur quam trepidi & incerti ſint in nominibus iſtis humorum phantaſticis applicandis: quod ſi vero chemiam didiciſſent, deprehendiſſent nitroſam, aluminoſam, vitriolatam, ſalgemmeam, & ſi herbas etiam ſales & ſalium proprietates continere crederent, Aronis, urticæ, Chelido-

niæ,

mæ, flammulæ, brassicæ, soldanelæ, cali, centaureæ, piperis, persicanæ, salia etiam in humoribus amitterent, mixtiones quoque salium cum sulphuribus studiosius inquirentes, salia, sulphurea, & Mercurialia, magna utilitate adjungerent, & non solum tales salium, sulphurum & Mercuriorum species in hepate, sed etiam in omnibus Elementorum tam superioris quam inferioris regionibus contentas generari, sancta fide admitterent, & repudiatis humorum appellationibus, salium, sulphurum & Mercuriorum proprietates inde addiscerent, imo & Hippocrates in humorum dispensatione testatur, se non istis qualitatibus animum haud applicuisse, sed proprietatibus variis, omnigenis, innumerabilibus, quæ in alimentis prius latebant, & in corpus humanum transfusæ cum alimento fuerant, & qui hæc omnia diligenter examinat, omnibus causis & symptomatibus morborum sine labore accomodare potest, servatis semper seminum, locorum & spirituum Mechanicorum Analogiis, non neglecta harmonia humanæ Astronomiæ, quæ in superiorum Elementorum firmamenti & aëris cognitione consistit, tum inferiorum terræ & aquæ, & in illorum mutuo respectu, superiora, firmamentum enim & aër, eorumque astra, hoc est spiritus, fructibus, hoc est corporibus ac resolutionibus inferiorum fruentur: inferiora, terra nempe & aqua, & ejus astra, nempe vegetabilia Mineralia & animalia benignitatem superiorum experiuntur: ita in corde, cerebro, pulmonibus, arteriis, nervis, naturalium actionum administrationes conspiciuntur, & suos habent ventriculos, & spiritus Mechanicos, attractionum, retentionum, separationum, coagulationum, digestionum, expulsionum, distributionum, & ubicunque tales spiritus reperiuntur, ibi concoctiones celebrari, & ventriculi officia absolvi necessum est, spiritus enim sunt qui esuriunt, sitiunt, qui saturantur & saturati fructus emittunt, sanitatis & morborum nuntios: nec mirum est tantam Elementorum & astrorum diversitatem, tam amice conspirare, nam in una radice fundantur omnia, in Balsamo scilicet animali, cujus prædestinationes, scientias, & officia diversis disjunctis, & sæpè contrariis instrumentis ordinatè absolvunt.

## ANACEPHALÆOSIS CAPITIS XII.

### *De Morborum Generatione & Transplantatione.*

*Morbos ex seminibus produci, semenque & radices in natura habere, non incertis quibusdam individuis seorsim, sed aliorum radicibus adhæ-*

*adhærere maledictione Divina, primis purisque rerum seminibus supervenisse: scientias, prædestinationes & signaturas, scientiis consentaneas accepisse, & quia fructibus Elementorum à quibus alimenta haurimus, conjunguntur, impuritates morborum Authores, differentias eorundem fructuum imitantes, Elementorum ac seminum proprietates diversas ostendisse, repudiatis classibus intemperierum, humorum & obstructionum: generationes quoque & transplantationes consuetas, perpetuas, insuetas, & novas, ut & alia Elementorum semina obtinuisse.*

## *Analysis Logica Anacephalæoseos.*

PRius dictum fuerat corpora in seminibus, hoc est species individuas in astris seu spiritibus, hoc est in generibus latuisse, & deinde ex iisdem producta fuisse, sicut species individuas in natura generica, aut ut posteriora in prioribus contineri concipiuntur: jam autem ex iisdem radicibus, seminibus, astris, spiritibus, morborum productionem educit, deducit, & dum dicit semina morborum non habere radices in certis quibusdam individuis, seorsim, sed radicibus primis; maledictione Divina supervenisse, primis & puris seminibus, rectè asserit: fuerant enim prima semina, verè pura: *post creationem enim, viderat omnia Deus, quæ fecerat, & erant valde bona*, & tunc nulla morborum semina habebant, sed post protaplasti lapsum, maledixit terræ, & fructibus ejus, & maledictio ista fuit morborum semen: remanserunt igitur prima semina, sed novis infelicibusque vestimentis obducta. Et inde dicit accepisse ista semina scientias, sicut prius dixerat spiritus Mechanicos arte Divina ornatos, radicem habuisse in radicalibus Elementis, vel causis, & illorum artem in seminibus explicuisse: proinde dicit Author, semina morborum obtinuisse scientias, prædestinationes & signaturas, scientiis illis consentaneas: per prædestinationes intelligit Author, executionem necessariam Divinæ voluntatis, nam quoniam voluit potuerent, fierique quæ voluit, & eo modo quo voluit, (velle enim & posse in Deo idem sunt) & quoniam voluerat, necessitas subsequuta est, ut talia fierent in effectu, qualia prius fuerant in scientia causæ, & illa causæ scientia, fuit creata, antequam foras producta, dicitur enim Geneseos cap. 2. *In die quo creaverat Deus terram & cælos & omne virgultum agri, antequam orirentur*, aut in terra fuerant, aut crescerent, creavit igitur Deus istam scientiam

entiam non per suam scientiam, (omnia enim in Deo sunt unita) sed per sui scientiam explicando simulacra sua rerum ad extra, quarum Ideas & exempla primo in mente habebat; nam sicut dicit Apostolus: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent*; verbo Dei, nempe Filio omnia adaptante, disponente, & ordinante, quæcunque in sæculis, hoc est, tum in sempiternitatis ævo invisibilia, tum in tempore visibilia, quæ etiam ab invisibilibus per participationem & continuatam sympathiæ communionem dependent, foventur & vivificantur, prædestinantur, ut in sua specie germinent & generent, juxta scientiam invisibilium, & scientia ista dependebat à formis exemplaribus, quæ in artifice erant, & sanctus Dionisius exemplares istas formas vocabat, & rationes substantificas, & sanctus Augustinus cap. 15. lib. 5. Geneseos, explicans locum sancti Joannis, *quod factum fuerat in ipso vita erat*, & dicit *quod in hac vita omnia vixerunt dum fuerunt, & sicut vixerunt ita fuerant*, non vivens tamen sibi sed in se etiam omnia numerabat, quæ faciebat, & si numerabat mensurabat, & visio hæc eadem erat cum visione Paterna, sicuti ambo non sunt, nisi una substantia, & verbũ ipsemet existens in Deo, *& verbum erat in principio*, & principium hoc à divo Thoma explicatur Genes. 46. primæ 8. partis pro Filio, sicut enim affectuum principia, Patri appropriata sunt, propter potentiam suam sic principium exemplare appropriatum erat *Filio propter scientiam sui*, ut esset conforme huic quod dictum est. *Omnia in sapientia fecisti*. Et sic intelligitur Deum omnia fecisse in principio, scilicet in Filio secundum id quod dixit Apostolus ad Colossenses, quod omnia in ipso facta sunt, mempe in Filio, & Filius spiritui tribuebat, Opifici omnium rerum proximo, Patri & Filio consubstantiali & competenti, & si competens & omnipotens, cooperarii fuerunt, & coefficientes, habentes essentias, potentias & actiones, sic unitas, ut eas separare sit impossibile, ubi enim est essẽtia, ibi est potẽtia, quæ nihil est aliud, quam extensio, & protensio essentiæ, & ubi est potentia, ibi est actio, *aut in aut ex essentia*, & de hac sapientia mẽtionata est in Proverbiis Salomonis. *Quod sapientia ædificabat domum suam*, & aliis locis in sacris literis *unde est sapientia? & quo loco mortales hanc scientiam ignorabant, & non reperietur inter homines?* Et paulo post ait, *intelleximus gloriam ejus, potestates & Dominatus. Fecit enim & finivit omne quod sub Cœlo est, scit & fecit omnia, quæ in terra sunt, nempe flatus ventorum, & omnium rerum mensuras vidit, dum fecit secundum quod videtur*. Manifestum ergo est, ut ait sanctus Augustinus. *Omnia fuisse in notitia factoris antequam ab eo fuerunt facta*, & id

modo longè certiori & firmiori, quam in rebus factis, sed quid hæreo? nonne Divinæ literæ docent Deum, quodammodo exemplaribus usum fuisse, ad universi fabricam, ut doctè libro de mundi opificio demonstrat Philo Judæus, illudque Regis Psalmographi. *Informem fœtum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnia membra mea scripta fuerant, quæ per dies fomata, aut signata sunt*, ubi quando mentionem fecit rerum formandarum in tempore, applicat se ad signaturas exprimendas libri sui, hoc est mundi intelligibilis, quem Plato Deo inferiorem ponit, Christiani vero Dei Filium Patri coæqualem: si ergo omnia quæ hic in mundo videmus, facta erant, credendum est ea, per formas exemplares, facta fuisse, antea in intellectu facientis, & si ita facta in mente, aut in intellectu facientis, oportet etiam ut extra per formas exemplares inveniantur, non possumus autem concipere exemplatum absque mensura, & proportione ad exemplum, sed si sit mensura & delineatio in exemplo, oportet ut modo stabili ibi sit & in distanti, incorporea, immateriali, & si sic in supremo Entis gradu, oportet sit multiformiter, instabiliter, distanter, corporaliter, & materialiter in infimo, & sicuti primi Entis gradus continere, actuare & informare ultimos debet, oportet etiam ut gradus hi oppositi, connexi esse debeant, mediantibus pluribus entium mediis: suprema ergo per media maximè oppositis convenire debent, per sympathiam proximã causæ suæ, sicut infima per media Entium maximè oppositis convenire debent, nisi per sympathiam effectuum: sic omnes effectus naturæ, ab ipsa natura centrum sumunt, quæ affinitatem & similitudinem ab anima, ab intellectu, à vita, ab essentia, per participationem sumunt: ab ista igitur artificis primi scientia, nata est secunda scientia, secundi artificis (hoc est naturæ) primis scientiis similis & prædestinationi ultimæ, huic scientiæ conformes obtinuerunt artifices illi secundi morborum semina, & cum istis prædestinationibus, signaturas, scientiis consentaneas acceperunt, hoc est fundamenta visibilium corporum, nempe quantitatum, qualitatum, tam essentialium aut primorum, hoc est odorum, saporum, fluorum, calorum, quam qualitatum rellolacearum, hoc est umbratilium, & quasi sublocatarum absque viribus & potestatibus, quales sunt calor, frigus, siccitas, & humiditas: & ubi dicit fructibus Elementorum, à quibus alimenta haurimus, adjungi impuritates, explicat Author, se non hic intelligere Elementa Radicalia, sed concreta, ubi hujusmodi impuritates latent, & monet istas impuritates sequi naturam corporum in quibus deprehenduntur, nempe si in sulphure, erant impuritates etiam sulphureæ, si

in

in sale aut Mercurio, his etiam similes erunt. Idem etiam censendum erit de concretis Elemẽtis aliis, nisi hac differentia adhibita, quod impuritates, quæ in Mercurio, sale & sulphure latent, magis naturam seminum repræsentant, quæ vero in aliis concretis, naturam quatuor qualitatum simplicium explicant.

## TEXTUS ENUCLEATIO.

SIcut dictum fuit Cap. 8. semina vegetabilium, animalium & mineralium progredientia ad legis imperium, signaturas, qualitates, quãtitates, in generatione naturali, proferre; eodem pacto dicitur, morbos ex seminibus produci, seminaq; & radices in natura habere, & in generatione morborum quæ contra naturam fit, symptomata plurima adferre, & dicit in hoc capite, semina morborum naturas explicantia, quia occultiora sunt, & generationes & transplantationes absconditas habent, à paucis esse comprehensa: hinc apud Hippocratem distinctiones morborum variæ reperiuntur ratione causarum efficientium, ut in libris de *Humana Natura*, Libro de *Flatibus*, in Lib. de *Humoribus*, Lib de *Morbis*, de *Antiqua Medicina*, libello de Alimentis. Galenus in prioribus libris Methodi medendi, quatuor rerũ genera, inter se destructa proposuit, actiones, actionum proximas causas, antecedentes, evidentes, seu externas: actionum proximas causas fuisse partium Diatheses afferit, quas iniegrari justa Elementorũ temperie, & symmetria, ametria, & intemperie, actiones morbosas produci affirmat, antecedentes vero in humoribus contineri tenet, quorum temperiem ab Elementis Aristotelicis deducit, cum tamen in ejus Schola quid sint Elementa, quomodo misceantur, & an actionum omnium causæ ab Elementorum temperie proficiscantur, multis & in Schola Peripathetica celeberrimis dubitandi occasionem præbuit. Fernelius ad totam substantiam, alii ad alias cautiones confugerunt; tanta difficultas est in Diathesi illa Galenica, alii enim relicta nominum subtilitate, à rebus ipsis veritatem eruere conati sunt, quocirca in morbis nonnullis, sensuum Ministerio deprehenderunt aliquid à quo proximè actiones lædi videbantur, cui morbi appellationem dederunt, hic humores hepati, & lieni impactos; calculum similiter in vesica, morbos dixerunt, positis enim talibus humoribus, ut calculo, per hoc proximè lædi actiones asseverabant, sed surrexerunt, ut ait Anthot, adversus istos nominum & Prædicamentorum decoctores aliqui, conquerentes causarum affectuumque discrimina inconsideratè negligi, qualitates in substantia collocari, morbus enim cum Diathesis sit, in Cathegoria qualitatis contineri, ibique differentias,

tias,ſpecies, & totam Oeconomiam poſſidere, eos vero humores craſſos, hepati & lieni impactos, ( quæ veræ ſunt ſubſtantiæ) morbos nominare: hinc quæſtiones novæ, de cauſa continente morborum, quocirca quia inter cauſas continentes morborum, & actiones læſas intervenire poterat aliquid, cujus interventu morbi ipſi à cauſis continentibus rectè diſtinguerentur, poſteriores obſtructionis nomen invenerunt, & interpoſuerunt humorem illum lapideum, quem cauſam eſſe ajebant, obſtructionem vero morbum vocaverunt: ſic planè ridiculi erunt, nec prædicamenta intelligunt, nec generum & ſpecierum ordinationes inſtituere ſciunt. Etenim ſi aliquid agit morbus, in cauſarum numero proculdubio reciperetur, in quocunque prædicamento contineatur, ſed ſi in cauſis ordinationem generum & ſpecierum animadvertiſſent, certè quod remotiſſimum ab effectu producendo eſt, generis rationem obtinere debebat, quod vero proximum, individuæ ſpeciei: ſic mucilagines tartareæ, bolares, quæ in cibis cōtinentur, genera Generaliſſima ſunt, horum fruſtrata ſeparatione & expulſione, in quocunque loco corporis, genera erunt ſubalterna, quando exaltata vero, & copia meatus obſtruentes, per ſymptomata innoteſcunt, *ſpecies erunt individuæ ac poſtremæ*; actiones vero læſæ vel impeditæ, individuæ erunt. Itaque duplex erit ordo in morborum progreſſionibus, primum realem habebimus, ex coordinatione cauſarum efficientium dependentem, qualem deſcripſimus, alterum nominalem, in quo morbus generis ſupremi locum tenebit, obſtructio ſpeciei, mucilaginoſa materia hepati impacta, individui, cōſtituemus: ſimiliter morbus genus erit, febris ſpecies, calor in corde accenſus individuum, & quemadmodum calorum in corde accenſorum diverſas individuorum claſſes in febribus conſtituunt, ita differentiæ materiarum mucilaginoſarum in diverſis locis humani corporis individuas obſtructionum differentias pariunt, aliæ enim ſunt inflammatæ, aliæ non, quædā acutæ, ut arſenicales quædam chronicæ, aliæ arſenicales, ſulphureæ & inflammabiles, aliæ non, aliæ aluminoſæ, aliæ vitriolatæ: ſi igitur rogarer, in quo prædicamento velim morbum collocare? reſponderetur morbos in prædicamentis non collocari, ſed prædicamenta in morbis, & *nomina rebus accommodare debemus, non autē res nominibus*, exempli loca, ſemina, aſtra, radices, principia rerum, in quibus prædeſtinationes, ſcientiæ & dona continentur, fundamenta ſunt corporum, quantitatum, qualitatum, & relationum, ſunt enim Autypoſtata; quia in illorum Theſauris inſitas habent rationes omnium, non momentaneas, ſed ſtabiles & vitales, & ubi explicantur, Elementa & corporum principia ſibi adſciſcunt, & ex in-

cor-

corporeis fiunt corpora incorporea, & ex incorporeis corpora ipsa. Et ita ordinata progressione, omnes dimensiones, distantias, numeros, durationes, sapores, odores, colores, & simplices qualitates, officiis ac prædestinationibus radicum consentaneas, & scientiæ conformes acceperunt, (quas signaturas vocat Author:) quicquid igitur semen in natura habet, principium & radicem, quicquid generationum fluxus & refluxus moderare potest, scientiam etiam habet, prædestinationem accepit, vitam potestatemque obtinuit, radices astrales posuit, quocirca omnium prædicamentorum in se rationes continet, proinde omnia hæc in prædicamentorum angustiis contineri vix possunt, sed potius quod in suis Thesauris prædicamenta ipsa, & prædicamentorum fontes custodiat: morbos autem semina habere, hæreditarii morbi propagationum constantia, seminis præsentem vigorem demonstrare potest, contagiosi etiam morbi transplantationis, etiam documenta ponunt, & hi stabili ratione confirmant morbos, qui temporum, regionum, ætatum proprii sunt, radices in natura habere, habent igitur morbi in natura semina generationum, & transplantationum circuitus custodiunt, scientias, prædestinationes & signaturas, scientiis oporunas possident, primas autem radices & progressiones istorum seminum ab initio in thesauris Elementorum radicalium seu invisibilium collocatæ fuerunt, & ibi generationis & multiplicationis virtute verbi, *dixit*; acceperunt, fuitque hæc prima facies naturæ, pura & sine morbis aut morte; ast post lapsum maledictione Divina, novæ supervenerunt tincturæ, quibus transplantata est totius naturæ pulchritudo, remãserunt tamen prima semina, sed novis & infelicibus vestimentis obducta, ab eadem potestate vocis Divinæ, multiplicationis & transplantationis vim acceperunt, quibus etiam tribulos & spinas prævaricationum comites adjunxit, neque solum in homine, vita & mors delitescit, sed in Vegetabilibus, Animalibus & Mineralibus, & istæ impuritates, semina & radices in impuritatibus arsenicalibus, sulphureis, vitriolatis, æruginosis, Mercurialibus, urticosis, spinosis, napollosis, cicutosis habent, & sunt impuritates inflammabiles, instabiles & ad corruptionem festinãtes, & omnes istæ impuritates sine lite, in scientiis & vitalibus principiis concurrunt, explicatæ vero in generationum continuo fluxu, separatæ & exaltatæ inimicitias dissolutionum mortisque Authores fiunt, & talis est rubigo in Mineralibus, in Vegetabilibus vero Mercuriales, & sulphureæ impuritates, quæ in illis hospitantur, putredinem inducunt, sed in quibus vigor salis copiosior est, ut in arboribus multis, & in illis majoris roboris & permanentiæ documẽta adsunt. In Ani-

malibus iidem effectus percipiuntur, humana vero radix quia in Vegetabilibus, Animalibus, Mineralium ope nutriuntur, similes imo & multo copiosiores defectus patitur: sunt & alii corruptionum modi, qui ex transplantatione individuorum dependent, in quibus non radix sed individua naturæ principia inficiuntur, & in his adeo inficiuntur individuorum radices, ut propagatione seu transplantatione in quartam vel quintam generationem protrahantur, quemadmodum in lue venerea videmus, & hujusmodi impressiones sunt astrales, hoc est spirituales & invisibiles, efficaces tamen, quia seminalium rationum imitatores sunt, virtute scientiæ & prædestinationis procedentis, in quibus corporea mole non est opus ad corporum constitutionem, quæ signaturas scientiæ suæ conformes utique promunt, interdum subito in ipsis Parentibus, interdum lentè in filiis & nepotibus, quando maturitatis & exaltationis tempora, etiam lenta fuere: itaque ex Parentibus leprosis, lue venerea infectis, filii non leprosi, nec lue infecti reperiuntur, & vice versas & hæc ob quatuor causas contingunt, primo quia tinctura & semina horum morborum potenter humanam naturam (quam Author anatomiam humanam vocat) Balsamum & radicem humanam, non ita fortiter occupaverunt: Secundo quia in seminum efflorescentiis nativitatumq; momentis, Paroxismorum silentia & sopitas radices habuerunt isti morbi, hoc est quod non habebant propagationes. Tertio vel quia supervenientium, & peregrinorum morborum rudiméta, superantur in utero: quarto quia ad terminum pervenerunt sterilitatis authorem. Et hæc de morborum hæreditariorum semine, origine & propagatione, quæ omnia testantur morbos semina habere, generationes & transplantationes moderari. Oportunum erit ex seminum & parentum diversitate morborum differentias & generationum & transplantationum processus seminibus consentaneos explicare, & morbi illi distinguuntur ratione plantarum, & alios dicit esse Saturninos, Martiales, Joviales, ut passim apud Astrologos habentur, alios ratione Cœli, & sic alii erunt cœlestes, terrestres, imo inter tales morbos maxima est latitudo: sunt & alia morborum genera, quæ non ex seminibus oriuntur, sed læsiones sunt, ex quibus sunt figurarum & cavitatum morbi, item morbi novi, antiqui, astrales, minerales.

## *Explicatio progressionis seminum inferioris Globi.*

Explicaturus Author seminum progressiones, à terrestribus incipit, & dicit semina morborum inferioris Globi in alimentis latere, quæ si separentur, & per consueta loca expellantur, in corpore, omnia rectè admini-

ſtrentur,& ita fit quando alimenta ſpiritibus Mechanicis humani corporis obediunt. Quod ſi vero potentioribus tincturis polleant, quam ut ſpiritus illi gubernari poſſint,tunc non alimenta, ſed medicamēta vel venena erunt, & horum uſu morbi facilè generantur, qui tamen radices facilè non firmabunt,niſi tincturas habeant,in quibus ſignaturarum morbidarum prædeſtinationes,& ſcientiæ conſervari poſſunt, & ut ſæpè & frequenter impreſſiones repetant: præterea ut agrum, locum & materiam opportunam inveniant, parvos enim errores ipſa natura ſuperat,graviores autem victa natura,morbo manum dant, & hoſpitem admittunt peregrinum, transſplantationi obnoxium; ſuntque propria ſemina ſanitatis & morborum, quæ in diverſis locis differentias faciunt varias, ſemina enim quæ in ventriculi & inteſtinorum agro creſcunt,differunt ab iis,quæ in hepate, liene,renibus, ſanguine creſcunt. & ita in hac ſeminum & agrorum confluentia, diverſi morborum gradus deprehenduntur: proinde quorum juxta locorum & ſeminum diverſitatem morbi fiunt, illorum error facile apparebit, qui morbos omnes à quatuor duntaxat humoribus derivant. Præterea aliæ ſunt impuritates, quorum ſeminum prædeſtinatio ad coagulationem vergit, aliæ quorum fructus in fluidam reſolutionem deſinunt: ex prioribus oriuntur morbi omnes,inſtricto, ut voluerūt methodici ex poſterioribus morbi laxi, & ſpecies omnium harum impuritatum in alimento vigent, ut ſæpius dictum fuit,itaque ad aſtra deſcendere oportet,ad ſemina Cœleſtia & aërea, aquatica,terreſtrea,ad ſeminum proprietates: ſed hic deficiunt menſuræ & canones, quas ad medicas contemplationes adduxerunt vulgares Medici, mortuis enim corporum ſignaturis non ſpiritualibus vitalibuſq; potentiis, actionum principiis non conveniunt;omnis enim actio à ſpiritibus & ſeminibus, & his ſpiritibus Elementa ipſa alimenta ſuppeditant, in ſpiritibus enim ſpiritualibuſque corporibus, poteſtates omnium actionum vigent, ſpiritus enim ſunt qui eſuriunt, attrahunt, concoquunt, coagulant, & quo potentiores fuerint,eo velocius miniſteria ejuſmodi abſolvunt, & ex nutrimentis aſſiduè attractis corpora conficiunt, principiorum ſcientiis conſentanea;ſed inſtabunt vulgares Medici, non ex ſpiritibus, tincturis, ſeminibus,ſcientia Mechanica & vitali poteſtate præditis, ſed ex ſolo ſanguine putrefacto, inflammationes omnes produci, ſed certum eſt,in ſanguine inflammationes veras non gigni, niſi in ſanguine prius ſemīna inflammationum delituiſſent;quæ occaſionem oportunam,ad ebulliones & paroxiſmos intempeſtive excitandas præbent.

De

De morbis igitur ex resolutionibus astrorum superioris globi nunc acturi, reducemus in memoriam quod à nobis sæpius dictum fuit, *ex iisdem nutriri nos ex quibus constamus*, & simili modo dicendum non ex iisdem morbos, morborumque semina haurire, ex quibus nutrimur, nec morborum radices in certis indiuiduis vel speciebus seorsim consistentes, sed implantatas esse & permixtas puris primisque rerum seminibus, & nutrimenta rerum naturalium, fructus sunt seminnm in quatuor matricibus Elementorum communium vigentium, sed non solum ex fructibus Elementorum inferioris globi, id est ex cibo & potu nutrimur, sed Cœlestium & acriorum seminum resolutiones & fructus inevitabili necessitate continenter expetimus, & ut alimenta sic morborum semina ex iisdem haurimus, & talia Elementa quia invisibilia sunt, à nobis spiritus vocantur, & proinde rectè à multis proditum est, non solum refrigerationem & alterationem spiritibus, ac calori nativo (id est vitali Balsamo ex hoc alimento suppeditari) sed etiam substantiam, imo & corpus, spiritibus tamen & seminibus superioris globi consentaneis: nec audiendi sunt qui mollibus rationibus demonstrare conantur, morborum semina ex astris non derivari, sed falluntur, nam non solum Cœlestium syderum resolutiones ad nos demittuntur, unde proprietates vegetabilium veniunt, sed etiam mineralium & animalium propagantur, sed etiam morborum & sanitatis semina, sicut legitur apud Hippocratem *de morbis Epidemicis*, in Libro *de aëre, locis & aquis*, & apud Galenum in Libro *de diebus criticis*: resolutionem autem & conditionem seminum Cœlestium & aëriorum, consistere ait Author, in talibus, quæ nullas medicamentosas, sed omnino alimentarias facultates possident, quæ satis notæ sunt, aliæ sunt quæ admixtas habent tincturas medicamentosas, sed leves: talis est lectuca, acetum, cassia, ex quibus catharri, tusses, & similes morbi oriuntur: nonnullæ planæ medicamentosæ sunt, in quibus mandtagoræ, ciculæ, solani, aluminis, vitrioli, proprietates ostenduntur, Postremo sunt resolutiones siderum, in quibus proprietates venenatæ, arsenici, auripigmenti, napelli, manifestissimis judiciis demonstrantur, unde Epidemii affectus originem habent: omnes autem istæ proprietates, ex syderum impressionibus huc demissæ, refrigeratione, calefactione, humectatione, aut desiccatione, non agunt, nec sunt morborum causæ, sed quia proprietates habent salis, sulphuris, & Mercurii, sive in Vegetabilium, Animalium vel Mineralium familia vigentes; Qualitates enim istæ simplices concurrunt tanquam externæ signaturæ, & potestatum, proprieta-

tum

tum & tincturarum comites & umbræ sunt, atque hoc pacto morborum gradus intelligi debent, ut omnes morbi ex Cœlestibus impressionibus orti gravissimi essent, terrestres vero leves, sed paria paribus conferri debent: ita Melissæ Cœlestes, hoc est seminaria aërea, quæ Melissam crescere invitant, potentiores erunt terrenis, Urticæ similiter & Papaveris. Arsenicum vero Cœleste vehementia, velocitate, penetratione, tinctura, proprietate, aqueum longe superat, & fulminis instar agendo, mortales omnes momento tollere potest, nisi aliorum fructuum commixtione pernities non retardaretur: sunt & alia astra his occultiora, quæ mundana conjugia semper aspernantur, temporum nihilominus prædestinationes custodiunt, validaque resolutione invisam novitatem rebus inducunt, & ab his novorum morborum generationes dependent. Sic in Castris & magnis Civium congregationibus Epidemici morbi germinare incipiunt: sic Sudores Anglici, Prunellæ Ungaricæ, & tales quorum infinitus est numerus, è quorum numero Plicam Polonicam adferam, quæ jam à longo tempore pro miraculo quodam in scholis Medicorum convolavit, & quæ inter Celeberrimas Europæ Universitates, Diariam Thesium & aliarum disputationum occasionem, ut de non Ente indagantium, dederunt, quare nec ingratam operam hoc in loco adferre forsan videbor ingenuis mentibus, quæ non fucatæ, litigiosæ, aut apparentis veritatis umbris inhiant; ut videantur Sapientes, & ad miraculum usque in opinione vulgi sapere, sed ut qui nihil de subjecto sensibili disputare velint, nisi sint non auditi, sed oculati & palpabiles testes: prius enim an res sit, deinde quare sit, disputandum erit, nam à simili mentis celeritate & credulitate, multi graves Authores, dum ambitiosa nimia Peripateticorum autoritate velantur, in falsissimos errores sæpe dilabuntur, & aliorum Principiorum severi nimis & inviti censores evadunt; dum non ex Autoris alicujus fundamentis, toto cœlo forsan ab illorum doctrina dissentientibus, judicare nituntur, & ex illorum pede omnium calceamenta metiuntur. Hinc fit ut multi sint, qui Platonicorum doctrinam (quam illi nec unquam salutarunt, aut ad minus nec penitus perpenderunt) ex Peripateticis damnare fundamentis ambiunt, quorum temeritatem quis excusare possit? nisi prius tantum temporis ad minus Platonicis contemplationibus & Chemicis resolutionibus vacaverint, quam Peripateticis insumpserint. Sed ad Plicam describendam, sumam mihi Authoris nostri textum 13. hujus capitis, super quem multa de Plica Polonica applicari possunt.

*De Plica Polonica, Morbo ex superstitiosarum Mulierum Cerebro nato, & in credulos aliquos Medicos transplantato, Tractatus.*

## TEXTVS XVII. HUJUS CAPITIS.

### *Sunt & alia morborum genera.*

IN hoc textu loquitur de morbis qui ex semine non oriuntur, sed quasi Læsiones quædam sunt, ex quibus figurarum & cavitatum morbi plurimi, item morbi novi & antiqui dependent. Hunc textum commode transire non possum, quin aliquid de morbis figurarum & cavitatum dicam, ex quorum genere potest esse Plica Polonica, per totum orbem adeo celebris, si Plicam auderem nomine morbi insignire, & cum difficile sit absque relatione fida ullam veritatis cognitionem habere, supplebo quantum potero hunc defectum, & ingenuè declarabo, quæ mihi in cognitione hujus suppositi affectus à septem annis inuotuerunt, & ut hoc facilius præstem, remittam avidum Lectorem ad Roderici à Fonseca Medici Patavini, & præcipue ad Herculis de Saxonia consilia publica in collegio habita, & à Senatu & populo Polonico expetita, pro exemplo & historia suppotitii illius affectus proponam, & quo pacto ex defectu veræ relationis, multi errores animos tam indigenarum quam peregrinorum ita fascinarunt, ut ostendam quod falsam non tantum, sed & fabulosam Diagnosim (quæ iudicii insignem prævaricationem præ se ferunt) à vero dignoscere vix liceat, quod si evicero & srupulo huic fabuloso veritatem meridiana luce fulgentiorem objecero, gratulabor mihi in re tam magni momenti, me posuisse auxilium nobilissimæ & fortissimæ huic Nationi, quæ familias numerosas, bonorum officiorum, humanitatis & hospitalitatis inauditæ plenas habent, attulisse, ut non solum medelam gravissimis affectibus corporum adferam, qui sub nomine Plicæ occultanrur, sed etiam & animos moderatiorum hominum à tyrannide fabulosa & superstitiosa deinceps liberem. Ut igitur ad rem accedam, proponit Consultatio Patavina hominem triginta annorum boni habitus, apud Polonos repentè fieri debilem, tremulum, pallidum, aut lividum & exanguem, deinde post tres vel quatuor dies, capillos capitis crispari, in varios circos involvi, figuras quasi anguium repræsentantes, qui puncti sanguinem effundant cum furfure, pediculis, spurcitia & fœtore totius

totiuscapitis: his ita ſe habentibus accedere Medicum, qui ſi ſanguinem miſerit, aut purget, vel pilos ad ſpurcitiam illam auferendam radat, illico ſæva ſymptomata advenire, dolores oculorum. articulorum, oſſium, membrorum contractiones: quod ad primum attinet, quo hominem triginta annorum pro exemplo ſupponunt, error eſt, nam non ſolum contingere videtur hominibus triginta annorum, ſed pueris aliquando trium annorum, imo & nuper natis ſi ita Matris aut nutricis Superſtitioni placere licuerit, neque repentè fiunt debiles, ſed præviam aliquam experiuntur cauſam debilitatis, quamvis non à Plica: ſimili modo nec tremuli nec pallidi aut exangues repentè fiunt, ſed poſt manifeſtam aliquam actionem læſam, nequè poſt tres aut quatuor dies, capilli capitis criſpantur, neque involvuntur in tales circos, varias figuras quaſi anguium recipientes, niſi arte per contrectationem crebram quaſi per artem fulloniam introducantur; neque puncti ſanguinem effundunt, ſed de furfure, pediculis, ſpurcitiæ inhoneſto fœtore totius capitis: hæc à veritate haud aliena ſunt, illa enim omnia accidunt illis, qui data opera ut in conplicationem concreſcant, crines pectine non deducunt, aut qui fulloniam in capillitio plicando artem exercere volunt, ſed cum accedit Medicus qui ſanguinem mittere aut purgare, vel pilos ad ſpurcitiem illam anferendam radere velit, illico illis ſymptomata ſæva accedere ſomniant: ego tamen plures quam ſexaginta Plicas iſtas immenſas latitudinem caudæ Caſtorinæ ſuperantes, imo & uſque ad coxin propendentes, aliquibus abſcindi curavi abſque ullo prævio remedio adhibito, aut ſymptomate qualicumque ſubſequente, ſicut deinceps demonſtrabo: Plica enim eſt effectus per diurnum morbum, ſed non à morbo ut à cauſa efficiente, neque illico dolores oculorum, articulorum, oſſium, & membrorum contractiones, ut illi aſſerunt, à Plica abſciſſa oriri deprehenderam, immo potius aſſererem iſtos dolores perpetuos capitis, non aliunde oriri, quam à radicibus iſtis capillitiorum, quæ divaricantur ſub fullatione, quia plicata capillitia trahunt, non plicata in fundo in unum & perpetua vellicatione dolores pariunt immenſos & perpetuos, & præcipue quando ſubmiſſe in tergum dependet, nam tunc pondere ſuo totum pericranium torquet, & in conſenſum trahit. & præterea ſi quæ ſit alia inter multas alias cauſa cœcitatis quæ inepte judicatur à Plica provenire, eſt ipſa Capillitiorum plicatio ſeu fullatio, præſertim quando à ſincipite dependet, tunc enim cucurbitæ conſtanter permanentis vices agit, & caput multis vaporibus calidis ab inferioribus partibus attractis replet, qui ad oculos crebros, acres, & ſeroſos humores defert, & Ophtalmicos affectus inducit:

 unde

unde cœcitas adoritur, imo & plicatos plus vexari video Ophtalmia, quam alii, imo certus sum, abſciſſa plica citius curari Ophtalmiam, quam à quocumque alio remedio: poteſt tamen deplicatus poſt aliquot dies à ſciſſione in Ophtalmiam incidere, non propter plicæ abſciſſionem, ſed quia non fuerat citius abſciſſa, nempe à vaporibus ante plicam abſciſſam collectis, inducta. Utantur igitur ſequenti remedio & nullo alio, & reſpondebo pro vita nullam cœcitatem inde ſubventuram; Remedium autem tale eſt, quod non eſt carum, cum illud vel minimus infimorum pauperum invenire poſſit in omni loco & tempore. Aperiat primo venam maximè apparentem ad uncias novem, & nocte ſequenti admoveat Emplaſtrum ſequens poſt aures, & quam poſſit ad radices auris apponet, & in latus oculi affecti dormiat, die ſequenti illud mane removeat, & ſi veſiculam aperuerint, bene erit, nihil enim in hoc caſu faciendum præterquam ut folium Caulis rubræ butiro recenti inungat & apponat ad dies tres, removendo ſingulis diebus: quod ſi verò contingat non excitari veſiculas prima vice, in hoc caſu admoveatur novum Emplaſtrum quouſque excitentur, & deinde folium caulis rubræ, & abſque dubio cœcitatem iſtam à plica timendam removebit. Si hoc conſilio uſi fuerint ante decurſum annorum 20. & apparuerit plica in tota Polonia, capite plectar pro præmio.

## *Deſcriptio Emplaſtri talis erit.*

Accipe fermenti acris cum quo ſolent mulieres fermentare panes, unciæ ſemiſſem, pulveris Muſcarum Cantaridarum pondus unius ungarici, deducatur ſuper linteo aliquo veteri forma ſemilunari, & ſuperſpergatur quantum ſuperficies tenere poteſt, ejuſdem pulveris, & applicetur ut monui, & faſciis aliquot ſuperliget, & tota nocte remaneat, & ſi poſt primam exulcerationem non deceſſerit oculi dolor & rubedo poſt curationem, exulceretur locus ſecunda vice, imò tertia ut prius, & abſolvetur opus.

Sed etiam moneo, quod ſi ulla fuerit ſuſpicio præteritæ luis venereæ, ſive ab ipſis à fœdo concubitu, ſive à contactu, ſive à parentibus contractæ, & ſi laboraverint à Colicis doloribus, aut quocumque alio affectu interno, ut prius curare ſtudeant, non palliando ſicut utplurimum faciunt, ſed radicibus curando, & interea ut ſingulis diebus crines divaricent & mundent, & reſpondebo pro eventu. Non enim à plica abſciſſa evenire ſolent iſta, ſed à ſymtomatis, quæ progreſſu temporis ex prava epigeneſi, aut metaſtaſi affectus alicu-

alicujus prævii provenire deprehenduntur: Igitur ad fabulosam illam plicæ aut imaginarii morbi historiam explicandam me accingam. Ante omnia igitur constabit, imaginariam istam plicam, cum quovis Chronico affectu relationem habere, sed præcipuè cum inveterata lue venerea, sive per traducem à seminis avorum vel proavorum prava propagatione transplantata, & à genere venoso ad genus nervosum & ossium delata, sive à lue jam sæpius per palliata præsidia parum debilitata, non tamen extincta, sed latente & tempus effervescentiæ aut ebullitionis expectante, ita ut vix possint signa diagnostica, de præsenti lue aliquam indicationem concludentem adferre, quæ non cum Rheumatismo, Arthriticis doloribus, aut Cachexia relationem aliquam habere possit: & cum valetudinarii similes affectus, homines in lecto diu detinere soleant, progressu temporis, crebra crinium contra pulvinaria perfrictione, longoque super crines decubitu, aut pectinandi intermissione concrescunt crines, modo in occipite, & tunc in formam Caudæ Castorinæ conglobantur & fullantur ex decubitu in aliam partem talem formam inducente, cum tamen in fundo circa radices, crines ita divaricentur, ut singula capillitia per se ex propriis poris emanantia, distracta & extincta conspiciantur, non absque obscuro aliquo doloris sensu ab ægro percepto, quia crescentibus pilis illis circa cutem remotioribus, pili qui ad Caudæ Castorinæ scaphum aut caulem accelerant, & plicatos crines doloris sensu in longitudinem deducunt, præcipuè quando contingit plicam aut decubitu, aut pilei circumvolutione, circa situm capillitiorum devolvi, contorqueri, aut implicari: intereà longitudo pilorum in fundo crescentium, magnitudinem plicæ fullatæ auget, & novæ fullationi novam materiam radicibus numero decrescentibus suggerit: Sin verò sincipiti aut circa tempora plicationes istæ eveniant, tunc quia liberior est ille locus à vicina confrictione, non formam Caudæ Castorinæ, sed Anguium acquirit, paucioribus nec ita remotioribus pilis caulem cogentibus, & hæc est plicæ typographia & delineatio: iam ad locum affectum accedam. Dicit Fonseca ex consilio Pataviensium in ipso limite, loca esse varia ut pilos, externæ partis capitis, cerebrum, membrana, imo ne fallantur, videntur omnes corporis partes enumerare usque ad viscera & jecur, quæ, cum nimis tędiosum lectori esset hic recensere, recurrat Curiosus ad ipsum Fonsecam, ut Patavienses Scholam de istis locis differentem audiat. Interea dicam quid censeam de similibus casibus, sæpius ita contingere inter Medicos, ut cum cœlos & incolas omnes cœlestes, & totam Philosophiam & Medicinam, pro ignota aliqua causa detegenda contemplati fuerint, sicut illi

qui acum in veste latente, in fœni cumulo anxiè quæritant: eodem pacto longè petunt multi rerum causam, ut suam inscitiam contegant, donec tandem inter manus reperiant. Innotuisse verò simile olim mihi quidem jam puero contigerat. Illustris quędam Domina ad venationem properans in equo, curavit sibi unam ex virginibus ex gynisæo promptè accersiri, ut Comitem sibi se jungeret, illa verò nimia celeritate dum lintea consuebat, vocata acum habens vesti inferiori femur tegenti infixum, incauta verò equum ascendit, quæ cum velocius currerent venatores, contigit huic virgini equitanti, ut cum muliebri sella insideret, femoribus junctis ut fossam satis longam liberatet, equus cum ipsa prosiliit, sed ubi in adversam partem conatu magno se se in sella retinere studeret, timore perculsa, in isto motu & conatu, cum genua nimis avidè constringeret, contigit ut acum in inferiorem partem femoris extra oculum acus inscia se intruderet, cui ab eo tempore atroces dolores singulis diebus virgini isti in isto loco absque aliqua suspicione acus creverant: vocatis medicis & chirurgis, latere ibi cancrum imaginati sunt, capite nigro acus sub cute apparente, & sic ex simili Phænomeno, mille diagnoses sibi fingebant, Hippocratem, Galenum, Avicennam, Cornelium Celsum & totam Supellectilem Medicam ad istum affectum debellandum accersentes, quem illi Cancrum occultum ex macula ista nigra fuisse judicabant: sed post multorum bonorum pauperculæ illius virginis dilapidationem, post multos passos labores & anxietates incredibiles, ecce post viginti annos, dum à prurigine se se scalperet, successit scabies, & abscessus parvus in dolente loco, quem dum Chirurgus detergere conaretur, & resistentiam inveniret, accessit cum scapello probatorio, ut deprehenderet quid esset, & illicò vossellis apprehensis extraxit acum qui anxietates viginti annorum pauperculæ illius virginis, & simul vanos labores & Diagnoses falsas Medicorum uno ictu sustulit. Idem dico de Plica Polonica, vanum esse quærere causas Plicæ, per omnia viscera & humores corporis, cum oculi & hebetissimi sensus satis superque allatrent, non alium esse affectum, quam qui ipsis oculis subjicitur, neque ullam habere ad partes corporis aut humoris correspondentiam, ita ut qui eam, quando voluerit aliquis, absque ulteriori damno aut periculi metu, scindere aut avellere, neque fit ista Capillitiorum implicatio per Idiopathiam aut Sympathiam, natura tentante viam per abscessum ad illas partes, ut fingit schola Pataviana, sed voluntaria ægri permissione aut actione.

*Et si ad enumerationem effectuum contra naturam qui ad pilos spectare videntur, respiciamus, ex Musca Elephantem facere videntur Patavini, si Capil-

pillitiorum involutionem & fullationem, furfures, ptiriasisin, fætorem affectus Capillitiorum, contra naturam nominent, videntur ista non esse naturæ læsiones, sed ad qualitates externas, mutabiles pertinere: at ubi dicunt morbum istum esse novum, melius dicerent morbum esse novæ inventionis, nec esse Epidemicum, nec Endemium, nec ex aquarum potu ortum, neque magnum, neque malignum, nec venenatum, nec ex adustione ulla genitum, neque contagiosum, nisi ex mentium aut ingeniorum contagio & rustica credulitate genitum, sicut omnes superstitiones & credulitates Mulierculärum fiunt, etsi nunquam nisi ante centum annos visus fuerit in Polonia talis affectus, seu ut verè dicam superstitio; tamen credibile est ut illi ajunt, ante plures annos in aliis Regionibus illis vicinis pullulasse, & credo multum adhuc vigere in istis regionibus Russiæ circa pontum Euxinum sitis, ubi Religio ipsa tota in superstitionem monstrosam mutata est Apuleis veneficiis aut fabulis haud dissimilem, nec mirum cum istis non licuerit, aliorum Christianorum more (propter literatorum virorum inter ipsos defectum) ritus & fabulosam Ethnicorum doctrinam deponere, & proinde quicquid cum lacte à majoribus hauserunt, omnia à successoribus quasi pro articulis fidei recommendant, & de genibus pugnant: tantum potest inanis credulitas hominum mentes occæcare, quam nunquam deponet mundus, quia cum mundo genita fuit, & hominem, minorem mundum, à Paradiso ejecit, sed proh dolor! quis ita felix est qui se aut decipere aut decipi in pravo hoc sæculo non patiatur? Proverbium est, *mundus vult decipi*, decipiatur, & ego dico, Medici qui volunt decipi, decipiantur, larga promissa facilè hominem decipiunt, sed ego semper larga promissa suspecta habebo, quibus si quis velit fidere, examinet Dioscoridem, Plinium, Chemicos, Circulatores, Botanicos, legat Crollium de viribus & virtute olei succini, & similibus differentes, audiat secretorum mercatores, qui multa habent secreta, tam intus inclusa ut foras nunquam ire possint discreta; hi credulos decipiunt, & mille Circos Protheo, aut Vertumno versatiores reiterant, implicant, explicant, causam hujus morbi imaginarii triplicem agnoscunt, procatharticam, antecedentem & conjunctam: revera hoc morbo imaginario facetissimo ludunt, sicut Anglus quidam qui ad Hispanorum irrisionem librum lepidissimum vernacula lingua ediderat, in quo Hispanum in Luna peregrinantem multaque post reditum referentem depingit, librumque suum, *hominem in Luna* nominavit; sed quanquam imaginarii effectus, nulla potest

poteſt eſſe cauſa quam imaginaria, referam tamen quos Patavini, ad hujus imaginarii morbi cauſas procatharticas, referre poſſunt, quorum ſi quis ad colicam bilioſam, ad luem veneream inveteratam, ſive à Parentibus traductam vel à ſe contractam, vel ad ſcorbuticos affectus applicare velit, potius quam ad Plicam, revera victoriam cauſæ lucrabitur, omnes enim cauſæ procatharticæ excepta faſcinatione, de qua parum aut nihil me intelligere fateor, nominatis à me tribus affectibus convenire poſſunt, ſed præcipuè cauſæ illæ ſecundæ quam pravam victus rationem nominant, præcipuè ad ea quæ cibos & potus reſpiciunt, quales enim ſumuntur cibi & potus, tales generantur in corpore ſucci, & humores, & ex talibus humoribus talia generantur ſymptomata. Poloni autem Plebeji & Ruſtici cibos craſſæ ſubſtantiæ in maxima copia aſſumunt, aquam vitæ quam crematum vocant, & cereviſiam in omni exceſſu bibunt, continuo in ſtuphis multum ſanguinem generant, nec unquam niſi invitè ab ipſis ſanguis extrahitur, imo in febribus continuis, pleuriticis affectibus, cholera morbo, aut colicis doloribus moriuntur potius quam ut ſanguinem detrahi patiantur, imo in hoc Divino auxilio ita pervicaces ſunt, ut quamvis ſanguinem cum tuſſi ex pulmonibus rejectum ad plus quam novem uncias per diem videant, malint tamen ipſum mortis vultum contemplari, quam ut Chirurgi ſcalpellum, cum ſpe ſanitatis recuperandæ admittant, nulla ratione legitima freti, ſed adagio neſcio quo fatuo innixi credunt eum qui minuit ſanguinem, minuere etiam vitam, & vitam eſſe in ſanguine, & hæc vera eſſe fateor, tam in ſanguine quam extra ſanguinem, vitam ſoſpitari, & hoc dato quod ibi ſoſpitetur vita, tamen rectius dicetur ille facere, qui ſedem vitæ minuere velit, quam qui vitam ipſam illico deſtruere contendit, cum ſingulis horis vitæ ſedem minuant homines per tranſpirationem. Imò vitam minuere in hoc ſenſu dicere poteſt aliquis qui ad cauponem vadit ut ſe inebriet, quia brevior fit vitæ terminus quam ante, abbreviatur quidem vita toties, quoties ſedes vitæ, hoc eſt ſanguis per ſyſtolen expellitur, & nova per ſanguinis novi renovationem acquiritur, ſed non propter hoc deſtruitur. Non vult enim nimia ſarcina opprimi vita, non magis quam viator, proinde quando plus æquo oneratur, opprimi neſcia, vitam eſſe demonſtrat, & eſſentiæ ſobolem, & mentis & animæ productricem & datorem, proinde efferveſcit, & ne in tam ſtricto venarum & arteriarum latibulo obruatur, liberari contendit, quaſi viator à nimio onere oppreſſus ſarcinas abjicit & niſi viam pro expellendis fuligino-
ſis

fis halitibus commodam inveniat, in pectus & pulmonum venas irruit, venasque & arterias quasi cathenas suas disrumpit, & ibi vel peripneumonicos affectus, vel pleuriticos, vel tabem inducit, si in arcem mentis, tunc cum spiritu animali, sanguinem aut serum in ventriculos cerebri diffundit: & Apoplexiam aut Paralisin inducit: si in intestina, colicas biliosas, si in hepar viam affectet, tum schirrum inducit & hydropem, qui quidem affectus sæpius à nimia sanguinis abundantia, (calorem nativum suffocante) causatur, quam à nimia sanguinis evacuatione. Hæc est igitur causa, cur plicam pro colica biliosa quasi Endemicum morbum apud se semper habeant; imo affirmare possum nullum alium esse morbum ita inter Polonos frequentem atque est colica biliosa: est autem colica affectus crassioris intestini quod Colon dicitur, cum torminibus crudelissimis & syncopi, ægrum discrucians, qui modo in una, modo in vicinis partibus discurrere solet, accedente tali alvi constipatione, ut neque excrementa excerni, nec flatus emitti possint, & quam perpetua nausea & vomitus crebri concomitari solent, imo eo usque ut excrementa per os rejiciantur, nisi cito curetur: est autem duplex, una exquisita, quæ ex pura inflammatione vel inflammationis dispositione fit, alia vero spuria quæ ab aliis pravis, sed mitioribus absolvitur humoribus, sed est diuturna nec breviter absolvitur, exquisita vero primis diebus immaniter ægros vexare solet, sed cito nisi per metastasin, (humore isto pravo alium locum affectante) qui ut plurimum à membranoso genere, ad venosum genus transfertur: & hunc icteritium affectum inducere solet, sicut contigit in Illustrissimo Illustrissimo Vice-Cancellario Lithuaniæ Illustrissimo Domino Sapieia circa septimum diem Maji 1655. dum Varsaviæ maneret ob futura Comitia, more solito istis crudelissimis doloribus colicis correptus, tamen liberatus per icterum flavum, qui à membranoso genere, in venosum genus per Metastasin prosiliit, de quo tamen affectu, per probam Diætam, quam exemplo haud communi sibi ipsi imperans imposuerat, & per levia remedia trium vel quatuor dierum spatio, liber omnino evaserat, cum alias solebat spatio duorum mensium detineri: solet aliquando hic affectus per Metastasin etiam, hoc est humoris transmissionem, ad juncturas, aliquando ad nervosum genus transire, & tunc fiunt arthritici dolores, nunc paralitici affectus, quod si vero non per Metastasin, sed per pravam Epigenesin durantibus doloribus colicis propagatio fuerit facta, in morbum alterius speciei, hoc est à genere membranoso, ad genus nervosum: tunc diuturnitate mali varia offendentur membra, &

bilis copiosa & cruda, diu coacervata, contractiones faciet membrorum, aut Apoplexiam inducet sæpè, & hæc sunt symptomata quæ exquisitam colicam biliosam concomitari videntur, nisi à perito Medico & intrepido per venæ sectionem & purgationes prævideatur. Alia autem species est spuria ex bile, aliis crassioribus humoribus mista, & tunc symptomata non sunt ita vehementia, sed tolerabilia, magis aut minus, ratione majoris aut minoris istius humoris crassi, impetus, & tales colicæ sunt diuturnæ, & ægros ad annos & plures menses, languentes in lecto tenent, & proinde sui negligentes, & ut plurimum cum occipitia contra pluvinaria diuturno decubitu affricent. Capillitia in unum colliguntur, texantur, miscentur, fullantur, donec progressu temporis huic plicationi futuræ satisfactum fiat, quæ si vero tempore hujus complicationis, aut paulo post contigerit, colicam hanc spuriam terminari, beneficio Naturæ, materia jam à natura tempore complicationis victa. Mirabilia de hac plica referunt, esse nempe collicæ illius spuriæ crisin, & non diuturni affectus testem, quem si aliquis ita temerarius, vel scindere, vel explicare quacunque conditione velit, ille vitæ aut casus alicujus funesti, ut cæcitatis aut paralisis reus esse judicabitur, si superstitiosis mulieribus ita credendum esset, quarum consilia sunt ut fœtum hunc charum foveant, & perpetua congregatione, pertractione & perfrictione cum cremato & decocto brancæ ursinæ nu triant: & fortalitium pro actioribus, pulicibus, furfuribus, & mille similibus impuritatibus oportunum construant, & quia qui hoc genere colici doloris detenti, vulgari & consueta dosi medicamentorum purgantium, respondere non videantur, & quia sanguinis mistio quamvis laudabilis in omni dispositione inflammatoria non tantum ad curanda symptomata, quam ad prohibendam inflammationem partis, & ad præparandos humores, & ad fluibilitatem semper & utiliter præscribitur; tamen insufficiens est ad tollendam essentiam morbi. Sola igitur essentialia remedia in hoc affectu valere possunt, pro auferenda causa morbi, quæ debent esse purgantia, ut sunt Electuarium Diacorthani Diacitro duplici, alias triplici dosi exhibita, aut per vomitum è pulvere emetico, aut per Anodyna, ut per laudanum meum, & quia à purgantibus detertentur juniores Medici quando oportet de necessitate in remediis ad triplicem & ultra, quadruplicem scammodiatorum remediorum dosin ascendere, & ita exhibita prima dosi absque ulla evacuatione verentur redire, & si redierint vi inducentur tertiam dosim exhibere, & inde nascitur error, quod plica nulla admittat reme-

remedia purgantia; pro vomitivis autem cum talia non sint, nisi rarius in hac regione in usu, nec vomitivis, nec purgativis curantur; sed pro derelictis magno artis Medicæ dedecore habentur, & mulieribus superstitiosis, & veneficiarum artium Doctoribus traduntur, & ita diuturnam & miseram vitam, diu plicando, fullando, lavando, confricando, cum cremato & decocto brancæ ursinæ ducunt. Si vero tandem morbus à natura separari & diminui videatur, tunc quando plicatio in fine morbi diuturni, partim propter pectinandi negligentiam, partim propter artificiosam Mulierum ad plicationem opem adhibitam apparere incipit, illico causæ morbificæ illam plicationem attribuunt, & clamitant devictam fuisse à Plica causam, & propterea fovent, & ut ad majorem plicationem veniat, mille artibus utuntur: tanta est vetularum superstitio, & hominum credulitas, imo & talis quæ quamvis contra omnem sensum & rationem militare videantur, tamen impossibile est ut sese reddant, sed adhuc genibus pro absurda ista opinione dimicant, & mille Paralogismis utuntur, ut probent istam plicam rem esse inexplicabilem: quæ omnia remedia respuit, & nunc esse dicunt Epidemicum, alias Endemicum, sæpè esse morbum à veneficiis illatum, & usu aquarum Russiacarum contractum, imo & asserunt equos ex aliis Poloniæ locis ibi venientes & diu ista aqua bibentes, tractu temporis plicatos fieri, sed melius dicerent colicosos fieri, sicut homines, & non miror. Aquæ enim istæ cum ex altissimis Hungariæ montibus Mineralibus defluant, vitriolatæ sunt, quin etiam & spirituum Arsenicalium maximam habent participationem: hinc equi sicut homines bibentes de ista aqua, magnam copiam humoris vitriolati & Arsenicalis colligere debent, qui materiam istis colicis biliosis suppeditare debet, & cum ab istis acutis humoribus male afficiantur equi, ita ut illorum custodes quando percipiunt equos istis doloribus affici, abstinent à consueta cum striguli depectinatione, sed stragulis cooperiunt, & relinquunt ut ægros quousque naturæ viribus devictus fuerit morbus, aut aliquo præsidio liberati fuerint: interea plicantur illis capillitia, & Plica exiens, & morbus relinquens imponit simul & eodem tempore credulis, & causæ imaginariæ, pro causa vera, totus his affectus attribuitur: imo & in Gallia etiam hæc superstitio inter Plebejos locum habet, credunt enim Plebeji Galli, equos Plicatos habere hoc peculiare ab aliis, quod semper pingues sint, quamvis parcius alantur, nec unquam stigili deduci videntur, & hoc accidere ajunt propter homuncionem tutelarem, aut larem fatiferum, aut fatuum, qui equos tales

 patro-

patrocinatur, quem ſtrigilantem equos, & tota nocte percipiunt, & mane ad Plicam iſtam ſeſe conferentem ſomniant, & ſi quis iſtam Plicam ſeu fatui illius arcem deſtruit, tum ſæviſſima accidere ſymptomata talibus equis creditur, ſed quam falſa ſint iſta nullus dubitare debet, qui in ſimilibus ſuperſtitionibus eludendis vel minimum verſatus fuerit, & ſicut canes, equi & ſues plicantur, quamvis nec ante vel poſt Plicam ægrotent: quare aliter hominibus ad imaginem Dei creatis accidere debet, ſed ſi quis vellet pauca patientia uti, ego falſas iſtas opiniones ritè eradicabo: inducto exemplo à ſimili, contigit mihi ante viginti annos aut circiter eo tempore quo Potentiſſimus Galliæ Rex ditiones & territoria Ducis Lotharingiæ juſtiſſimo proſequeretur bello, didiciſſe, cohortem ſtrenuiſſimam militum Scotorum pro invadendo urbem Simei, ſub Præſidio Illuſtriſſimi Baronis de Hebron, tribuni deſtinatorum, (quæ tunc Sedes fuit Parlamenti Lotharingici) miſſam fuiſſe, & poſt oppugnationem ibi in præſidio tota Hieme relictos: contigit igitur à malitia incolarum, ut omnes aquæ puteales infectæ reperirentur, ut videtur ab Arſenico aut ſimili veneno, omnes itaque officiarii milites, & qui iſtis aquis uſi ſunt, circa Vernum tempus crudeliſſimis colicis doloribus afficiebantur, quorum officiarii circa 20. aut 30. cum opem aliunde non invenirent, Lutetias Pariſiorum ad me, qui tunc Medicinam pro Sereniſſimi Regis Magnæ Britanniæ Legatis & aliis ejus Subditis faciebam, turmatim contulerant. Conſuli igitur ut in vicinio hoſpitarentur, ut commodior daretur inviſendi illos occaſio: ecce igitur à tantis torminibus & cruciatibus inteſtinorum, vomitionibus continuis, cum omnimoda adſtrictione alvi cruciatos videram, & uſque ad alvi excrementa in multis per os evacuata fuere, vocavi Seniores Medicos in conſilium, vena ex eorum conſilio ſecta, cum tali fructu, qualem in tali caſu exſpectare debeamus, Balnea item, Embroca, Cliſteres crebri, Anodyna exhibita fuere, ſed in vanum: nihil enim inde excepto Cliſtere ejiciebatur, aliis ſymptomatibus vigiliæ juges & ſociæ fuerunt, tandem ad purgationes ventum erat, ſed quoniam primæ doſes conſueto pondere erant exhibitæ, ne vel minimum promovebant, poſt primam igitur doſin quæ toto die abſque ulla operatione in inteſtinis manſerat, circa veſperas diagridiata ex electuario diacitro duplici doſi exhibita fuere, tamen ſine fructu, cliſteribus haud neglectis: ſed cum omnia abſque fructu apparebant, & mors præ foribus ægris iſtis ſummopere minabatur: ecce unus inter nos qui pulverem emeticum propoſuit, reliqui omnes, cum in tantas anguſtias ægrorum

rum res reductas perciperent, consenserunt, exhibitus igitur ad tria grana fuit, cum drachmis sex Electuarii Diacarthami, & ecce post horam operatio susque deque facta, ægros omnes à miserrima ista clade tantum liberavit, ut ad vires resarciendas requiem aliquam longis vigiliis eiargiendam studia nostra promoverent: præsidium autem huic intentioni commodissimum fuit, granum unum laudani in quarta parte Philosophiæ meæ Pirotechnicæ descripti, à cujus usu eximium inde reportarunt commodum, & propemodum liberati videbantur, sed cum copiosior adhuc materia collecta ampliores evacuationes ad infra expetebat, reiterata fuerat ordinaria dosis electuarii diacitri, cum qua post secundam sumptionem, sopita penitus fuerant omnia symptomata, & balneo aquæ tepidæ viscera fuerunt refocillata. affectus hic numerando dies morbi, antequam iter susceperant, & seriem remediorum, plus quam sex septimanas superabat, omnesque tandem absque residua metastasi aut prava epigenesi, curati fuerant: inter eos qui huic numero non associabantur, nullus erat qui aut Paralisi, aut Epilepsia, non correpti fuere, & multi post intolerabilia diû perpessa mala, mortem cum vita commutavere.

Hanc historiam adfero, ut sciant Medici naturam humoris collecti, colicam biliosam procurantis, nullo pacto ab his affectibus, qui à venenis provenire solent, differre. Imo quid Arsenicum aut sublimatus? quæ venena sunt, quam ipsissima aquarum Mineralium, quales ex Montibus Hungaricis diffluunt, substantia: neque differunt nisi dosi, talis enim esse potest qui per plures menses bibendo istas aquas non tantum illius vitriolati, nitrosi, Aluminosi, Arsenicalis substantiæ hauriet, quam ille qui dosi una destructiva, pro semel & semper interitum sibi procurare possit: interea accedens Medicus aliquis Juvenis, aut parum in praxi talium morborum versatus, videndo ægros similibus affectibus torqueri, nec posse vulgarium remediorum dosi & usu purgari, sed movere humores duntaxat noxios, & non promovere à purgatione desistit. Præterea cum venæ sectio ut prius dictum est, quæ pro removendo potius symptomate quam evacuando humore instituitur, quid mirum si morbus hisce duobus præsidiis non tollatur, imo potius irritetur? interea ægro diuturno morbo lecto affixo, occiput contra pulvinaria contrectando, complicari capillitia incipiunt, quod si tunc temporis vero, incipiat natura affectum superare, lætatur æger, & amici triumphant, & albo signant lapillo immitissimum talem affectum, comparente & apparente Plica, silere, & si ita credere liceat, devictum fuis-

ſe, quod ſi tardius apparuerit, tunc Plicæ viam ſternunt, plicando, fullando, & decoquendo capillitia, decocto brancæ urſinæ, & cremato, imo & non patiuntur aſſiſtentes Medicorum præſidia, propter Plicæ interruptionis metum. Sed quod mirum eſt, ſi quis emungere hanc ſuperſtitionem ipſis ratione tentaverit, tanquam pro aris & focis pugnant, imo inimicus ultionem ab inimiciſſimo majorem non exſpectat; quam ut furto illam ſcindere aut auferre poſſit. Tunc enim illico cæcitatem ſubſequutarum illico cenſent, & quamvis à multis annis aut menſibus evenerit, vel cæcitas, vel minima oculorum rubedo, tunc amiſſæ aut explicatæ Plicæ cauſam imponunt, cum tamen cæcitas aut oculorum rubedo revera potius à pilorum cōplicatione, quæ quaſi cucurbita calidos vapores ad caput defert, aut à nimio uſu Cremati, piperatorum & ſalſorum, aut forſan ab alia cauſa evincenda eſſet, & ſi ita ratiotinandum eſſet, diceremus, æſtas poſt hirundinum adventum venire ſolet, ergo hirundines ſunt æſtatis venturæ cauſa, diu laborat aliquis chronico morbo, ut colica bilioſa, febri quartana, arthriticis doloribus, ſcorbuto, febri acuta, ſæpius à triplici quartana, quæ in continuam degenerare ſolet, nam qualicunque ex his omnibus juxta ſuperſtitiones populorum laborare debent, tunc poſt ſimiles præcurſores, eis complicari capillitia ſolent, neque enim rem novam nobis adferunt, nam mulieres æquè atque homines tam in Gallia quam in Germrnia, qui diu in lecto ex gravi aliquo affectu decumbunt, & qui vel propter dolores continuos, vel propter febrem continuam, quæ deſides & ſegnes reddit homines, capillitia pectinare negligunt, in Plicam non minus quam Poloni incidunt, quam tamen aut ſcindere, aut explicare non verentur, ſed ſi ita Plebæi Poloni facerent, nulla eſſet de illorum Plica apud cæteras nationes diſſertatio, & tunc nec eſſet morbus Epidemicus, nec Endemicus, ſed merum ſomnium, & vera phantaſia & plebæja perterrefactio; memini mihi ſæpius contradicenti multa argumenta ab experimento & autopſia deducta objecta fuiſſe: primum ab eventu dicunt, Plicam eſſe morbum qui mirabiles dolores capitis, vigilias, torſiones, dolores artuum, oſſium, inducit, antequam appareat, ſed apparente ſilent, ut ajunt, quamvis experientia contrarium affirmet, ſed cum rogarem qua via iſta ſymptomata præcurſoria Plicæ à ſimilibus ſymptomatibus, aliarum nationum diſtinguerentur, quæ etiam abſoluta earum periodo ſilent, abſque ulla Plicæ eruptione, tunc hærent, & ad fabulas mirabiles ſeſe convertunt, & ab experimento probant, adferendo exempla eorum, qui ſciſſa plica, ab aliquot

quot annis aut mensibus, vel in Epilepsiam, Apoplexiam, Paralisim, aut cæcitatem inciderant, & sæpè vitam cum morte terminarunt, sed supra numeratorum. Symptomatum affectus, ut plurimum talis qualis est Apoplexia & Epilepsia, & fuerunt ante mille annos & in Polonia æque ac in aliis nationibus. Ergo concluditur tunc fuisse ab abscissa & curata Plica: & si ab exemplis veritas esset inquirenda, rogarem unde non mihi talia venerint Symptomata, aut talis affectus, qui ante quatuor annos dum febre continua ad mensem integrum, propter vigilias multorum dierum, quas circa Serenissimam Reginam primo Dominam meam Clementissimam, ut tunc febre maligna & continua laborantem, quam subsequutus est etiam in eodem affectu Serenissimus, & alii qui illorum personis adstabant, nisi ope Divina & Medicorum assistentia (è quorum numero fuerunt socii mihi Excellentissimus Dominus, Dominus Conradus Sacræ Reginalis Majestatis primarius Medicus, Excellentissimus Dominus Paulus S. Regiæ Majestatis Medicus, Excellentissimus Dominus Dominus Itemchostri Leopoliensis Medicus) sublevati fuissent, ultimum fatum solvissent, fuerat enim febris maligna & pestifera ex nosocomio, per piæ virginis cujusdam contagionem, quæ ex charitate summa & ordinaria Serenissimæ Reginæ, eo delata, noctu diuque curam habebat, lecticinia ægrorum sternebat, alimenta & medicamenta porrigebat, ut tandem ipsa ex contagio illorum decubuerunt, & in aula illam subsequuta est Serenissima & Serenissimus tum omnes penè qui circa illorum Majestates versabantur, eodem affectu decubuerunt, ut tandem tota urbs Varsaviensis peste sævissima, qua plus quam medietas urbis destructa & oppressa fuerat: ego igitur dum per integrum mensem, eodem morbo jam sexagenarius in lecto detinerer, non veritus sum mihi Plicam latissimam in occipitio contextam abscindere, unde contigit quod sexaginta plicas, meo periculo abscindi jussi, absque ullo pravo eventu, imo jam pridem occurrit mihi amicus, quem servus plicatus subsequebatur, rogavi Dominum amicum, ut servo persuaderet, vendere mihi plicam, fuit enim magnifica, amplissima & spississima, & occiput totum cooperiebat, servus prima facie obluctabatur, & injuriam sibi fuisse factam multis conquestus est, tandem ea lege consentiit, ut ego pro visu suo responderem, annui; ad prætium ventum est, ille quid illi velim dare rogavit, ego vero quid desideraret rogavi, volo inquit talerum, ecce respondi; fiat, talerum inquit accipiam ea lege ut mecum appensam relinquas ad tres dies, quousque Mulierum verbis Exorcismis & Orationibus

nibus instructissimam consuluero, quæ etiam me ab omni pravo eventu liberum faciet, hoc facto tradam plicam scindendam & auferendam: elapso igitur termino venit ad me, & ipsi Plicam abscidi: jam est penè annus, imo & elapsi tres alii, & nullum adhuc pravum eventum expertus est, nec experietur.

Quod ad autopsiam attinet, multa narrantur horrenda apud exteros de ista Plica, quæ nullatenus cum ipsamet inspectione conveniunt, conspiciuntur dicunt pili inverso modo contra occipitium contrahi, nam qui in occipite ad sinciput deflectere capillitia velit, aut in tramitem naturalem deducere, tunc adesse cruciatus terribiles, sicut compunctiones acuum ajunt, nec mirum, quis enim pondus decem vel tredecim librarum crinium dependentium, & ex sincipite ultra occipitium pendentium usque ad annum absque compunctione ferre potest? & cum tanto acumine fit ista actio, ut sanguis emanet in maxima abundantia, sed cum sint ista fabulosa indigenæ satis declarabunt, sed exteros nec miror, nec moror, cum passim ab Historiographis talia referantur de exteris nationibus, quæ quidem cum ad examen deventum est, merè fabulosa sunt: talem historiam nobis attulit Munsterus de Anseribus Scoticis, quos ille ex foliis cujusdam arboris in mare cadentibus generatos tradidit. Sed quam ineptè ista dicantur, inveniet in Commentario textus de transplantatione: sed jam ad indigenas revertendum, & quomodo illi Plicæ historiam referant: videamus afferunt tales esse Plicas, quæ si quis forficibus scissionem tentare velit, illico sanguis emanat, verum quidem est, sed à pediculis & choribus inibi degentibus cum multa fæditate, & non à crinibus cernuntur, & hæc est ratio quod raro videntur tales plicæ in Nobilibus, propter istius spurcitiæ detersionem: Secundo oblatus fuerat mihi in Magno Ducatu Lituaniæ Miles, super quo sperabam reperire ulcera quædam sordida multis pilis durissimis scatentia: verum quidem erat habuisse istum Militem ulcus ex lue venerea contractum, in quo multæ fuerant verucæ venereæ, quæ inspersione pulveris Mercurii præparati spatio unius noctis deletæ fuere: obtulerunt mihi similiter plicatum, è cujus vena aperta ut referebant, effluebant etiam capillitia, sed cum ad probam ventum erat, capillitia illa fuerunt fibræ illæ quæ apparent incorrupto sanguine febricitantium: hinc facile est percipere quantum nimia sit credulitas hominum sortibus, & gentibus præjudiciosa: cum viri etiam eruditi eo usque decipi patiantur, ut ex præoccupatis hominum relationibus mille falsas Hypotheses construant, & inde ima-

imaginarias indicationes inducant, super quas sani homines ita captivi deducuntur, ut plures à Medicina ipsa quam à morbo infinitis cruciatibus torqueantur: Doleo sane tabem istam superstitiosam in sapientum animos ita irrepsisse, ut vix ista Zyzania nisi post longum tempus è mentibus hominum eradicari posse sperem, præsertim à mulieribus & plebejis, qui fabulis & nugis similibus nutriuntur & recreantur, sicuti pueri crepundiis, qui ludere par impar, & equitare in arundine longa solent: sane multum gauderem, si ista admonitione cautiorem & perspicaciorem redderem nationem bellicosam & fortissimam Polonam, eo usque ut posthabita credulitate & ingenii facilitate (quæ sæpius ex bona quam prava indole oriri solet) perspicaciam indicant, quæ Plicam non ut morbum novum, aut antiquum, sed nullam habentem in rerum natura causam, præterquam segnitiem vel præoccupatam opinionem, vel hæderam præ foribus pro vino venali appensam considerent: hac enim ratione, seriò ad curandos plurimos graves affectus Medicorum ingenia fovebunt, & aperient; qui norunt Deum nullam in natura reliquisse tabem, cui sui remedium, aut antidotum etiam non impertiverit. Sed quid ignava resistente plebe facient Medici? in hoc consilium meum erit, animos & mentem à prævaricatis opinionibus prius curare Regulis Philosophicis, & facilius corpora remediis à Deo & natura præscriptis curabunt. Si vero nolent, relinquantur sibi ipsis, unicuique enim quibus sese castigare flagris voluerit permittitur, sapientiores facile salubri consilio & remedio divertentur.

# ANACEPHALÆOSIS

## CAPITIS XIII.

### *De Locis temporibusque morborum.*

*Loca morborum diversa esse seminumque conditiones & progressiones imitari, quæ ex spiritualibus tincturis ad corporeas coagulationes sæpè desinentes locorum dissimiles societates ostendunt, actiones læsas non Mineras morborum, sed consensus & sympathias partium declarare, excrementa, dolores, tumores, in corporeis & postremis af-*

 *fecti*

*fectibus solummodo significare, in primis vero radicibus & spiritualibus tincturis Elementalia loca, remediorum beneficio & symptomatum vehementia rectius inquiri. Tempora deinde morborum tam digestionum quam resolutionum ex scientiis & donis seminum, prædestinationes accepisse, esseque in familia earum signaturarum, quæ speciei vel radici non individuis coherent, transplantari tam loca, quam tempora morborum efficientia causarum quæ transplantationes efficere solent: postremo signaturas & symptomata reliqua morborum, ut actionum læsiones, excrementorum immutationes, colores, calores, ex spiritualibus & vaporosis resolutionibus morbidarum radicum proficisci.*

## *Analysis Logica Textus hujus Anacephalæoseos Capitis decimi-tertii.*

PErgit Author ordinate à primis veris & causis conclusionum effectus deducere: at cum dicit loca morborum esse diversa, hic tamen non intelligit causas radicales primas mentales & conservatrices primorum effectuum in Macrocosmo, sed loca quæ Analogiam habent in Microcosmo, in primis illis locis, & quasi genere subalterna, primis illis radicibus subordinata, tenent enim aliquid de primis rerum radicibus: proinde dicit Author, loca ista non esse otiosa, sed vitali potestate plena, amittunt tamen multa, quia primis & radicalibus sunt subordinata, & per primæ causæ participationem dependentia: per seminum conditiones, intelligit seminarias rationes morborum in alimentis contentorum: & quia differunt semina, quo magis accedunt aut recedunt à primis & vitalibus radicibus, ita dicit loca esse alia aliis diversa, quatenus magis semina ab incorporeis corporibus, aut corporibus incorporeis, & usque ad corpora progrediuntur: & quatenus dicit actiones læsas non morborum sedem, sed partium consensum declarare, in hoc à vulgari Medicina dissentit, quæ tenet, ibi esse morbum, ubi sunt dolores, sed ista differentia dependet à distinctione diversa morbi, & causæ morbificæ, potius quam à rei ipsius natura, tenet enim Author morbum, causam antecedentem, & symptomata non differre genere, essentia, vel proprietatibus specificis, sed potestate & actu solum: eodem

pacto

pacto dicit,per dolores & tumores ultimos effectus ſolum demonſtrari, ſed Elementalia loca remediorum & ſymptomatum beneficio rectius inquiri: Hujus textus ſenſum multum turbavit error Typographi impreſſionis Erphurtenſis, qui pro Elementalia loca, Elementa loco poſuit, ſed exemplar Baſilienſe ſcrupulum iſtum mihi ademit: dicit denique tempora morborum & digeſtionum, quam reſolutionem ex ſcientiis & donis ſeminum prædeſtinationes accepiſſe, quid autem per iſta ſemina, dona, ſcientias & prædeſtinationes intelligat Author, ſatis ſuperque jam diſcuſſum eſt. Cætera nulla explicatione indigent.

## ENUCLEATIO TEXTUS CAP. XIII.

Analogiam inducit inter res mundanas quæ ex ſeminibus naſcuntur, quas in primo ortu ex incorporeis corporibus dimenſiones videntur accipere, at tunc locis temporibusque certis obligari ait, tum morbos, qui ex inſenſibilibus ſeminibus prodeuntes, in corporibus humanis loca ſeminibus iſtis conſentanea, differentias tamen juxta differentiam ſeminum, tum temporum mutationes continuas vel interruptas, veloces vel tardas, in fructuum revolutionibus & officiorum diſpenſationibus oſtendunt, nec ſolum temporum & locorum Scientiis ornata ſunt ſemina, ſed facultatibus omnibus Signaturarum vitalium, quibus tanquam veſtimentis fœtus ſuos ornant. Per ſignaturas intelligit Author Simulacra,& imagines corporeas, quæ verorum entium ſunt ſigna. & quando ſemina in generatione progrediuntur, loca, teſtimonia radicum unde venerant, multifaria adferunt, imo & tempora ſeminum ſignaturis illis ornata deferunt, & quamvis ſignaturæ iſtæ occultæ videantur, tamen aliarum ſignaturarum miniſterio à ſagaci Medico inquirenda erunt;magni enim ſunt momenti, cum temporum & locorum indicationes in Remediorum adminiſtratione oſtendant, morborum enim gradus, curationum facilitates & difficultates indicant. Loca vocat, quæ prius ventriculos, matrices, agros, & tot ait eſſe quot Elementa trium principiorum corporis proprietatibus inſignita, & talia elementa fuerant vel ſuperioris globi, ut cor, pulmones, cerebrum, arteriarum ſpiritus: tum inferioris globi, ut hepar, ſtomachus, lien, ſanguis, at in quibuſdam tamen morbis, inquiſitio non eſt adeo difficilis, præſertim quando ex mucilaginibus tartareis contingunt: ſic ardores, eraſiones, ſtomach. nauſeæ, vomitus, cibi faſtidium, inflationes, pigritiæ, indicant radice

morbidas in ventriculo contineri, colicos dolores in hepate & intestinis, liene & mesenteriis. Dissuriæ, Straguriæ, Arena, bolus, dignotiones habent faciles, mineras enim in quibus foventur confestim indicant, quia ex seminibus constant, quorum fructus ad coagulationem destinantur: ita febres tertianæ, quotidianæ, quartanæ, continuæ, spuriæ, erraticæ, hecticæ, in ventriculo, intestinis, mesenterii venis, hepate, renibus, fomites habere possunt, & certum est in similibus morbis adeo manifesta esse locorum vel mineralium signa, ut Plebeios etiam non lateant, & certum est febres tertianas quæ in ventriculo sedem fixerant, visas fuisse aliquoties per vomitum rejectas, in forma viscosæ & viridis mucilaginis, nitrosa ac sulphurea amaritudine ægrotos fatigantes, quæ mucilago, postea quam rejecta fuerat, etiam vitalia motus vestigia, febrili horrore aliquantisper demonstravit, magna adstantium admiratione, quam inexpectata hilaritate auxit æger, sanctè affirmans se febrim rejecisse. Quartanæ quoque febris radices in renum Anatomia legitimis indiciis sæpe deprehenduntur, & præcipuè ubi vicinæ partes, hepar scilicet, lien, mesenterium, ventriculus ab impuritatibus immunes fuerint. & de talibus febribus tractat Paracelsus, Libro de febribus renum, imo & ex aliis remediis in hoc affectu tentatis. unum inveni certissimum quod me nunquam fefellit, & cum hoc credo me mille curasse febres quartanas absque labore & tædio, imo & absque consuetorum negotiorum interpellatione: qui vult hoc remedium in praxim reducere, conferat se se ad locum istum Paracelsi, & ibi inter duo vel tria remedia ad quartanam specifica, optimi electionem faciet. Hic producerem, nisi simplicitas remedii famam minueret: sic febres lienis, quartanæ, tertianæ, quotidianæ, raró conspiciuntur sine symptomatibus, quæ febribus renum supervenire solent, at veró astralium morborum loca, in quibus impuritatum vel seminum tincturæ planè spirituales existunt, sive fructus resolutionesque producant, ad corporeas coagulationes desinentes, sive spiritualibus & vaporosis resolutionibus evanescentes difficulter inveniantur; ut Epilepsiæ, Melancholiæ, Maniæ, Paralyses, Apoplexiæ, Hydropes, tales Podagræ, Catharri: Apostematum, ulcerum, & febrium nonnullarum variæ sunt naturæ, & multos ex istis habere loca manifesta, sed hic non tam anxii sumus de causa manifesta, quam fomitem, fontem, principium, radicem, non fructuum diversoria, sed seminum hospitia invenire: ita enim Curationum leges felicius absolverimus, & prædictionum postulata prudentiùs discernemus. Sed cum de locis mor-

morborum hic agimus, aliter atque vulgares Phisici de istis locis sentimus: apud Autorem loca non sunt otiosa, sed suis proprietatibus instructa, quæ vitam & alimentum suis locatis, id est seminibus exhibent, ut ea de se proferant, quæ in illorum thesauris recondita observant: pro rerum itaque differentia, diversitas quoque erit in loco essendi, longè enim aliter videbitur truncus cariosus ac arbor radicibus & fibris suis terræ infixa, ab ea tanquam radice nutrimentum hauriens: quemadmodum enim hæc duo inter se differunt, subtilitate, vita, potestate, ita loca & tempora illorum necessarium est differre. Eodem pacto in homine locorum differentias ostendunt, lapis in vesica vel renibus coagulatus, & mucilago lapidosa etiamnum spiritibus vitalibusque tincturis prædita, neque in locorum effectorum inquisitione sufficiunt Canones, Signaturæ & indices Galeni, quia proportionem non habent cum seminibus seminumque proprietatibus, ex quibus multi morbi derivantur: etenim in Epilepsia, dum locus affectus inquiritur, nec dolores, nec situs, nec excrementa, nec tumores apparent. Itaque ex sola actione animali læsa, Galenus concludit in cerebri ventriculis posterioribus esse fomitem morbi, quæ actiones tam pro corde affecto, quam cerebro æquè concludere possunt: verum est morborum quorumdam semina habère Anatomias, hoc est dispositiones consentaneas in corpore, cum quibus ratione proprietatum trium principiorum confluunt: finis fructuum illorum, resolutiones sunt sive spirituales sive corporeæ evadant, nam sic ad nata & domestica diversoria, quam ad peregrina potius festinant, ut cancrosæ radices, fructuum soboles ad cannes faciei, pectoris, ad mammillas ordinariè transmittunt, strumosæ ad collum & pectus, varicosæ ad tibias, podagricæ ad articulos, arsenicales, sulphureæ vel pestilentes, pleuriticæ & febriles ad cor & pulmones, papaverinæ, cicutosæ, epilepticæ, vertiginosæ, narcoticæ, ad cerebrum, in quibus omnibus itinerum exordia latent, & termini apparent, fructuum impressiones percipiuntur, radicum mineræ occultæ latent. Author verò hic fontes quærit, unde veniant impressiones, symptomata, actionum depravationes, nec quò vadant sollicitus est, nec ubi sensibus sese patefaciant, frustra læsarum actionum testimonia adducuntur, spiritales enim tincturæ & astralia semina, non ita locis inhærent quemadmodum corpora, neque oculis neque manibus diversoria sua patefacere volunt: relicta igitur corporeorum locorum inani inquisitione, in his morbis elementalia quærere oportet, in quibus spiritus spiritualesque tincturæ delitescunt, non quemadmodum lapis in vesica, aut cariosus truncus in terra, sed quemadmo-

admodum ſpiritus minerales in elementis, hoc verò nec oculis nec manibus deprehendi poteſt: perſpicacioribus oculis, altiori ingenio, ſubtilioribus inquiſitoribus opus eſt, ſi ſpiritualium penetralia deprehendere velimus. Quid igitur reliquum eſt? cujus ope ſpirituum tam occultæ latebræ poſſint inveſtigari, ſunt ſpiritus iiſdem vel domeſticis proprietatibus inſigniti, ſunt ſemina in quibus communes ſcientiæ & poteſtates vigent, ſunt Aſtra, quæ locorum, temporum, motuum, prædeſtinationes ſimiles obtinuerunt: horum oculis, & certis rationum applicationibus nihil occultum eſſe poteſt: quibus autem modis iſta dignoſci poſſunt, è textu tam faciliter percipi poſſunt, ut hic inculcare ineptum eſſet: ſed relictis nominibus, rerum differentias paucis perſcrutemus: tria enim hæc, cauſæ ſcilicet antecedentes, morbi, & ſymptomata, non differunt genere, eſſentia aut proprietatibus ſpecificis, ſed poteſtate & actu ſolum, quemadmodum Medicus dormiens à vigilante, Sulphur non accenſum ab accenſo, ſal non reſolutum à reſoluto, Mercurius non ſublimatus à ſublimato, matura à non maturis, aſcendentia à quieſcentibus, exaltata à diliteſcentibus, aſtralia vel in actum reducta à ſeminalibus aut in potentia manentibus ut caninum ſemen à cane: quia igitur talia in corpore latere poſſunt quæ putredine, digeſtione, exaltatione in actum reduci poſſunt, febrilia Symptomata perpetuo producere poſſunt: igitur talia nomina iis imponenda ſunt: unde quæſo nominum inſignia mutuabimur, niſi ex radicibus & proprietatibus innatis, perpetuis, ſpecificis, ſive actu appareant, ſive in radicum poteſtate deliteſcant: hac lege dici poſſunt radices in corpore latere, ſemina, impuritates nitro ſulphureæ, vel febriles, quæ in actum reductæ, digeſtis temporibus ſeparatæ, exaltatæ, ſuſcitatæ, accenſæ, horrores, rigores, frigiditates, ſomnos narcoticos, calores in corde, pulſuum alterationes, producere poſſunt, & ſi tales radices cauſas antecedentes febrium nominare liceat, licebit nihilominus iiſdem radicibus progredientibus, & ad maturitatem pervenientibus, exaltatis, accenſis, morborum appellationes nulla ratione eripere, morborumque Symptomata, actiones læſas, calores, colores, ſapores, odores, ex proprietatibus radicum produci, conſtanti veritate aſſeverabimus, quin etiam radicibus ſilentibus & occultè in corpore latentibus, morborum inſignia concedenda erunt: ſic in morborum intermiſſionibus ubi nullus adhuc in corde calor eſt, nihilominus rectius febrem in corpore latere quam antecedentem cauſam dicemus: ſic in ſilentiis Epilepſiæ, radicem vel vitriolum Mercuriale circumferunt ægri, quamvis longa habeant paroxiſmorum ſilentia; aut igitur ſoreticæ illæ dubitationes non tollendæ

erunt,

erunt, aut caufis antecedentibus morborum appellationes concedere oportet, continuitas enim naturæ violenta, nominum interpofitione, turbanda non eft. His igitur de locis morborum commemoratis, jam de temporibus agendum. Fundamenta autem temporum in donis & fcientiis feminum continentur, ibi termini, horæ, menfes, anni, luftra, fæcula, longè antea definita funt, & unicuique femini ut fignaturarum omnium innatæ leges exiftunt, ita temporum prædeftinationes, filentia ortus maturitatis & fenii adjuncta funt: Tempus enim nihil aliud eft quam progreffio feminis ex orco in lucem, quocirca femina diverfa temporum quoque diverfitatem oftendunt, ut in cæleftibus feminibus, & aftris, quorum tempora diverfa funt, & Vegetabilibus & Mineralibus: itaque talia temporum rudimenta, fi ad Anatomiam humanam debite accommodentur, fanitatis & morborum periodos, paroxifmorum circuitus, filentia, plenilunia, decrefcentias, maxima facilitate declarabunt, & quamplurimas difficultates, & obfcuritates tollent, nec oportet formas ipfas, & externas fignaturas rerum naturalium in homine quærere, fufficit proprietates, fcientias, dona, prædeftinationes, tincturas feminales, vitæ & poteftatis cuftodes cognofcere: vanum eft in homine bonum, cupreffum, aurum, fmaragdum, in homine inquirere, tincturas vero naturales, actionum fontes qui inquirit, inveniet qua ratione femina morborum in cibo & in potu delitefcunt, in quibus Vegetabilium, Animalium & Mineralium tincturæ & proprietates reperiuntur, fic quotidianæ repletiones & commeffationes, femina latentia ad meffem accelerant, ut calx ad radicem arboris adfperfa, fic intempeftiva exercitia, verius animi effectus, ira, timor: hinc athleticum corporis habitum damnavit Hippocrates, quia ex tanta poteftate digerentis caloris, alimentorum & exercitiorum robuftiffimorum affiduo ufu exercitati, femina graviffimorum morborum (fine quibus non vivitur) ad exaltationes & extremitates calamitofas fubito perveniunt, abfolutis digeftis temporibus effervefcunt, radices morborum & fructuum refolutiones inftituunt, continuas vel interruptas: fi enim tincturas feminales efflorefcentes, homogeneas æquè maturas obtinuerint, continuitatem temporis in refolutionibus fructuum cuftodient. Tales radices ex impuritatibus conftant fulphureis, arfenicalibus, auripigmentalibus, antimonialibus, in quibus falium validæ tincturæ non funt admixtæ, vel fi admixtæ funt, in primis faltem fuperficiebus hærent rigores, horrores, frigiditatefque producentes, donec confumptas & continuas relinquant fulphurearum radicum tincturas. Hæc eft caufa continuitatis febrium ardentium, hecticæ pleuritidis, prunellæ, peftis & fimilium morborum, falia quoque

quoque si similarem sulphurum naturam longa digestione acceperint, continuitatem resolutionum æmulantur, ut in ulceribus apparet. Rursus radice morborum heterogeneæ Resolutiones interruptas producunt, & paroxismorum circuitibus, fructuum prædestinationes absolvunt: sed quo pacto observatur certa proportio circuitum si impuritas vel radix non est homogenea sed heterogenea? Dico heterogeneitatem non esse in specie, sed in gradibus, non quia radix contineat tincturas diversarum specierum, sed quia continet tincturas e florescentiæ diversorum fructuum in lucem prodituras, alias maturitati viciniores, alias vero remotiores: inde fit ut hodie partes maturæ efflorescant cras, perendie vel tertio die, quibus fæcundæ maturitatis sortes obtigerunt, tertio circuitu quæ prædestinationes tertias acceperunt, idque continenter in consumptionem omnium resolutionum in revolutione radicis definitorum. Ita nonnullæ radices, quarto circuitu, debitum naturæ perficiunt, & in consumptionem fructibus exhaustis abeunt, nonnullæ septimo, decimo quarto, vigesimo &c. *Huc Aphorismus Hippocratis, tertianæ exquisitæ plures circuitus requirunt antequam in radicum thesauris definitam fructuum sobolem exhaurire possint.* Tales tincturæ, vel superficies resolvendæ continuantur in scientia radicis, & prædestinationes locorum ac temporum ordinatas, certis numerorum proportionibus descriptas ab initio digestionis acceperunt, tincturæ & proprietates reperiuntur, & si dispositionem partium morbosarum, id est radices, semina, Elementa, mineras, tincturas, potestates, astra morborum olfecisset Galenus, facultatibus certè quæ partibus sanis insunt, morborum gubernationem non ascripsisset, solent naturæ prioris ministeria & hospitum potentiorum satellitibus provinciam concedentes, incognitas eorundem molitiones, & novas progressiones anxie admirari. Non est illa facultas in posterioribus ventriculis cerebri, alimentorum impuritates paulatim quoad sanitate fruitur animal expellens, quæ tantas convulsiones manuum, pedum, capitis & totius corporis, in Epilepticorum Paroxismis molitur. Exempla & Methodos inveniendi antea posuimus, hic quoque nonnulla adjicientes, finem huic Capiti imponemus: itaque dolorum causas imprimis adjungemus, hi omnes à Spiritibus salium resolutis proficiscuntur, in quibus saporum extremitates adsunt, ut austeritatis, ac caliditatis, acrimoniæ, salsedinis, & similium, ut vel hinc palam fiant quam ineptè contra Archiennem disputet Galenus, secundo de locis affectis, quod saporum nomina doloribus accommodaverit, acerbum, austerum, acidum, mordax, salsum, dulce, amarum, acre, lingua judicari, siccum, humidum, calidum, frigidum, asperum, leve tactu, dolorem

vero

vero tactus esse symptoma, proinde ab objectis tactus differentias & nomina dolorum desumi debere, næ ille subtili lingua præditus fuit si saporum differentias sine tactu deprehendere potuit: tactum sane omnibus sensibus communem concesserant Philosophi, neque ullam actionem nec passionem sine tactu fieri posse asserunt Peripatetici, confirmant Platonici; sapores vero amaros, acidos, austeros, acres linguæ dolores inferre differentes, etiam pueri sciunt: Catharos, dolores salsos producere, & salsedine asperam arteriam ac pulmonum cannas fatigare, multi ægroti conqueruntur: facilius quoque intelligitur dolores colicos ex acetosissimis, contagiosis & acutissimis tincturis per omnia penetrantibus proficisci, quæ si ex frigiditate, quæ tanta in vivente esse vix potest, ut tam immanes dolores ciere possit siccitate, vel asperitate oriri dicantur, ex esu acidorum dentes & gengivas dolere, dolorisque speciem nomine designant ex saporum proprietatibus: desumpto rursus usu salsorum, lingua, palatum, gula dolent, dolorisque diversam à priori speciem, diverso quoque nomine exprimunt: homines ita affecti dicunt, se tristi sensu affici, id est dolore eoque salso laborare: idem contingit ex usu acrium, zyngiberis, piperis, Persicariæ, &c. amarorumque, ut absinthij, fellis, Centaureæ: in omnibus planè differentes dolorum species representantur, saporum proprietatibus cohærentes. Quod si similes dolores & proprietates in aliis quoque partibus contingant, quis similibus affectionibus, causis, affectibus similia nomina rectè accommodari posse negabit? Neque proprietates & objecta sensuum, ea ratione confundentur, linguæ officium est saporum discrimina interpretari, affectiones vero & impressiones saporibus cohærentes non solum lingua, sed & aliæ multæ partes etiam invitæ percipient, sapores etiam extremos, & ad summam exaltationem ductos sæpè continent, quales si linguæ representarentur, dolores maximos & intolerabiles sæpè inferrent: injustè igitur Archigenem accusat Galenus, quod dolorum differentias saporum beneficio declaraverit, & nomina ex affectionibus saporum desumpta doloribus accommodaverit: immemor proculdubio fuit etiam Hippocratem febrium differentias quæ tactu dignoscuntur, mordaces appellasse, acutas & salsuginosas, loca autem quæ vehementissimis doloribus conflictantur, confluentiam habent cum salibus potentissimis: stupores, insensibilitates, somni Narcotici à spiritibus sulphureis proficiscuntur, in quibus proprietates papaverinæ, Mandragorinæ, Cicutariæ, Hiosciaminæ & similes vigent: pulsuum motiones ordinatas, & naturales autem diximus à spiritibus vitalibus proficisci, non à corde vel arteriis, ablatis enim spiritibus vel silentibus, arteriæ vel cor in æternum non mo-

vebuntur, itaque à ſpiritualibus tincturis, à vaporoſis reſolutionibus morborum tranſplantantur, & admixtione ſpirituum Narcoticorum, quales in principiis Paroxiſmorum febrilium reſolvi diximus, tardi redduntur, parvi, pigri, contracti, ſtyptica vis & frigida cum Narcoticis ſpiritibus vel vaporibus conjungitur, accenſo ſulphure febrili, quia celeres motus habet & magnos, ſimiliter alterantur pulſus & inæquales redduntur ob admixtionem peregrinarum tincturarum, in quibus eſt poteſtas contrahendi, extendendi, calefaciendi: & hæc ſunt quæ præcipua attentione & conſideratione egent capite de locis & temporibus morborum.

# ANACEPHALÆOSIS

## CAPITIS XIV.

*De curandi ratione & legitima Indicationum ac Remediorum adminiſtratione dictum eſt, ſanationes omnium morborum duplices eſſe, univerſales & particulares. In univerſali & perfecta, uno eodemque remedio abſolvi reſolutiones impuritatum morboſarum, purgationes, conſumptiones vel ablationes, & reſtaurationes, mitigationes, corroborationes innati Balſami. Particulares vero curationes, quæ veræ & legitimæ exiſtunt, pluribus indicationibus & diverſis remediorum proprietatibus egent: actiones tamen & conditiones univerſalis curationis quoad fieri poteſt imitantibus abſolvi. Indicationes curativas veras, in proprietatibus Vegetabilium, Mineralium & Animalium fundari, facileſque mixtiones in debitis præparationibus admittere. Univerſalium curationum officia ex particularibus indicationibus remediiſque in morbis non conſumatis & extremis ſæpè adimpleri, eſſeque gradus particularium remediorum, ſuperiores & inferiores, calefactiones, refrigerationes, humectationes, exſiccationes, phantaſticas indicationes oſtendere, & proprietatibus naturæ radicalibus ſcientiæ & poteſtatis diſpenſatoribus carere.*

## *Analysis Logica textus Anacephalæoseos Capitis decimi-quarti.*

DIctum fuit supra capite quarto, ubi de adumbratione totius Medicinæ universalis agebatur, universalem Medicinam in Mumia, Balsamo & vitali sulphure Vegetalium, Mineralium, Animalium contentam fuisse, adeoque ejus legitimam præparationem & administrationem, medicam constituere scientiam, & Medicos recte appellare, & quia præparationem illius Medicinæ aperueram super textum tertium illius capitis, ad locum illum curiosum lectorem remitto. Dicit igitur in hac Anacephalæosi, universalem Medicinam posse uno eodemque remedio, omnium morborum impuritates auferre: esse etiam & particularem, quæ vires universales quoad possit imitatur, sed hæc ut pluribus indicationibus, sic pluribus etiam remediis utitur, & dicit particularem curam habere diversos gradus, nempe venericos, subalternos, specificos, & individuos, quæ absque ope quatuor qualitatum, veras & legitimas indicationes demonstrare possint.

## ENUCLEATIO TEXTUS CAP. XIV.

### *De curandi ratione & legitima indicationum ac remediorum administratione.*

IN hoc Capite more solito brevem adfert tractatarum recapitulationem, incipiendo ab ipsis rerum radicibus, nempe Elementis radicalibus, Principiis seminariis, Astris seu Spiritibus, tum Principiis Hypostaticis & ipsis corporibus Hypostaticis, progrediendo ad differentias, proprietates, generationes & transplantationes transit, non solum quæ in magno mundo contingunt, sed etiam in nativitatibus morborum, quæ in homine contingere solent, tunc ad scopum se se convertit, & ait, quoniam omnes morbi vel à nativitate in primo ortu contrahuntur, vel ab usu alimentorum implantantur, proinde prima & præcipua indicatio se se nobis offert, ut istas impuritates mixtionum auferamus, & conditio harum impuritatum diversa est, aliæ enim ipsis radicibus humanæ naturæ proximæ adhærent, & omnia quæ nascuntur, hac lege morti sunt obnoxia, & hæc impuritas arte separari non potest, & propria est speciebus, non autem individuis: alia vero est quæ Parentum culpa accedit propria intemperantia, & hujusmodi mixtiones individuorum speciei vel radici non adhærent, & tales sunt podagræ, lepræ, epilepsiæ, hydropes, quæ

omnes ſanabiles ſunt , quamvis occulta prædeſtinatione mortalibus incomprehenſa videantur : alii vero morbi ſecundarii ſunt , & quaſi læſiones , ut calculus in veſica , Tophi Podagricorum , & tales affectus novi impediunt quominus radices , cauſæ & principia à quibus proficiſcuntur , remediis tolli poſſint, quæ & ſine præparatione exhiberi non poſſunt. Poſt quartum ſequitur uſum confortatio & Balſami innati conſolidatio; quæ exterius adhibentur fomentationes, cataplaſmata, unctiones, prædictis indicationibus inſerviunt. Podagricorum affectus ſi leviores fuerint, neque radices & fontes habuerint in ſanguine, carnibus, vel ſynovia, hoc eſt in unico contenro inter apophyſes & epiphiſes oſſium, aliarum partium (quod Paroxiſmorum ſignaturis, inſultu, & remediorum idoneorum uſu diſcernitur) reſolventibus, mitigantibus & corroborantibus ſanantur: oſtendimus enim Podagricos morbos, ex tincturis & ſpiritibus ſalium acutiſſimis, contagioſis, vel amara & penetrabili austeritate inſignitis originem ſuam habere, differentias quoque Podagræ ex horum ſpirituum diverſis proprietatibus , mixtionibus inter ſe & cum ſpiritibus ſulphureis ac Mercurialibus recte deſumi, ex quibus dolorum diverſitates (ut ſaporum in lingua & affectionum ſaporibus ſupervenientium) calorum, colorum, inflationum & omnium ſymtomatum dependent. Quia igitur in omnibus ſpeciebus Podagræ, tincturæ ſalium, duras & ſiccas coagulationes moliuntur, quamvis ex reſolutione ſuarum Radicum aſtrũ receperint, & ad effervescentias aſcenderint, reſolvi utiq; debent, humectari, & ſudore, madore vel inſenſibili tranſpiratione diſcerni: ita tamen ut mitigatis una doloribus, caloribus & doloroſis omnibus ſymptomatibus, violenta fluxionum attractione ſopita requies naturæ concedatur, & corroborata ſynovia viciniſque partibus tam inimicos hoſpites in poſterum non facile admittat : tunc ad Topica properandum, quæ ſive ſint unguenta, linimenta, fomentationes reſolventes, mitigantes & corroborantes, debent eſſe benè præparatæ, exaltatæ, imo & Podagricæ eſſe poſſunt, & incipientes Podagras radicitus tollere poſſunt, imo & difficiliores mirabiliter mitigare: Podagræ vero confirmatæ, purgationes, remediorum legiones, requirunt, itaque Purgationes Podagricæ adjungi debent, non neglectis mundificantibus, nec relictis Diaphoreticis, quæ ſive de Vegetabilium, Animalium & Mineralium familia deſumantur, virtutum exaltationes & poteſtatum explicationes maximè requirunt, interdum quoque vehementiſſimis podagricis affectibus ubi dolorum comites vigiliæ, viriumque reſolutiones adfuerant, Anodyna intrinſeca adminiſtrari debent , & hoc conſilium in omnium morborum curationibus locum habere debet: Epilepſia vero & ſimiles morbi duplices habent indicationes

particulares, quædam enim paroxiſmos præcipuè proſpiciunt, quædam vero radices ipſas, ſedatio ſpirituum effervefcentium, conſtrictio, mitigatio, ligatio, paroxiſmos præcipuè reſpiciunt, reſolutio autem tincturæ Epilepticæ, conſumptio, ablatio ipſas radices. Et hæ quoque indicationes faciles admittunt, ac uno eodemque remedio omnia abſolvi poſſunt : ulcera, puſtulæ pruritus, Mundificationes primum requirunt, vel externas vel internas, vel utraſque, deinde confortationes & conſolidationes, in nonnullis mitigationes quoque manifeſta neceſſitate adjunguntur, in quibus dolorum carnificina ægrotum fatigat. Ita curationum leges recte inſtituuntur, indicationes in naturæ proprietatibus fundatæ debitè adhibentur, & omnibus ægrotorum quærelis fideli celeritate occurritur. Hippocratis quoque Oraculum inviolatum cuſtoditur, dicentis, contraria contrariorum eſſe remedia, ablatione videlicet impuritatum morboſarum utrimque, & balſami innati refectione, non calefactione, refrigeratione, humectatione, exſiccatione, non abſterſione, inciſione, attenuatione, & ſimilibus relolaceis, mortuis & externis qualitatum impreſſionibus, in quibus non ſunt δύναμις Hippocraticæ aut Cherioniæ, Paracelſi, ita enim ipſe Hippocrates expoſuit medicinæ officium libro de flatibus, ubi inquit. Fames morbus eſt, quidquid enim hominem moleſtat, confeſtim morbi appellationem meretur: Pharmacum vero hujus morbi eſt, quicquid famem ſedat, talia autem ſunt alimenta, alimentis igitur his morbus ſanandus : ſic alimenta Hippocrati remedia exiſtunt, habent enim proprietates, & tincturas ſeminales, ex quibus defectus ac debilitates innati balſami reſtaurantur, & officia illa curationis univerſalis quæ diximus præcipuè eſſe maximeque optanda abſolvunt. Rurſus ſitim potus ſanat, antea vero diximus, ſitim cum liquore deſiderato, vel cum potu idem eſſe, ſicut nutrimentum cum eo quod nutritivum eſt. Quare cum dicit Paracelſus ſimilia ſimilibus curari, non inſanit, non ſtulte loquitur, ſed recte ſentit, & Philoſophicè pronuntiat, non adverſatur Hippocrati aſſeveranti famem cibo, ſitim potu, repletionem vacuatione, inanitionem refectione, laborem quiete, quietem labore &c. curari, & in univerſum contraria contrariorum eſſe remedia. Medicinamque nihil aliud eſſe, niſi appoſitionem eorum quæ deſiderantur, ablationemque eorum quæ redundant. Sed Galeno manifeſte adverſatur, qui contrarietatem Hippocraticam ad nudas illas qualitates, ab Hippocrate libro de Antiqua Medicina damnatas, præcipue accommodat, primas enim & præcipuas curationum Idæas, ad refrigerationes, calefactiones, humectationes, exciccationes, harumque compli-

plicationes refert. Quem secuti Arabes & hodierni Medici, pro Curatoribus Calefactores, & Balneatores evaserunt. Ipsa facilitas harum indicationum, suspicionem erroris inducit, longe aliud est auferre morbum, vel symptomata lenire, mitigare, quam hostili contrarietate calida refrigerare, humida exsiccare, &c. Itaque qui velit febricitantium sitim extinguere, non ptisana, non vino, cervisia, nec acetositate citri, imo nec aqua, quamvis ad ventriculi usque repletionem exhibuerit, non perficiet. Volunt enim spiritus illi sitientes, liquorum guttas, quæ spirituum silentium siccas coagulationes, benigno simili & consentaneo liquore humectare possunt, imo & æque maturas, exaltatis ad ejusdem extremitata cum siti gradus reductas, & sic sitientes illi spiritus, postquam liquores Analogos obtinuerint, mitigata ferocia resolvuntur, vel per sudores, vomitiones, urinas vel insensibiles transpirationes; & proinde similia dicuntur morborum remedia, imo locutiones contrariorum etiam locum habere absque contradictione possunt, modo non ad calefactiones & refrigerationes, injusta Metamorphosi & contra Hippocratis mentem retrahantur, ille enim in libro de Antiqua Medicina ex professo contra eos disputat, qui causas morborum quatuor qualitatibus simplicibus attribuunt, demonstrando, nihil esse in rerum natura, quod per se absque potestatum admixtione curare potest: sic calidum, frigidum, humidum, & siccum, & qui calidum affectum frigido remedio curare velit, is tali frigido, tali calido, hoc est calido, salso, amaro, austero, acri, acerbo curare debet, vel quia infinitæ ejusdem facultates, calori permixtæ reperiuntur: eodem pacto frigidum aliis potestatibus jungitur, sed qui contrariũ Hippocrati, rationi & experientiæ adferre solent, illi in caloribus & coloribus unum duntaxat habent cum veris Medicis commune remedium, nempe venæ sectionem, quo si destituerentur, plane deplorati essent, quamvis etiam & hoc præsidium in omnibus similibus affectibus locum non habeat, & quamvis jactura noxia optimi sanguinis calores tolli possunt, tamen tempestivius & melius aliis remediis sæpè sine injuria, & aliarum partium dispendio, tolli possunt: qui autem legitimas remediorum præparationes addiscere vellent, has confusiones & contrarietates facile evitarent, & ad Anodyna mitigantia, resolventia, somnifera, mundificantia, purgantia, corroborantia, lenientia, citò accurrerent τὸ πεφθῆναι γίνεται ἐκ τοῦ μιχῆναι κρηθῆναι καὶ ἀλλήλοισι συνεψῆναι: quid autem sit coctio apud Hippocratem & qua ratione absolvatur, ipse in libro de antiqua Medicina exponit inquiens, *coctiones perficiuntur ex mixtione, contemperatione & mutua per mixturam*

*rerum*

*rerum digestione:* æquipolent igitur Indicationes chemicorum per mitigationem, quæ ab Hippocrate per coctionem fieri arbitrantur, non differunt contraria appositione, hoc est proprietatibus essentialibus, sed modo loquendi, in omnibus morbis tamen non requiruntur curationes maturativæ, sed licet confestim ad purgantia & resolventia accurrere, præcipuè quando impuritates tales superficiales sunt & facilè mobiles, & tales sunt febres nonnullæ, & apostemata facile obtemperantes, neque ad difficiles coagulationes destinatæ, quod ex dolorum signaturis, & symptomatum inconstantibus & turgidis effervescentiis deprehenditur, etiam in principiis purgationes admittunt, ac vero impuritates febriculosæ & inflammatoriæ quæ tincturas habent difficiliores, quarum resolutiones & vapores coagulationes admittunt, fixas, difficulter resolubiles; & tales per epicrasim, coctionem vel mitigationem tutissime curantur, non enim obtemperant facultatibus crudis medicamentorum vulgarium, quæ corporeis & crudis corporibus agunt, & proinde spirituum morbosorum effervescentias exasperant, in Morbis vero Chronicis, & Epilepsiis, Quartanis, Colicis, Podagris, in hydrope & leprosis affectibus, impuritates radicales resolutione non actione propria & primo curantur: hoc quoque adjiciendum, non omnia curationum mifteria, indicationum compendia, remediorum arcana, ab Hippocrate descripta esse & potuit quædam ignorasse: sæcula certe proficiunt, iniquum proinde esset in omnibus ipsum imitari. Paucas remediorum facultates exposuit, curandi rationes mirabiles, quibus hoc sæculo uti non licet, multis in locis demonstravit, de remediorum præparationibus, exaltationibus, indicationum compositionibus, in quibus Medicina fundatur universa, nihil ab illo proditum est. Principia nihilominus Medicinæ naturæ legibus consentanea nobis etiam communia demonstravit, feliciori sæculo novorum morborum difficillimis resolutionibus non inquinato vixit, nobis & nepotibus nostris altiorum remediorum inquisitiones sine invidia reliquit. Hanc admonitionem necessariam hoc loco adjunxi, ne aliorum observationes, præcepta, vigiliæ & commentationes posteris socordiæ occasionem in posterum præberent.

ANA-

# ANACEPHALÆOSIS
## CAPITIS XV.

*Remediorum differentias, morborum naturas, imitari. Simplicitates compositiones, potestates & exaltationes, secundum morborum Analogiam admittere: esseque remedia alimentaria, medicamentosa & venenata. In singulis easdem proprietates vigere, agendi tamen potestate, & virtutum robore differentes. Specificas facultates in natura contineri, quæ certas impuritates respiciant. Caliditates, frigiditates, sapores & externas applicationes in proprietatibus remediorum dijudicandis, inutiles esse censores. Corporum principia, proprietatum radices rectius monstrare. Quia vero à venenatorum usu nulla ratione excusemur, præparationum & compositionum necessitatem irrepsisse, in qua cruditates maturantur, impura separantur, corpora solvuntur, & spiritualia redduntur, calores, sapores, odores, & similes qualitates, humanæ naturæ infestæ, corriguntur, mitigantur, tolluntur, illæsis virtutibus morborum curatricibus. Compositiones faciliores, in spiritualibus remediis, quam in crudis existere, quarum necessitates præparatione sæpe auferuntur: servarique in præparationibus specificas proprietatum vires, quamvis actionum individuæ proprietates varientur.*

## ENUCLEATIO TEXTUS.

CErtum est particulares omnes facultates Medicatrices in se habere aliquãdo aliquid, quod affectibus omnibus morbosis, à simili facultate Medicatrice convenire possit; proinde post Divinũ senem, optimè pronuntiavit Author, *remediorum naturas, morborum Medicatrices esse*, quasi diceret, Remedium & morbus debent esse relata, in eadem specie: sed quamvis facultates remediorum quorundam, nempe specificorum, aliquos specificos affectus curare promittant, tamen non sequitur Medicum aliquem vulgarem posse omnes affectus eodem præsidio & eadem præparatione cura-

curare, proinde in hoc Capite inculcat, Remediorum differentias, proprietates, præparationum & compositionum modos, (quæ ita absque arte chemica præparari nequeunt) addiscere, ex quibus ut specificis remediorum naturis, Medicus generalia & universalia remedia deinceps compare possit, ut unum idemq; remedium vomitus & alias purgationes ciere possit, & ita deinde præparare, ut Diureticum vel Diaphoreticum, consumptivum, mundicativum, consolidativum, mitigativum, & confortativum evadat: ita in chelidoniam transformare addiscit Asarum, Centauream & Urticam, & multa alia vegetabilia: ita Vitriolum, Antimonium, Tartarum, præparatione diversis remediorum ordinibus & specificis affectuum ordinibus adaptabuntur: sed quando in genere de morbis loquitur Author, non intelligit morbos, qui ab externa aliqua causæ violentia infliguntur, ut vulnera, & similia quæ in textu recensentur, & quæ manifestas indicationes sensui familiares habent, & remedia sensuum Analogismis subjecta requirunt, sed internas constantes morborum proprietates, quæ diuturnas & invisibiles actiones admittere & hominem molestare solent, & quæ non nisi in internarum proprietatum animadversione copiosa explicantur: & in hoc distinguitur doctus Medicus ab Empyrico, doctus enim ubique rationem veris Physices Principiis suffultam, indicationibus & præparationibus sensibilibus jungit: dico veris principiis, nam si solis Peripateticis principiis instructus fuerit, falsarum & imaginariarum experientiarum, & ex aliena relatione acceptarum ventilator & inanis nugator erit, & ipso Empyrico postponendus, qui sola experientia contentus, difficultates omnes superare videtur, modo traditione, Analogismo, aut ex mendace aliquo Authore receptam aliquam sibi proposuerit: sed inter duo ista extrema, si quis periti Medici officium ex Veterum Philosophorum & Chemicorum calculo instructus præstare non possit; optatius semper erit alicujus periti Empirici, quàm garruli alicujus speculatoris consilio & opera in gravissimis affectibus uti; & si in Cancro aut aliquo simili gravi affectu consuleret me amicus aliquis de Medico advocando, ut verum fatear, famosissimum aliquem facultatis alicujus Decanum, Chemiæ ignarum, Sireno suo cantu, & Pallio longo abbladientem repellerem, & rusticum aliquem baculo suffultum, & suis experientiis innitentem anteponerem (nihil pejus est superciliosa & inani fatuitate) & ratio est quia peregrina symptomata superveniunt ut plurimum levibus aliquando affectibus (ut in multis externis etiam læsionibus accidere solet) quæ pro-

prietatibus, non ita publicis, aut vulgaribus, quam ut possibile erit à Chemiæ imperito dignosci, aut à qualitatibus primis satisfieri possit, nam talia symptomata superveniunt, ut plurimum vel destructa Mumia, hoc est radicali humiditate, vel resolutis salium spiritibus, quæ absque salis notitia, quæ per chemiam acquiritur, adipisci nequit, vel à seminibus morborum antea in corpore latitantibus, sed excitatis superveniunt, & non à vulgaribus Physices Hypothesibus quæ totæ à quatuor primarum qualitatum serie dependent, nam si à calefacientium, humectantium, desiccantium, refrigerantiũ actione sumendæ erunt indicationes, & non à salium resolutionibus, neque à seminibus morborum, prius in corpore latitantibus, tunc omnes rationum subtilitates inanes erunt, & omnia Principia Physica silebunt, & effectus causam suam producet, & substantia accidenti inserviet, & probo Medico imperitus Empyricus prævalebit, sed ad vera & radicalia Physices Principia erit accurrendum, ad principia nempe & corpora Hypostatica, Mercurium, ignem & aerem, salem & sulphur, ascendendum ad semina, ubi omnes seminariæ morborum, quam aliarum rerum rationes delitescunt: ad Elementa radicalia, quarum naturam qui ex demonstratis Physicæ principiis ignoraverit, in vanum se se Medicum, sed utinam bonum Empyricum, jure merito se se præberet: rectè igitur cum Hippocrate asserit author, Remediorum differentias, ex diversis morborum nativitatibus & curandi rationibus desumi, ut sint alia Diætetica, quæ solo regimine, & debita rerum naturalium administratione curationes perficiant, appellabimusque ejusmodi remedia alimentaria, quia proprietates alimentorum imitantur, ut sunt alimenta, morbosque alimentarios solummodo curant. Rursus alia remedia sunt medicinalia, altiora & inferiora, in quibus potentiores proprietates conspiciuntur. Hæc remedia sola & sincera difficulter assumuntur, & symptomata gravia inducunt, nisi præparatione innocua reddantur, quia vires Mechanicorum humani corporis excedunt, & in morbis gravioribus adhibentur: talia nonnulla venenata plane sunt, ut Antimonium, Mercurius, Sulphur, Vitirolum, Mineralia fere omnia, Helleborus, Phitimalus, Collocinthys, Scammonea, Opium, Mandragora, Cicuta: horum usus in morbis gravissimis necessarius est, & talia sine præparatione chemica nullo pacto adhiberi debent, nec enim periti solum artificis manu, sed eruditi chemici ratiocinatione multum indigent, *sunt enim alimentaria remedia, quæ purgant*, ut Manna, Cassia, Pruna, olera fere omnia, locustæ vel prima germina plurimarum herbarum & fructuum; sunt diuretica, ut vinum Oligophorum,

rum, vinum Anacarditium, Asparagorum, & lupulorum, decocta vel acetaria, & similia ex infinita farragine Diureticorum deprompta, quorum selectissima aliquot, quotidiano usu meo experta proferam: talia sunt, carlinæ radix, Dausi semen, & radix Evigij, radix urticæ, semen, Eruca, Saliva, lappæ utriusque semen, bivistici semen, Onomidix radix, rubea tinctorum Gagates, bithospermum. Inter mineralia spiritus vitrioli, & sulphuris, Cristallus Mineralis, oleum Gagatinum, & sal ejus volatile, spiritus succini, cum sale suo volatili, oleum succini non rectificatum, spiritus salis, sal crystalli rupei, volatilisati, oleum itidem crystalli, ex nitro & sulphure confecti, cinis cicadarum tam domesticarum quam pratensium. Sunt Diaphoretica, ut Aromatica & odorata nonnulla ex simplicibus, ex ligno & cortice Gajaci, oleum & spiritus ejus, sal itidem, radix salsi perilli, decoctum Cardui Benedicti, Cardui Mariæ, Angelicæ, Scorsoneræ, & ligni rumperi granorum Iuniperii, oleum Elemeij, sal itidem ex Mineralibus supra omnia recommendatur, cinabaris Antimonij. *Diaphoreticum*, Antimonij flores, salis Ammoniaci, spiritus tartari, sicut tinctura tartari menstruis appropriata, quæ non solum sanguinem menstruum movent, sed etiam clarificant, confortant, consolidant, mundificant: ex simplicibus omnia Capillaria, Melissa, Aristolachia rotunda, flores calendulæ desiccati, & ex vino albo exhibiti crocus sativus, dictamnus creticus, matricaria, polium montanum, sabina, flores sambiaci, scordium, oleum succini, oleum Gagalis, oleum tartari fœtidum, Aloë, Mirrha; ex Mineralibus, Crocus Martij aperiens, Cinabaris Antimonij, & balsamus Terrebenthinæ, ex Cinabari Antimonij confecti Antimonium Diaphoreticum, Mercurius dulcificatus, oleum & spiritus baldani, oleum Sabinæ *sunt somnifera*, ut lactuca, semen stramonij aut Daturæ, semen papaveris: inter composita chemica oleum extractum è styrace calaminari, cum aqua destillata ex ranis vivis, Mense Martio spermate turgentibus exstractis: nec solum necessarius est usus horum remediorum, sed etiam venenata summa necessitate advocantur, in vigiliis enim & doloribus opiata postulantur, & in morbis qui fixas radices egerunt, & qui alimentariis non cedunt, de necessitate advocantur purgationes antimoniales vitriolatæ, & Mercuriales requiruntur, quæ necessitates compositionum & præparationum chemicarum summopere introduxerunt, & quamvis proprietatum confluentia experientias moderare in multis visa est, tamen plurimæ fortuitæ experientiæ, specificas purgationes, resolutiones, consolidationes, mitigationes, sedationes, specifica Diuretica, Diaphoretica, Menstrua,

Anodyna, Pleuretica, Febriculosa, Hydropica, Colica, Podagrica, Epileptica, Paralitica, Hifterica, Hepatica, Stomachica, Cephalica, Cardiaca, invenerunt interdum, ab aliis inventa didicerunt, & alia plurima apud Plebæios Rusticos inveniuntur, (quam apud Galenicos doctores) qui, ut ait Author, à caliditatum & frigiditatum analogismis remedia non sunt mutuati, sed ab experientia vel sua vel aliorum: ipse quoque Galenus vix unum medicamentum specificum &c. legitimum monstrabit ab Empiricis non acceptum, utcunque fæcunda complexionum & graduum Methodo, in compositionibus Medicamentorum, secundum genera & loca triumphet, & ex omnibus istis quædam remedia, quæ simplicitatem Elementorum passivorum magis imitantur, quædam rursus in quibus trium principiorum proprietates manifestius deprehendantur: hæc planetaria appellat vel specifica, illa vero Elementaria, quamvis utraque tam proprietatibus trium Principiorum quam Elementorum conditionibus sint insignita: sic Philosophico loquendi more corroborantia, calefacientia appellantur, quæ Balsamum naturæ suscitando calefacere & humectare dicuntur, quamvis per caliditates & humiditates istas morborum radices non tollant. Et hic apparet in quanto errore versentur illi qui caliditates & frigiditates principia & fundamenta proprietatum Medicinalium constituunt. Quæcunque enim facultates cum corporibus conjugia contraxerunt, corporumque alterationes procurant, in principiis corporum, Mercurio, igne & aere, tum corporibus Hypostaticis, sale & sulphure moderantur, & in sale & sulphure fundantur, non in sale vel sulphure simpliciter, sed in tali Mercurio, tali sale, tali sulphure: ita sulphura talia sunt attrahentia, repellentia, siccantia, narcotica, somnifera, anodyna, mitigantia, concoquentia, consolidantia: ita salium resolutiones frequenter apparent, unde mundificationes ex quibus purgationes omnes proficiscuntur: sic sunt Diaphoretica salia Mercurij confortantia, mitigantia, clarificantia, exhilarantia, consumentia, regenerantia, reperiuntur & in similibus quæ omnia ex Encheresi chemica dependent, & ex qua tota Medicinæ Thoreticæ quam Practicæ perfectio aucupatur, non autem in inutilibus quæstionibus & disputationibus propter quas precipuos naturæ Thesauros, ut ait author, in quibus gravissimorum morborum Medicinæ ab altissimo collocatæ sunt, intactos relinquimus, nec ipsi solum relinquimus, sed alios inquirere volentes prohibemus, impedimus, condemnamus, stultè irridemus, & quæ vituperare videmur in aliis, serio apud nos perpendentes veneramur, scire desideramus,

imo

imo non attigiſſe tacite conquerimur, & dolemus, & ante actorum temporum jacturam deploramus, videndo in aliis quæ cum maximo dolore & pudore apud nos deficere deprehendimus, tunc mille ſubterfugia petimus, ut turpes noſtros defectus inſolentiæ clipeo tegamus, tum variarum præparationum cenſuras injuſte ſuſcipimus, delicta & ſcopos veterum ænigmaticè inſinuatos vituperamus, & eò inſcitiæ & impudentiæ tandem deducimur, ut pro delictorum correctoribus, & Ariſtarchis apud ignavum vulgus videri velimus, ulterius autem progreſſi minis violentiſque objurgationibus pro majeſtate noſtra decernere incipimus, oculares demonſtrationes, & manifeſtas operationes expetimus, immo ut Carbonarii iſti præparationes ſuas nobis oſtendant inſolenter exprobramus, alioquin infamiæ, inſcitiæ, & fraudis notas iis inurimus, interea talem inſolentem: doloſam addiſcendi rationem in diſcipulis non admittebant veteres, ſed modeſtiam, gratitudinem, ſubmiſſionem, ignorantiæ confeſſionem, diſcendi cupiditatem ingenuam laudabant, talibus iiſque juratis conditionibus, & perpetua gratitudine ac fide obligatis præcepta dabant, multo adhuc ſudore enucleanda. Vos igitur Chemiæ convitiatores ad rectam viam redite, & divinam hanc ſcientiam quam hactenus condemnaſtis, & mille ludibriis affeciſtis percupidis ulnis amplectimini. depoſita igitur ferocia & ſimplicitatis & inſcitiæ ſalutari confeſſione induti; præparationum provincias aggrediemur, & immenſa gratitudine eorum benevolentiam proſequemur, qui micas ex menſis dominorum cadentes nobis communicarunt, & pia præparationum aſſiduitate naturalium cauſarum contemplationes, diſcrimina cum authore iſto amplectemur. Itaque poſt remediorum ſimplicium proprietates à nobis enumeratas, ad vulgarium remediorum cenſuras tranſeundum erit, & ad præparationum Chemicarum ſeriem deſcendendum: ita ſepoſita paulatim vultuum & morum pervicaci gravitate, faciles & promptos ad diſcendum nos præbeamus, authores ſelectos & approbatos qui de re Chemica præclaram præſtiterunt operam, apud manus habeamus, & ex ſimilibus qualis eſt àuthor noſter: nec ſolum ſpeculationi inhærendum, ſed ad praxim deſcendendum, & à generalibus præparationum intentionibus & remediorum proprietatibus ad particulares totius corporis partes & affectus deveniendum, & unicuique affectui (à capite ad calcem contento) proprium & ſpecificum erit attribuendum remedium ad exemplar morborum omnium, & remediorum, à me plurimorum annorum fideli experientia expertorum: & hic ita tamen erunt ſingula hæc remedia accipienda, ut potius pro generalibus

ralibus indicationibus commemorandis inserviant, quam ut particularibus suffectura judicentur, præparationes istorum remediorum discat, unicuique neque peritissimo amico fidat, sed omnia ipse pertractare addiscat, si cum laude & gloria Medicinam factitare cogitat, simul & usum à juventute colere debet, neque libris quibuscunque fidem adhibeat, sed omnia penitus apud se retineat, infra dosin in prima exhibitione sese contineat, priusquam ultra præsertim in Mineralibus aliquid tentet, simul remedij & ægri dosin etiam addiscat, & sic errores omnes facile vitabit, & quamvis sapientiores sunt multi, quam ut meis consiliis egeant, mihi tamē jam dudum tanquam veterano militi, imo Politropo & Poliporto, aliquid Athletici artificij remansisse quilibet credere potest, quo junioribus per sanationum leges, remediorum classes, curationum modos, paucis illustrare, breviterque depromere queam, & quo multorum hostium insidiis, subita & celeri providentia occurrere possint, civesque suæ tutelæ subjectos benignè refocillare, symptomatumque clade mitigata, ægrotantium pravis affectibus subvenire, & medentium æternæ famæ & gloriæ providere possint.

## *Reductio hujus doctrinæ in Praxim Exemplo Febrium.*

CUm nullus sit affectus cui homo magis obnoxius est quam febri, attamen adhuc cur tantus sopor mortalibus insideat, multi celebres nostræ ætatis Medici mirantur, commœrenturque, quod huic tam truculento hosti non satis prospexerint, quamvis librorum Miriades de ejus essentia & curatione non minore cum dicacitate, quam infelici eventu prodierunt, imo quod turpe est, qui Medicorum manus effugiunt, ut sunt Rustici orientales, aut australes gentes in minores angustias incidere creduntur, quam Europei aliquot, qui in ejus cura morbo ipso graviora multa experiri tenentur, nam ultra hostem communem, cum larvato amico vires à natura concessas sæpè periclitant, & eorum sævissima tyrannide succumbere coguntur, etsi in re tam necessaria, & ut videtur manifesta, tanta inveniatur socorditas, penuria, incertitudo, est enim Hippocratis illud edictum, *Auctorum morborum incertas esse vitæ aut mortis indicationes*, sed quid plura? forsan inde mali labes, quia documentis dogmaticorum (nimis effascinati) nimium acquiescimus, & supra eorum sensa nihil nos scire posse arbitramur, immemores quod antiqui non omnia scivisse fateantur, imo certum est, longè majora esse quæ ignorant homines, quam quæ sciunt, opera enim Dei, Diaboli astutia in dies nobis obscurantur, nec nisi Dei gratia, qui omnia nobis pro labore & pre-

precibus offert, unquam detegerentur: hujus igitur lumine comitatus in re tam utili & mortalibus necessaria, aliquid non inutile forsan proferam, nec vires meas sufficere posse, satis confido ad tantam velitationem, sed cum de Proximi bono agatur, ad Deum fidissimam veritatis cynosuram velis explicatis tutissime contendendum, in quo peragendo veterum & Neotericorum placita primo expendere licebit, quæ si satis firma non reperiantur, nova experientiis, rationibus, & authoritate authoris nostri confirmata, eorum loco reponam: quod autem à febrium medendi methodo tam infidis indicationum fundamentis stabilita, deficere videamus, ratio in promptu est, quia tota indicationum curativarum doctrina, super falsissima fundamenta Physica stabilitur, qualia sunt materia & forma, qualitates primæ, humores, de quibus cum tanta incertitudine in utramque partẽ ab Aristotele, & à gravibus authoribus Peripatheticis & Dogmaticis contenditur; ut à quibus partibus stare debeat naturæ contemplator, vix scire constat, tot enim contradictionibus, ænigmatibus & falsis Hypothesibus intertextis luditur, in libris Acroaseos, ut fallaciã ipsam quilibet, ex ipsius Stagiritæ responso ad Alexandrum magnum facile percipere potest: Alexander enim Magnus non minus pro literarũ quam armorum gloria se ambitiosum fuisse satis testatus est: quando apud Præceptorem Aristotelem conquestus est, quod Philosophiæ suæ misteria toti mundo communicaverat, quæ pro se reservare voluerat, sed respondit Aristoteles, se nulli nisi Alexandro revelasse, cum ita omnia obscuraverit, ut nullus ejus mentem (excepto Alexandro) assequi potuerit, itaque aliquot ejus commentatores celare non poterant, ejus pervicaciam tantam fuisse, ut cum cultoribus suæ doctrinæ ita fecisse se referant, atque solet sæpia piscis, qui aquam suo atramento inficit & turbat, ne à piscatoribus videatur, ita pro simili etiam fallacia doctissimo domino Simpsono Scotho Philosophiæ Pontamusano, ante aliquot annos professore dignissimo reprehenditur, is enim cum Acroaseos libros discipulis legeret, & veterum philosophorum dogmata, ab illo falso relata, recolligeret, non potuit abstinere quin diceret; Credo Aristotelem omnes veteres, suis armis spoliasse ut inermes eos facilius debellaret, quem processum pro Histrione quam vero philosopho digniorem judicaremus, ut Charlatani alicujus astutiis potius æquiparandum quam candori physico comparandum: sed utinam multi Medici & hujus seculi Chemici non pauci hujus etiam criminis non accusarentur, tunc à promissis & spe secretorum exercendorum, tot non illuderentur ægri, tunc indicationes curativæ, quas ex falso philosophiæ fundamento superstrui videmus, non tam ineptè nos deciperent, nec unquam

unquam animam veritatis avidam tam instablem decipi pateremur. Ego ut verum fatear, quadraginta annorum decursu quo jam artem Medicam exerceo, nunquam eo animi candore quemquam incedentem perceperam, ut rei veritatem ingenuè & juxta veritatis conscientiam candidè, sicut à natura nobis oblata est, aperire voluisse observaverim: itaque non mirum si Medicina, quam continuo Peripatheticis Hypothesibus innixam celebramus, desideratis effectibus minimè convenire, nec respondere queat, immo omnibus nostris purgationibus, in tertiana, quartana febris ferocia, ne vel minimum retunditur; imo æger duplici labore pressus, febris tyrannidi facilius acquiescit, priusquam (natura coctionibus intenta, & ab importunis purgationibus impedita) vel minimum morbi fomitem deturbaverit, & quod peius est, observentur illi Medici, qui cæteris studiosiores censentur, & qui majore sedulitate ægros suscipiunt sanandos, & videbimus illos in pejores & crassiores errores impingere: utinam mentirer, & quam in aliis culpam animadverto in me solo agnoscerem, sed ubi non valet ars, & quod mortua litera non docet, sæpè fortuna & casus faventes minimè opitulantur: sed si quis subito, ut cum Authore nostro loquar, universas medendi leges, longa consuetudine receptas nos demoliri velle arbitretur, decipietur; nam tutius erit meo consilio paulatim errores corrigere, Medicorum industriam strenuè excitare, ad naturæ & proprietatum inquisitiones, à quibus sanationes & omnes vitales procedunt actiones, clanculum adducere: ita enim officium majori gratitudine absolvetur. Proinde qui nunc in arte consenuerunt, utantur syrupis, conditis, trageis, electuariis, pilulis, epithematibus, cucuphis, oxirhodinis, unguentis, in morbis quibus sciunt, prudentiores enim sunt, quam ut meis admonitionibus in hoc negotio egeant, diætam ordinent, venas incidant, & magnorum morborum si non curatores saltim adulatores sint. Benignum & plenum humanitatis est, fateri, per quos non profeceris, vel saltim quantum vel quousque profeceris, quatenus votis & exspectationibus tuis responderint eventus.

## *Febris nomen, Essentia, Definitio, & Materia.*

CUm Grammaticis hic litem non habebimus de Etimo Nominis, sufficiet hic dicere, à radicibus ipsis nomina, & definitiones morborum derivari debere ab essentia rei, ab internis facultatibus, non à vulgaribus, externis, mortuis, momentaneis aut relolaceis, ut sunt qualitates primæ & simi-

& ſimiles ſignaturæ quæ externas non internas facultates manifeſtant; ita febris à Græcis igneum nomen, πῦρ à nomine Græco accepit, unde Hipppcrates febrem cauſam, quaſi magnum ignem nominat, Latini febrem à ferveo derivant. Germani à frigore nomen impoſuerunt, ſed qui ab eſſentia rei nomina deducere velit, non ab externis ſignaturis nomina derivat, ſed ab eſſentia: Proinde Author hic Philoſophorum more ab internis facultatibus & proprietatibus ἀπὸ δυνάμεων à rebus ſignatis & non à ſignaturis, nomen derivat; ſignata autem ſubjecta ſunt, ſuper quæ per ignis ardores, & tales ſignaturas tyrannides ſuas exercent, qua lege nitroſulphurei dicentur, quia in nitroſo ſulphure omnes frigiditatum & caliditatum officia abſolvuntur. Habent enim calor & frigus radices & ſemina caloris & frigoris: caloris in flammeo ſulphure, impuro, fætido & reſoluto, & primævo calore, ſeu igne imprægnato: frigoris, quando mucilaginibus, ac ſpiritibus fluidis ſalium nitroſorum fluore imprægnatorum, permiſcentur, nam ſi horum radices exaltatæ in ventriculi Anatomia (quam Author ob non invalidas cauſas Anatomiam, hoc eſt diſpenſationem, officium vel functionem appellat) fructus inquirere velimus, omnia ſymptomata quæ febribus ſuperveniunt, manifeſta facilitate, digeſtis temporibus adventantibus invenientur; hinc quando germinare incipit minera nitroſi ſulphuris, & flores ſuperficiales primum emittere, frigiditatem inducit, oſcitationes, pandiculationes, horrores, rigores generat: his igitur præambulis & ſuperficiebus acetoſis, frigidis, Mercurialibus, exhauſtis, vapores ac ſpiritus ſequuntur pinguiores, inflammabiles, ſulphuris naturam magis repræſentantes: ſulphuris dico ſalium commixtione transplantati, qui & ipſi vitalium Elementorum Anatomia inquinantes (quid autem ſit Elementum vitale ex prioribus conſtat) calorem, ſitim, capitis dolores, deliria, pulſuum celeritates, frequentias, inquietudines, anxietates, & multas ſimiles calamitates introducunt, donec exhauſtis radicibus, conſumptis reſolutiſque ſpirituum inimicis tincturis, vomitione, alvi excretione, ſudore & inſenſibili tranſpiratione evacuatis; deſideratam naturæ quietem, reſiduarum indubitato metu ſuſpectam, concedat: ſed quando hic de nitroſo ſulphure loquimur, duo erunt conſideranda: primum, tot eſſe ſpecies nitroſi ſulphuris, proprietatum robore, ſinceritate & exaltatione differentes, quot ſunt ſpecies intemperierum febrilium: & quot intemperierum ſpecies in humano corpore reperiuntur in Vegetabilium, Animalium & Mineralium familia, tot Medicatrices facultates,

quæ nec bilem vocare, nec aliquid ſimile eſſe in natura, nec bilem participantes credere debemus; ita ut in initiis Paroxiſmorum febrilium, horores, rigores, aut calores procurare poſſint, & qui aliter ſentit, concurſum, confluxum, & conſpirationem humanarum facultatum negligit, & Elementa radicalia ignorat, ſecundum quæ, ad effectus prædictos producendos non opus eſſe corporea continuitate, ob continuitatum penetrationem, pene impoſſibile credere debet, ſed ſufficiet ſpiritalis, virtualis & incorporea præſentia, per quam Elementa communia vitalis Balſami, inſtrumenta & domicilia, vaporibus & nitroſis ſpiritibus, per omnia penetrantibus, acuta & valida ſubtilitate inquinantur: ita enim frigiditates, horrores, pandiculationes, oſcitationes, ſomnolentiæ, pulſuum alterationes, cauſari poſſint. Quid autem ſint Elementa communia vitalis Balſami, aut Elementa vitalia juxta Authoris mentem, niſi præcedentium ſit immemor Lector, inveniet eſſe arterias, venas, muſculos, per quos tincturæ nitroſulphureæ, in vitalibus Elementis receptæ, eodem tempore tam diverſa acidentia ſuſcitantur. Tinctura autem juxta Authoris mentem, ſignificat facultatem incorpoream rei tingentis, explicatæ in actum, quales ſunt ſpiritus nitroſulphurei in diſtillatione aquæ ſtigiæ, in amplo recipiente incluſi, ſeſe calore rubro tunc albo ſpaciantes, & tales ſpecies ſpiritales, ſunt rubedo ſanguinis, albedo lactis; talis eſt color Ireus, qui vitris, aëri, aut ſali diu oppoſitus conſpicitur, & in quibus ſimiliter ſublimatus corroſivus ſolet ſublimari: aut aqua roris Maialis deſtillati: tales in collo columbarum & multarum avium conſpiciuntur, viſui innoteſcentes, tot ſpecies tactibiles tactui, & aliis ſenſibus ſeſe offerunt, magis aut minus ſenſibiles: talis eſt levis illa aura, quæ hyſtericos & Epilepticos afficere ſolet, quæ quando ad coagulationem tendunt, arthreticos dolores, calculum & ſimiles ex iſtis tincturis fructus producere ſolent. Tales multi ſunt ſapores, quibuſdam ita ingrati, ut recordatio ſola animi deliquium, vel vomitus internis tincturis prius ſoſpitatos, nunc autem recordatione in actum productos accerſere ſolent: ita ſimilibus tincturis nitroſulphureis, occupata cordis Anatomia pulſus mutantur, ſpirituum motui deſtinatorum, & muſculorum provincia labefactata, in vita motuum miniſteria, hoc eſt rigores, tremores, horrores peraguntur: ita in cerebri rempublicam hoſpites admiſſi ſenſibus ligatis peregrinum inducunt ſomnium laborioſa vigilia commixtum. Hiſce tandem ſuperficiebus nitroſis, acetoſis, Mercurialibus exhauſtis, vapores ac ſpiritus ſequuntur pinguiores, inflammabiles

biles, ſulphuris naturam magis referentes: ſulphuris dico ſalium commixtione tranſplantati, qui ipſi vitalium Elementorum Anatomias, ut ſupra dictum eſt, inquinantes, calorem, ſitim, capitis dolores, deliria, pulſuum celeritates, frequentes inquietudines, anxietates, & ſimiles calamitates introducunt, donec exhauſtis radicibus, & ſpirituum inimicis tincturis vomitione, alvi excretione, ſudore, tranſpiratione evacuatis quies naturæ concedatur.

## *Definitio Febris juxta Methoduu Authoris.*

DEfinitur autem febris juxta Authoris mentem dupliciter, ſecundum ordinem progreſſionum ſeminum morbificarum, primo per realem coordinationem cauſarum efficientium, unde definiri poteſt febris. *Quod ſit affectus à mucilagine & tartaro nitroſulphureo, in & ab alimento prius contractis, quorum fruſtrata ſeparatione, & expulſione, ſive in ſtomacho, hepate aut renibus, exaltatione, & copia materiæ morbificæ meatus obſtruens, omnibus ſignaturis cauſæ, actionem humanam læſam eſſe demonſtrans.* Erit igitur in hac ordinatione cauſa loco generis, nempe mucilago & tartarus nitroſulphureus, fruſtrata ſeparatio & expulſio genus ſubalternum, exaltata vero & copia meatus obſtruens ſpecies erunt individuæ, quæ per ſymptomata & ſignaturas, hoc eſt per dolorem, calorem, frigus innoteſcunt, & actiones læſas vel impeditas, pro individuo denotant: Secundo juxta nominalem coordinationem, morbus generis ſupremi locum tenebit, obſtructio ſpeciei, mucilaginoſa materia hepati impacta, individui. Itaque juxta utrumque tam realem quam nominalem modum, definietur: *Febrim eſſe morbum nitroſulphureum à facultatibus Dunamicis ſeminariarum rationum ſalis & ſulphuris ſuſcitatum, exaltatum, ſeparatum, incoctum & in corde accenſum, à ſpiritu ſeu Mercurio in actum reductum, qui ſiccitate & calore, in corde introductis, ſiti, inquietudine, frigore, rigore, & ſimilibus ſignaturis, ſummas vires & extremas poteſtates, calamitoſa ſymptomatum pernicie conjunctas demonſtrant.* Et quemadmodum calores in corde accenſi, diverſas individuorum claſſes in febribus conſtituunt, ita differentia materiarum mucilaginoſarum, in diverſis locis humani corporis individuas obſtructionum differentias pariunt. Aliæ enim ſunt inflammatæ, aliæ non, quædam acutæ, ut Arſenicales & peſtiferæ, quædam chronicæ, aliæ ſulphu-

phureæ & inflammabiles, aliæ non, aliæ aluminosæ, aliæ vitriolatæ: sed qui plura & exactiora de his scire velit, ad caput duodecimum recurrat, & ibi omnia non solum quæ febres spectant, sed etiam omnes corporis humani effectus breviter ut ad Praxim Methodi hujus Authoris reductos reperiet: aliter tamen definiunt Dogmatici febrem, & dicunt febrem esse calorem præter naturam, totum corpus infestantem. Definitio hæc Galeni lib. 5. de morbis capite quinto, genus hujus definitionis facit calorem, quem aliqui intemperiem simplicem, aliqui cum materia, aliqui substantiam, alii puram qualitatem, aliqui corpus adventitium: sunt qui qualitatem auctam, sunt qui dispositionem, qui habitum, qui qualitatem passibilem faciunt, & mirum est, quod variæ & mutiles quæstiones, de hoc calore omnium febrium basi, mirabiliter animos juvenum in diversa trahunt: differentia hujus est præter naturam, & calor, cum peculiare accidens sit, & cujus essentia est inhærere, prædicari de pluribus specie differentibus non potest: præterea cum definitionem dicant esse Orationem, naturam alicujus rei denotantem, non video quo pacto accidens, quod qualitas est, essentiam rei declarare possit: deinde calor est accidens, & accidentia non agunt, nisi virtute substantiæ, & quod non agit, caret viribus, & quod viribus caret, non habet essentiam: non rectè igitur definitur per calorem febris: denique contrariorum indesinens proprietas est, se invicem pellere: Proinde Medicus qui febrem dicit calorem, & frigida ipsi opponit, & tamen non curat, clarè frigus non esse febri contrarium ostendit, & si reclamaverit, materiam caloris, subjectum nempe, primo esse removendum, & tunc cur non prius materiæ, talis caloris subjecto, quæsivit contrarium, cum ab ea febrem deduxerat? tunc multa de putredine, nec minora de obstructione fingunt: interea purgent, desobstruent, refrigerent, nec ad minimum retardabitur Paroxismus. *Erronea est igitur illa febris appellatio*, ac citra omnem rationem introducta, febris enim à fervore deducitur, at fervor signum est saltem morbi, non materia, non causa, Nomen siquidem procedere debet à materia, proprietate, & natura ipsius substantiæ, veluti urtica est verè urtica, quia urit, sed verius sal, utrumque enim urit, & unam Anatomiam habent. Quare febris tale nomen debet esse: est ergo morbus nitro sulphureus, accensus, unde etiam quatit, unde horrores facit, unde intervalla dat.

De

## *De Ignis natura, unde creditur generari Febrim.*

VT certiorem, firmiorem, & veritati magis consentaneam febrium notitiam demus, & fidelissimis naturæ oraculis, ratione & experientia comprobatis, ejus naturam deducemus, sed cum illa tota ex ignis cognitione dependeat, ignis naturam breviter, quantum compendii ratio permittit, expendam. Dictum est supra, calorem non esse de essentia febris, sed esse duntaxat febris signatutam, sed scientia signaturæ ducere nos debet ad signati naturam indagandam; quidquid enim calet, communis omnium opinio est, quod ab igne caleat, sed natura ipsa ignis multis ignota est, neque potest hic tractatus ita extendi, ut ejus natura penitius demonstrari possit, sed qui velit exactius ejus essentiam & vires contemplari, videat Tractatum meum de igne in opere, cujus titulus est Philosophia Pirothechnica, Latino idiomate scripta, & pariter in alio opere Gallico, cujus titulus est, Elementa Philosophiæ Pirotechnicæ: interea quam paucis referam verbis dicendo ignem à duabus præcipuè signaturis, ustione scilicet & flamma dignosci, à nullo enim sensu immediatè percipitur, quùm sit res prorsus spiritualis, & incorporea: à corporibus igitur ignis inquirendus, illa autem sunt sulphur, & sal, at sulphur & sal corpora sunt, & corpora principio egent, & absque principio nec produci, nec producta absque principio stare queunt. Itaque tota universitas est, quæ vel substantia, vel accidens est: accidentia nec per se stare aut esse possint, substantiis enim egent; à quibus & nascuntur & iis invitantur, & in quibus sint, & stent, & iis accidant, & ab iis recedant: stantium autem triplex est natura, videlicet se stans à Græcis αυθυςάτος, & talis est ordo Entium Radicalium aut incorpororum, & talis est natura apicis, seu puncti indivisibilis anguli, qualis à Peletario describitur in Tractatu contra Clavium, super quem, si totus mundus esset quasi globus marmoreus, & in æquilibrio alio plano marmoreo stabili constitutus, super solo isto puncto indivisibili se stans dici potest: Secunda vero natura stantium substans Græcis ἐποςάσις vocatur, & talis natura est incorporeorum, & ordini rationum seminariarum propria est, quæ partim se stantia, partim substantia, partim alistantia dici possunt: se stantia quippe qua incorpora sunt, & aliena ope non egent ut stent; qua corporea vero, partim egent se stantibus, & partim sunt alistantia, qua enim egent, sunt incorporea, qua vero sunt alistantia, corporea sunt, ali-

aliſtantia enim ut ſtent incorporo egent, & ex horum numero ſunt fluor, ſeu Mercurius, ignis, & aër: tertia vero natura ſtantium, eſt aliſtantium ſolummodo, & talis eſt natura corporum: corpora igitur cum ſint aliſtantia, & aliena præcedenti ope prorſus indigent, nempe principiis corporum, per quæ producuntur corpora, & ſine quibus corpora ipſa exiſtere, & ſtare nequeunt, & iſta principia corporum dicuntur principia Hypoſtatica, hoc eſt ſubſtantifica, quia immediate ſubſtant, & quaſi pro fulcimento ſupponuntur corporibus, & corpora ſunt ſimplicia & compoſita, & ex ſimplicibus duo ſunt corpora ſubſtantifica, ſal & ſulphur, activa; duo magis concreta, terra & aqua, paſſiva: ex quibus mixta omnia corpora, ut cauſata proveniunt: itaque quæ in primis radicibus primarum cauſarum antipoſtatarum, aut Elementorum Radicalium, implicita manebant, deinceps beneficio ſpirituum Mechanicorum ipſis primis radicibus inſertorum circulariter ab Ente ad materiæ circumferentiam (producendo) progredi debent, donis, ſcientiis & proprietatibus Radicalium Elementorum ita ornata, ut ſtabili converſione, ad prima principia recurrant, & cum iis coeant, ut progreſſionis, & quaſi diſceſſionis cauſam addiſcant, ibique loca & ſpatia corporibus oportuna ſubſtituant, in quibus ut ſecundis Ordinibus Entium, hoc eſt ſeminariis rationibus ſtabiliendis, aut ſubſtantiis incorporeis conſentanea, ex quibus principiorum & corporum Hypoſtaticorum leges, menſuræ, & ſuſtentacula explicantur, exemplaribus ſimillimæ pro Elementorū concretorum ordine ſtabiliendo aptiſſimæ, & ex hoc ordine ſunt fluor, ſeu Mercurius, ignis & aër, quæ principia corporum ſunt hypoſtatica, & ſalem & ſulphur primo per progreſſionem producta veſtiunt, & tandem ſeſe ad cauſas convertendo, unde venerant, reſolvuntur in ſpiritus, ut ad cauſam redeant, ut Syſtolen & Diaſtolen univerſi perficiant: his igitur utrimq; prælibatis, videamus quid ſit ignis, & definitur eſſe ſecundum principium Hypoſtaticum corporum, *fluidum incorporeum, in quo potentia radicalis & ſeminaria omnis actionis, virtutis, ſcientiæ, & donorum, quæ in primævis Elementis erant, producendi, generandi, formandi, veſtiendi, exuendi, reſolvendi, ſalis & ſulphuris prima corpora Hypoſtatica, quæ latent: & mediante aëre tertio principio Hypoſtatico in actu explicatum, ut calores, odores, colores, ſapores, & ſimiles ſignaturas & imagines exemplaribus conſentaneas redderet.* Itaque calor cum ſit accidens, & ſignatura ignis vires non habeat, agere non poteſt, omnis enim actio à viribus, & vires ab eſſentia, & eſſentia eſt fœtus

Entis

Entis creati, & Ens est primum mixtum Metaphysicum, à fine & infinita potentia, per Ens increatum productum: sed cum hæc præsupponant præviam magis principiorum cognitionem, quam ut hoc in loco demonstrare liceat, recurrat Lector ad Caput septimum de Principiis, & ibi Fundamenta Principiorum Hypostaticorum inveniet.

## *Quid & quotuplex calor qui in febre sentitur?*

QUia vox calor diversis subjectis videtur esse æquivocum, operæ prætium erit, quid, & qualis calor sit, inquirere. Calor vel est substantia vel accidens: non substantia, nam substantiæ nihil contrarium, nec recipit magis aut minus, substantia nulli est accidens, calor contra: substantia hoc aliquid denotat, calor non, sed hoc quale non erit, igitur calor non est substantia: Philosophi ut sunt res contemplantur, & Medici si contra obgarriant, non sunt audiendi, quia res ipsa loquitur: ita quam parum certa & tuta sit febrium definitio, satis patet: unde igitur tot turpes contradictiones de calore & essentia febris, dum ad tot species caloris confugiunt? nonne plures species caloris agnoscunt, ut est calor nativus, & insitus, adventitius, cœlestis, naturalis, contra naturam, febrilis, pestilens? & dum inter se rixantur omnes medicinæ proceres, satis aperte videre licet, quam perperam febrium doctrina inde deducatur, & si ipso in limite tot sint incertitudines, quid in fine exspectandum? sed erroris hujus causa non aliunde quam à fallaci methodo & principiis Physicæ vulgaris, quibus maxima doctrinæ Physices confusio discentium animos destruit, nam si partes essentiales quibus res constant prius exponerent, ut facit Author noster per naturæ lumen & Syntheticam Methodum, quæ ab universalibus, primis, veris, ab uno Ente, essentia & vita progreditur in multitudinem unitati consortem; & si hac Methodo uterentur, cathedrales Philosophi, tunc tantam confusionem animis discentium non inducerent, dum à singularibus ad universalia per Analysin progrediuntur, & violentis imaginationibus ratiocinantur, quia sibi genera & differentias non in ipsa rei authopsia fundatas, sed sola authoritatis & imaginationis ope; & ex talibus libri acroaseos, de cœlo, de generatione & corruptione, & Meteoris componuntur. Et sicut utique inexpertis mediis utantur, sic undique super turpes errores fundamenta rerum naturalium construuntur, & ita sicut ex primis

primis & veris, causæ veræ conclusionis deducuntur, sic in falsis, nonnisi falsa depromuntur, fundamenta enim Elementaque Physices ex sola authopsia Chemica, quæ Analisim mixti docet, dependet, de qua si quis ignarus velit in rerum naturalium resolutione sese intrudere, oleum & operam utique perdet: de calore igitur ut quid de eo dici potest congruius, ex veterum Philosophorum methodo habeamus, recurrendum ad ea quæ hactenus à me sæpius dicta sunt de seminariis rationibus, & inveniet *primævum esse quendam calorem, cum luce primæva, spiritu, incorporeo corpore, univocum, in quibus scientia Mechanica affectuum labentium à causis suis incorporeis, & inde progredientia explicari, & in actum ex potentia reduci incipit*, & hic calor Catexochen ita vocatur, & huic calori frigus contrarium non habet, & in donis & scientiis hujus caloris, & omnium sui ordinis seminariarum rationum fundamenta temporum continentur, & quorum termini juxta leges rerum faciendarum, longè antea in causis definiti explicantur. Unicuique enim semini varia signaturarum mandata delegantur: quid autem sit signatura, satis supra dictum est, hoc tamen repetam, esse corporatus, calores, odores, sapores, figuras, caliditates, frigiditates, durities, asperitates, levitates, coagulationes, resolutiones, magnitudines: itaque calor hic seminarius est & non accidentarius: duplex enim est calor, unus ante corpora, & est incorporeum corpus, seminaria ratio, spiritus corporeus, & semina in se corporum, imo sanitatis & morborum in se habet, & omnem actum, essentiam, vires & virtutes, quæ per participationem radicalis suæ causæ habet, ad effectum producendum secum defert, juxta mandatum primi artificis, qui talem voluit fieri istum calorem, seu mandatum, qualem voluit & fieri mandavit: alter vero calor est accidens, & post corpora, & frigori oppositus, & tales sunt quatuor primæ qualitates, super quos quatuor humores, & febrem, imo & omnes morbos humani corporis constituunt vulgares Physici. Primus calor neque est plane substantia, & multo minus accidens, sed medium quid inter substantiam & accidēs: calor autem hic ulrimus post corpora est, & corpori adventitium, & ut unicuique semini tales signaturæ appropriantur, sic temporum prædestinationes & constitutiones, quales sunt silentii, ortus, maturitatis, senii imponuntur, virtute verbi explicantis, unitam multitudinem & singula locis, temporibus suis accomodantis. Tempus enim non aliud est quam progressio & fluxus seminum, ex orco vel Iliado in Rempub. Jovis, ut ait Author noster, à tenebris in lucem, ut loquitur Hippocrates in diæta, quocirca semina diversa, temporum quoque varierates ostenduut, & ignis naturam illustrant.

## *De Febris Natura, Generatione, & Incendio.*

CUm in febre principium quod nobis occurrit, ſit ardor , & immanis quædam caliditas, ut experientia monſtrat , à quo poſſit fieri ejuſmodi ardor, perveſtigare neceſſe eſt. In hac conſideratione duo inquirenda veniunt, quod nam ſit illud quod ardet , aut quænam ſit illa incendij materia, & quid ſit illud quod ardere facit: quotidiana experientia quæ per chemiam confirmatur , nos docet, res à duabus cauſis materialibus ardere , à materia quadam ad flammam apta, & ab alia ad uſtionem abſque flamma tendente , & utraque admoto agente ad ſubjecti ſui diſtinctionem tendit : quæ ad flammam apta eſt, ſulphurea eſt, & oleaginoſa : quæ ad uſtionem vero, ſal eſt, & hæc duo corpora Hypoſtatica ſuas proferunt diverſimode actiones : & prima, nempe ſulphurea agit, ſed rectius patitur , dum quia agens in ſulphure ſe ſe explicat vel per expreſſionem vel per admotionem flammæ è rebus ignitis , & tunc flammam ſibi ſemper habet comitem, & à flamma conſumitur. Vulgares Philoſophi ineptè ſulphureum hoc involucrum ignem vocant : exemplum expreſſionis ſunt ligna, ſunt metalla, dura & gravia, vi multa commota, ut trabes ſupra trabem vi protractæ, flammam incluſam explicant. Intereà unde venerat aut quo vadat illud quod ardere faciebat, nuſquam percipimus per admotionem flammæ: ardent etiam multa ſulphurea, ut cera, pix, terebenthina, ſed abſque flamma: quando ſunt incluſa in vaſe aliquo flammæ admoto, cum recipiente amplo, tunc depurantur ſulphurea, & ſeparantur ab omni heterogeneitate, ſive ſint ſpiritus , ſive ſal, ſive terra, ſive aqua , & in iſta depuratione effugit ſulphureum illud quod ardet, & tranſit in recipiens, vel ut rectius dicam, agens, exuit ſe abſque flammæ aut lucis manifeſtatione, ut alio involucro ſe ſe tradat: itaque fuga iſta aliter percipitur in vaſe aliquo clauſo, aliter in aperto, nam in aperto ſulphureum illud longè longèq; ſeſe diffundit, & per flammã, lucem, lumen, ſplendorẽ, & ardorẽ in ſe incluſos, ſeſe explicat, & ſenſus noſtros agente ſuo relicto ſolo odore afficit, & in duobus iſtis modis nec in aperto nec clauſo vaſe ſenſu ullo agens percipitur: eſt igitur agens illud quod ardet, incorporeum quid, & inſenſibile, ſed ardor eſt actio, & omnis actio à viribus, & vires ab eſſentia: igitur quod ardorem patitur, habet participationem eſſentiæ, ſub cujus poteſtate actum iſtum ardoris perficit : quod autem ardet, eſt corporeum non ſolum, ſed etiam corpus ſenſibile, & corpora non ſunt æterna , nec vera Entia, quia non à ſe, nec per ſe ſtant, ſed ſunt aliſtantia, ab eo nempe, quod

poteſtatem ſtandi ipſis impertire poteſt, & hoc quod poteſtatem iſtam proximè impertit, eſt ſubſtãtia ignis, quæ corpore incorporeo materiam ardori ſubjectam ſuſtinet, & actiones in illa perficit, ſeminariis ſuis rationibus, aut legibus ſimillimas, & tales ſunt illæ quas proxime ignis per participationẽ fluoris ſeu Mercurii habuit. Fluor autem ab Atomis, & Atomi per participationem omnium rationum ſeminariarum ſui ordinis, ad ſpacium referuntur in quo ſunt, & in quo actiones omnes in tempore perficiuntur, ut videre licet ex tabula ſphæræ Entium Radicalium: materia autem quæ abſque flamma ardet, eſt ſal, corpus quidem Hypoſtaticum, & ignis actioni aptiſſimum, & proximum ignis rei urentis involucrum, & inſtrumentum: urit igitur ſal, ſed abſque flamma, neque aperto aere eget, ut uſtionis actionem perficiat, ut uſtio iſta manifeſta eſt in calce viva, in multis lapidibus, & conchilibus calcinatis, in Mineralibus, in Animalibus; & omnia detergentia, ſicut ſunt ſapores, & omnia ſalia plantarum, ſale tali cauſtico ſcatent, cibus & potus etiam in materiam iſtam uſtibilem convertitur, & in ſanguine, carne, oſſibus copioſe deprehenditur: & quot ſunt in Mineralium, Animalium & Vegetabilium ordine diverſæ ſpecies, quæ pro nutrimento homini inſerviunt, tot ſunt in ejus corpore ſpecies ſalis & ſulphuris, quæ per vim ignis & aeris actiones illorum edunt, & ſignaturas caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis, ſaporum, odorum, colorum, præ ſe ferunt: non eſt igitur frigidum, calidum, humidum, & ſiccum, quod magnas facit mutationes, ut ait Hippocrates, ſed amarum, ſalſum, inſipidum omnigenum, quæ ſalis & ſulphuris præſentiam, tum ignis aut aeris actum in illis deſignant: à fluore igitur, igne & aere, ut Principiis Hypoſtaticis corporum, actiones proximè dependent, & deſcendunt ad ſalem & ſulphur corpora Hypoſtatica: at dixerit aliquis, materiam iſtam ardentem & flagrantem in corporibus viventibus non poſſe ita agere atque in vaſis chemicis, aut in experimentis noſtris vulgaribus: ſed reſpondeo, quamvis certum ſit nihil in corpore humano poſſe conflagrare ex materia inflammabili, (ut in caminis noſtris videtur, nempe cum luce, lumine aut ſplendore) propter abundantiam humiditatis, quæ flammam extinguit, aut propter defectum aperti aeris, qui actum ignis concomitatur, tamen quando matureſcunt ſpiritus ignei, hoc eſt quando ſuffecerint ſpiritibus Mechanicis Microcoſmi in diſtributione & aſſimilatione partium ſulphurearum & ſalinarum, quæ prius in alimento fuerant, & jam ad habitum corporis carneum feſtinant, ut per corporis poros, ad aerem & ignem principia illorum Hypoſtatica denuo poſt progreſſum ſe ſe convertant, quando etiam exaltati & à centro ad ſuperficiem corporis delati,

lati,

lati, parati ſint ad exitum , tunc per ſudores & inſenſibiles tranſpirationes tranſmittuntur ad aerem, imo ſingulis diebus pluſquam tertia pars alimenti, (quæ nihil niſi ſulphur eſt , & ſal volatile terræ & aquæ intermixta , & ab igne actuata) per continuam circulationem, à fixioribus partibus alimenti ſeparata per tranſpirationem ; & hanc ſagaciores Philoſophi ſenſu in exitu deprehendunt, & modo corpus ſit in obſcuro locatum , pars iſta ignea per ſcintillas , ut è crinibus juvenum quorundam pectine divaricatis emanens cernitur, itidem in crinibus equorum præcipuè rubrorum reverberato ſtrigillo contra crines ; in crinibus catorum, contra ordinem, manu velociter motis per poros tranſit, quæ portio ſi ab aliquo errore viam interceptam invenerit, exitum prohibens , tunc interiora viſcera repetit, & aditum ſuccedenti materiæ ſulphureæ prohibet, quæ non ſolum venas turgidas tenendo introitum novi alimenti à ſtomacho prohibet , ſed etiam acceptum alimentum à ventilatione prohibitum corrumpit, & inflammationem , ita per loquendi modum notatam, tam in minoribus quam majoribus vaſis illico inducit , quæ talis naturæ eſt , quales fuit ſulphur aut ſal in Alimento prius latitans, & ſive fixum, ſive volatile, & nitroſum, calorem & frigiditatem ſemper habet ſibi comitem, qui quidem cauſam proximam exprimere aliquo pacto poſſint, non autem veram eſſentiam: calor igitur ſignatura eſt tantum, ergo male per calorem poſt corpora definitur febris, ſed potius per talem & talem calorem : calor enim & ardor , qui à ſulphure & à ſale excitantur, ſunt prorſus diverſi , imo & ſulphurum & ſalium diverſæ ſunt ſpecies , & omnes iſtæ diverſitates in ſcientia ſeminum & proximarum rationum ſeminariarum continētur, qualis enim eſt fluor ſeu Mercurius in ordine Hypoſtaticorum principiorum, talis eſt ignis, talis aeris, & qualia ſunt principia Hypoſtatica, fluor, ignis & aer, talia ſunt prima corpora Hypoſtatica, ſal & ſulphur, & qualia prima, etiam ſecunda, terra & aqua, ſulphuri & ſali ſimilia. His igitur prælibatis, ad rem propius accedam, dicendo, in ſanguine ſicut in toto corpore duo eſſe corpora quæ ardorem aut calorem explicare poſſunt, unum merè ſulphureum , alterum ſalivum , ſive ſal, & utrumque habent pro agente ignem , ſubſtantiam ferè incorpoream & activam, & utrumque ignem velant , & in utroque ignis actiones diverſimode exercet. Sed qui hujus Philoſophiæ principia prius vel per contemptum, negligentiam, vel defectum occaſionis , non didicerit, ne ſperet tantæ lucis ſplendorem contemplari poſſe, niſi diſcat, proinde chemiam colat, aut ſi huic muneri i[illegible] videatur, authores Medicinæ & rei Metallicæ conſulat, & ſcie

quomodo ignis judicat, & probat omnia corpora, nam quidquid igni apponitur, vel expectat ignis vim, vel ab igne aufugit: si exspectet, dicetur corpus fixum, si effugiat, volatile: fixorum autem duo sunt corpora, quæ ignem exspectant, & velant, sal corpus activum, & terra, seu Arena, corpus passivum, utrumque ignis imago & simulachrum, & sicut virtus & facultas seminaria ignis sit lucere & urere, & lucere & urere sunt sensibiles, & corporeæ facultates, quarum apparationes implicitè quidem in igne proxima causa latent, sed per involucra sulphuris, lucem, splendorem, & lumen sensibus nostris explicantur, ita erit lux ab igne in arena aut vitro absque ustione, erit ardor & erosio in sale sine flamma, lux ergo, erosio & ardor erant implicitè in igne, & explicitè in sale, & sicut de fixis, sic de volatilibus dicendum: volatile dicitur quod effugit vim ignis, & inter corpora ista fugitiva erunt aqua & sulphur, involucra aeris, in quibus lux, lumen aut splendor qui in aere erant implicitè, in sulphure erunt explicitè, aer à sulphure vestitus inflammatur, & Phenomena lucis, splendoris & luminis præbet, sicut arena aut vitrum ab igne, & vitrum præbet igni corpus & involucrum solidum & diaphanum, sicut sulphur, sed lux quæ in sulphure est, caducum quid, & mortale est, quod in arena æternum & fixum: aqua simili modo & implicitè in aere, quod explicitè in seipso fuit, dat enim aqua aeri corpus fluidum & caducum, quod in Diaphono suo vitro est æternum: ita ignis & aer omnium involucrorum motores, rectores, & dictatores sunt per Mercurij seu fluoris vires, & quæ fluor igni, deinde aeri dederat, per participationem sali & sulphuri impertiunt, ut participatis: inferiora igitur sunt in superioribus per participationem passivam in activis, corpora in corporibus incorporeis, corpora incorporea in corporeis corporibus, incorporea corpora in incorporis & in incorpororum ordine, materia est in forma seu natura, natura in anima, anima in intellectu, intellectus in vita, vita in essentia, & essentia in Ente: inferiora sunt in superioribus, per modum causæ, sunt enim illorum fætus & effectus, & ita tenent aliquid de causa, & amittunt, tenent, quia venerant à causa, amittunt, quia cadunt à producente in altereitatem: ita corpora producuntur à spiritibus, & corpora rursus dissolvuntur in spiritus per familiaritatem & communionem causæ. Superiora omnia sunt participata inferiorum, & inferiora superiorum participantia, & superiora agunt in inferiora producendo, inferiora patiuntur dum dissolvuntur, aut convertuntur ad causas, & fiunt causæ, quæ omnia ad nauseam demonstrata sunt Proposit. 18. Articulo de vita. Jam ex prædictis innotuit in nobis

dupli-

duplicem esse substantiam ignis, corpus quod materiam incendij suppeditat, sulphur & sal, & hæc ostendere in corpore humano vivo non adeo erit difficile. Demonstratum fuit in doctrina Elementorum, quatuor esse Elementa concreta, quæ corpora sunt, sal & arena, proxima involucra ignis sulphur & aqua, proxima involucra aeris ex duobus primis, unũ activum, nempe sal, qui proximè ab Hypostatico principio igne dependet, alterum passivum, nempe arena, qui à mediante sale, corpore etiam activo dependent: sic sunt sulphur & aqua proxima involucra aeris, sulphur activum, qui proximè aeri adhæret, aqua passiva, quia non nisi mediante sulphure adhæret, & quia duo ista principia à primo & immediato fluore aut Mercurio dependent, debent ignis & aer, quatenus incorporei sunt, esse (quantum incorporea illorum natura permittit) involucra fluoris & Mercurij, & ut singula in æquilibrio ponantur, Mercurius à suorũ participantium incorporeorum, ignis & aeris natura, duo corpora accipiet, pro involucris mediatis, unum activum ab igne, & erit sal, alterum passivum ab aere, & erit aqua: proinde qui quærunt Mercurium, & eum non inveniunt, sed fluidum quid ex sale & aqua compositum, aut potius sali involutum credant (nudam enim, sine veste Dianam videre prohibitum est) falluntur, nec principia Physica intelligunt, incorporea enim nec incorpora non percipiuntur sensibus, nisi per involucra, itaque altiora quam quæ destillator chemicus Philosophari potest, Philosophum docentem proferre expetunt: Secunda involucra seu passiva sunt instrumenta involutorum. Mercurius igitur agit mediante igne & aere, in salem & sulphur, quem induunt, & sale & sulphure, ut activis utitur instrumentis, aqua & arena, ut passivis, & descendendo ad ultima corpora involvit se proximis suis participãtibus, & per ea agit progrediendo, & secum defert scientiam omnium participatorum ante se, & si omnia defert, seminarias rationes Elementorum seminariorum, à spatio ad Atomos, & omnia incorporea & radicalia Elementa, à materia Metaphysica ad vitam & essentiam: igitur scientia illa agentis petenda erit ab essentia, & per illius essentiæ participationem, essentiam particularibus præbet, per vitæ participationem, vitam, per intellectus participationem, intellectum, per animæ participationem, animam, per formæ participationem, formam, per materiæ primæ Physices participationem, materiam: pari ratione materia ascendendo exuit corpora, & fit spiritus incorporeus, relinquit incorporea atomorum corpora, lucem & calorem primævum & spatium, & ad spatium infinitum tendit, ubi sunt incorpora ad campum veritatis: his igitur leviter prælibatis, restat declarare unde sit calor, qui in animalibus deprehenditur: calorem autem hactenus duplicem

fuiſſe ſtatuimus, primævum quippe ante ordinem concretorum Elementorum, qui idem & inſeparabilis primævæ luci eſt, nempe Elemento incorporeo, ſeu rationi ſeminariæ, quæ ſcientiam, non ſolum ſuos fructus producendi, (ut ait author) habet, hoc eſt producendi corpora, ſed etiam incorporea corpora, & corpora incorporea poſt ſe. *Et hic calor primævus talis eſt, qualem agnovit Ariſtoteles, ſecundo de Generatione, & hunc dicit continere ſemen in ſe, cujusque fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe ipſum calorem, qui igneus minimè eſt, neque id generis facultatem aliquam æmulatur, ſed ſpiritus qui in ſemine (corpore ſiliquoſo intelligendum) ſpumanteque corpore coercentur, & natura quæ in eo eſt ſpiritu, proportione reſpondet Elemento ſtellarum, quamobrem ignis nullum generat animal, nec conſtitui quicquam denſis, vel ſiccis, aut humidis videtur: at vero ſolis calor & animalium non modo qui in ſemine continetur, verum etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à natura, tamen id quoque principium habet vitale: itaque dura, mollia, lenta, rigida, aſpera, levia, caloris & frigoris vi effici poſſunt.* Sed propria cujuſque ratio & eſſentia nequaquam ex Elementis emergit, & quis non videt hunc locum rudimenta multa habere conducentia ad notitiam hujus caloris & ſeminis primævi, qui calore Elementari antiquior eſt, & hunc calorem aſſimilat calori Solis & Animalium Ariſtoteles, & primus hic calor eſt ante Elementa & Elementorum concretorum participatum corpus & incorporeum: ſecundus vero eſt poſt concreta Elementa, & corporum accidens: primus eſt vivificans, ſecundus deſtructivus, & cum ille primus calor ſit in animalibus, quidni etiam in cibo quo utuntur Animalia, & ſi verum ſit illud Hippocratis, *Nutriri nos ex eadem materia ex qua conſtamus*, iſte calor eſt æquè in alimento, atque in animalibus, & ſi ita hoc fiet per rationem ſeminariam, & ratio ſeminaria iſta virtutem habet propagandi ſe in res propriæ ſpeciei, & in iſta propagatione dum agit calor ille ſeminalis, in rem ſuæ ſpeciei propagabilem multiplicatur calor, & calor ille facit effervescere res propagandas, & illa effervescentia agit in Elementis, & actio iſta facit bullire & effervescere materiam ſpirituum ſulphuris & ſalis in alimento contentorum, & aſſimulat in ſuam naturam, non ſecus atque ignis noſter culinarius ſpiritus ſulphuris, ſalis & Mercurij extrahit, & quoniam maxima pars cibi noſtri conſtat ex ſpiritibus nitri, ſulphuris & ſalis, natura ſagax & edocta, eaſdem in animalibus ſignaturas ſuæ naturæ oſtendit: in ſtomacho humano, ſpiritibus animalibus, ſubjecto, & eoſdem colores, fumos & exaltationes, albos, rubros, & flavos, per ſtomachum & hepar producit, eodem pacto atque ignis concretus pro ſpiritibus nitri tartari, aut aquarum fortium, qui primo fumos

albos

albos à spiritu vitrioli emittunt, deinde in progressu rubros, imo à sanguine humano, colore in nihil discrepantes, & ex tali substantia cibi & potus nostri assumpti, spiritus aquis fortibus fortiores & acriores in sanguine deprehenduntur, qui totum corpus ardere, corrodere, effervescere, & calore incendere poterant, nisi natura cum acribus istis spiritibus, ex alimento extractis, copiosam serosi & aquosi humoris debitam condituram præstaret, & temperaret & si ab usu calidorum alimentorum, ut piperatorum, salsorum, potus meracioris exaltaretur supra serum insipidum, spiritus acres, salsi & nitrosi & sulphurei, cum sero fermentantes, & inde effervescentias primo in stomacho, & vicinis partibus causantes, & deinde in venas & arterias se se diffundentes, calorem & incendium in toto habitu corporis adferunt, & affectum quem febrem vocamus producunt, cujus signatura inseparabilis est calor, talis qualis in dissolutione metallorum per aquas aut spiritus fortes, absque flammeo igne deprehendimus, & talis etiam est effervescentia qualis videtur in præcipitationibus quæ fiunt per additionem salium resolutorum in humido super spiritus aquæ fortis, aceti destillati, spiritus salis, spiritus sulphuris: talis etiam est effervescentia in dissolutione Antimonij, per spiritus aquæ fortis, ut retinere quisquam in manu vasculum absque periculo adustionis vix possit: ita fit magis aut minus in dissolutione omnium mineralium incendium, ut fit in spiritu sulphuris cum chalybe, argento in aqua forti, auri & antymonij in aqua Regia, imo etiam effervescentiæ similes fiunt in æstuatione spirituum fortium, ut spiritus aut oleum vitrioli cum oleo aut sale resoluto tartari. Nunc ex infinitis similibus exemplis, imo ex ipso vegetabilium ordine deductis, videndum & judicandum, num similis effervescentia, ardor, calor in corpore humano suscitari possit, illæsis partibus aut locis ubi talis actio in corpore humano fieri contingit. Ad actionem igitur in oleo vitrioli cum sale tartari redeundum, & considerandum quomodo modus operandi caloris & effervescentiæ multum immutet actionem rei, nam si simul actio ista perficeretur, ubi utriusque materiæ insignis portio infunderetur, certum est quod fieret insignis effervescentia & calor, imo major quam in olla bulliente super igne flammeo, & nisi vasculum esset decuplo amplius, ita effervesceret bulliendo, ut per orificium vasis quamvis altissimum esset, disperderetur: at vero si super eadem quantitate salis tartari, oleum vitrioli guttatim superfunderetur, fiet quidem calor & levis effervescentia, qualem viscera animalium sufferre possunt: simile quid in corpore humano experimur, prima enim vice qua assumitur cibus in stomachum,

non

non agunt ſpiritus Mechanici, ita in cibum à ſtomacho receptum, ut ſali ciborum ingeſtorum, in inſtanti ſe ſe jungent illi ſpiritus, qui certè ſunt de natura vitrioli, ſulphuris & nitri, aut ad minus ſulphuris, vitrioli, & nitri corpore corporeo veſtiuntur, & in ſimili ingeſtione ultra materiam effervescentiæ obnoxiam deſideratur aliquid quod actum in cibo & potu ſuſcitat, & in hoc caſu redeundum ad contemplationem duplicis materiæ effervescentium: ſulphura enim omnia niſi ſuſcitentur à flamma non acceduntur, & flamma quid, niſi ſcintilla extenſa? ſicut ſcintilla nihil niſi flamma contracta, & in ſcintilla illa eſt ſpiritus incorporeus ignis, qui cum per ſe vix incenſus cadere poſſit, quis inſenſibilem & Atomicam in ſuo ſubjecto contenti ignis parvitatem exprimere poſſit, tamen virtus ſeminaria unius Atomi mille mundos ſulphureos accendere poteſt, non convertendo ſulphur in ignem, ſed ex potentia ſeminaria ignis latentis in ſcintilla, totum ſulphur in actum igneum adducere poteſt, ſed talis accenſio ſulphurea, propter rationes à me hactenus allatas, in corpore humano fieri nequit: quid ergo? unde calor & ardor febrilis? nam in hoc latet cardo actionis febrilium calorum, ſi non ex ſulphure, igitur à ſale, & rectè: ſed primo aliquid de ſale dicam, rediturus brevi ad ſulphur. Certum eſt & quotidiana laborum chemicorum experientia comprobatum, ſalia Elementaria eodem pacto è potentia in actum adduci affuſione aquæ, ſicut ſulphura adjectione flammæ: teſtis eſt aqua calcis vivæ, & ſali tartari affuſa, ſed quid eſt aqua? certè qui ejus Anatomiam intimius examinare voluerit, inveniet eſſe ſalem volatilem, & ſalem eſſe aquam fixam, ſed ante volatile fuit fixum, quemadmodum ſe ſtans ante aliſtans, ut dictum eſt ſupra, & poſteriora eſſe in prioribus per participationem: aqua igitur per participationem ſalis habet etiam participationem ignis, & ignis qui eſt in ſale actu, potentiam aquæ in actum deducit, mediante ſale: niſi igitur prius fuiſſet calor ſalis in aqua; ſal in actum aquam nunquam adduxiſſet. Jam applicetur experientia hæc calori animalium: animalia multum humidi, ſeroſi & aquei in ſe habent, & ultra quantitatem inſignem, quam animalia ex alimento ſingulis diebus attrahunt, habent etiam maximam in propriis corporibus, ita niſi nimis accreverit ſalis & humidi proportio moderata, fit actio inter ſalem & humidum moderata: quod ſi vero ſalſis ut ſupercalefacientibus, & humidis minus humectantibus nimium uſum fuerit animal, fervorem, ardorem & effervescentiam ſupra modum, & omnium febrium ſignaturas, certiſſimas experietur: ſed quid in hoc caſu effervescentiæ facit ſulphur? an non mors erit? non certè, nam quemadmodum ſulphur eget ſcintilla extra corpus animalium, ut inflammetur mediante aere, ſic ſal vicem ſcintillæ

in

in animali, mediante aqua supplet, & sulphurea quamvis calori suo non accedant, quia scintilla sulphuris in animali propter aeris defectum inflammare nequit, à calore salis tamen calefit, sublimatur, & ad exteriora pellitur: itaque si quis sulphureis usus fuerit supra modum alimentis, eodem pacto per totum corpus calorem & ardorem patietur, non secus quam vasa, quæ pro destillatione vini generosi, cinamonij, cariophillorum & similium aromatum destinantur, quando per tabulas aeneas, quæ in aqua frigida transmittuntur, in nitro ubi sulphur copiosum ascendit, multo sale permixtum, tribulæ illæ quamvis longè à vase ubi ignis supponitur distent, tamen tam insigni calore afficiuntur, ut nullus in ipsa aqua frigida manum tabulæ absque destructione admovere audeat: salis igitur vis istam sublimationem facit, & sulphur in actum prodit, sicut sal & aqua calorem, est enim sal productivum sulphuris, sicut omnium corporum volatilium: & volatilia omnia nonne à fixis originem deducunt, & simile aliquid à fixis deducunt? sal fluit in igne flammeo, aqua fluit in aere liquido, arena fluit in igne flammeo, sulphur inflammatur in aereo igne, arena ab igne habet diaphanicam lucem, sulphur habet ab aere ignis producto, fluidam flammam & lucis extensionem, & ita corpora passiva, arena & aqua, fiunt à corporibus Hypostaticis, aqua videlicet à sale, & sulphur ab arena, & arena est sulphur fixum, sulphur est arena volatilis, aer est ignis volatilis, ignis aer fixus, & tam fixa quàm volatilia incorporea quam corpora, fluoris seu Mercurij soboles sunt, & propter ipsum omnia fluunt, penetrant, & in actum reducuntur, & Hypostaticorum principiorum sedes totum finitum spatium implet: sunt enim incorporea corpora, aere excepto, qui est corpus incorporeum & solida corpora non penetrat, quia proximè corporis naturam æmulatur: sulphur & sal, terra & aqua, ut creditur, non nisi unum globum faciunt, & unumquodque suam Regionem occupat, nam de terra & aqua patet omnibus, qui vero de Regione sulphuris dubitant, operarios carbonum fossilium tot infinitis in locis degentes interrogent, & dicent se nunquam ad fundum ubi effodiuntur pervenisse, sed ab aqua semper interceptos. Qui de salis Regione itidem dubitat, Polonos, Masovitas, & multos alios septentrionalium Regionum incolas interrogent, & discent ibi esse quasi Maria integra sale congelata, ad centum leucas usque extensa, & ad centrum usque terræ continuata: interea non ignoro cathedrales Philosophos de corporum Principiis alio modo philosophari, & contendere, hæc nostra nimis esse sensibilia, experientia potius quam ratiocinio comprehensa, non decere cathedralem

Philosophum ad palpabilem demonstrationem descendere, resolutiones, dissolutiones, exaltationes, coagulationes, & consimiles operationes lustrare. Sed ad se redeant & contemplentur, nam satius sit scire aliquid ipsa inspectione, & res ipsas consulere, quam scientiam Physicam, super alienam, ineptam, & puerilem authoritatem construere: quæ dementia est fidere experimentis multis Aristotelicis quæ reperiuntur in libris meteororum, quorum nec unum quidem examini sensuum quadrat? quid igitur mirum si non satis sensati sint ejus discipuli, nam experimenta sensuum prorsus aut rejiciunt, aut ruditer aut ineptè recensent, nec video quod pro actionibus intellectus magis sint perspicaces, nam sensus in præsidio intellectus excubant, & sensibile deferunt ad intellectum, sicut Dea Adrastea, justitiæ & veritatis Dea, quæ neminem ad veritatis campum nisi Diis genitos ascendere permittit: itaque qui velit sensibile ad intellectus amussim judicare absque sensibilium exacto examine, idem faciet atque ille qui oculum sine colore, tactum sine corpore, nares sine odore, aures sine auditu, gustus sine sapore posse judicare contendit, intellectus enim non operatur ubi sensus deficiunt, imo & sensus suas habent affinitates cum intellectu, nam sicut sunt intelligibilia ad intellectum, sic sunt sensibilia ad sensus, imo & uterque suos habent gradus affinitatis: sensus enim & sensibilia ascendunt, & exaltantur in conversione ad primas causas, per haustus ab intellectu progrediente, usque ad sensibilia, rationes denuo intellectus, etiam & intelligibile, pari ratione progredientes à causa descendunt ad sensus, & sensibiles effectus contemplantur, quos probant aut improbant: sensus & sensibile sunt fætus intellectus & intelligibilium. Intellectus & intelligibile est productor sensuum & sensibilium, intellectus & intelligibile circa universalium rerum causas versantur, & scientiam pariunt: sensus & sensibilia circa particularium rerum affectiones versantur, & artem pariunt: itaque qui contentionibus & rixis impensè delectantur, materiam, formam & privationem mordicus tutantur, & eo usque donec cum ratione insaniant: at si nostris experientiis fideli ratione fundatis uti noluerint, ut ad contentiones solitas & incertas Chimeras confugiant, per me licebit.

De

## *De tempore ortus & occasus Seminum Morbificorum, & particulariter Febrium.*

NIsi quis prius quæ in doctrina capitis quinti de Elementis Radicalibus capitis sexti de seminibus, de usu partium, capitis 12. de morborum generatione & de locis & temporibus morborum apprime versatus fuerit, frustra in doctrina febrium ulterius progredi debet: supposita igitur prævia præcedentium cognitione, dicit author noster, fundamenta temporum in donis & scientiis seminum contineri: prius enim dictum est Capite IX. scientiarum distinctionē sequi radicum vel Principiorum vitalium naturam, quam unitatem rectè vocat author, nam quamvis in septem ordines distinguantur, tamen in una radice & centro omnes uniuntur, & sine confusione proprietates illæsas custodiunt, & ad ordinem seminariarum rationum transmittunt: talis igitur qualis fuit illa scientia, à radicibus ipsis vitalibus diffusa, talis debent fieri dona vitalia, loca & tempora diversarum plurimarumque partium inde producendarum, prædestinationibus suffectura; & ita ut unicuique semini colorum, saporum, figurarum, magnitudinis, incorporaturæ leges existunt, ita quoque temporum prædestinationes, silentij, ortus, maturitatis & senij varietates demonstrantur: ita vegetabilia omnia certis temporibus germinant. Quocirca ostendunt Mineralium & Metallorum tempora, quia ex radicibus procedunt invisibilibus, quæ paucis comperta sunt, tarditate & varietate, difficultatem augente. In his omnibus duplicia tempora observare licet, digestionum vel maturitatum, & resolutionum. Differunt enim inter se plurimum, nec omnia quæ tarda habent digestionum tempora, tardas quoque fructuum resolutiones ostendunt. Digestionum tempora in omnibus continua sunt, Resolutionum vero in multis interrupta: metalla longa habent digestionum tempora, seculorum enim terminis plenilunia describunt, resolutionum deinde tempora continua quidem sed tarda adjungunt: mineralium digestiones breviores sunt, resolutiones vero ut plurimum interruptæ, ut in Thermis certis anni temporibus effervescentibus, & similibus salium radicibus apparet: vegetabilia digestionum tempora annua, menstrua, semestria, trimestia, obtinent. Resolutiones deinde continuas, vel interruptas, citas vel tardas demonstrant. Digestionum quippe temporibus soboles fæcunditatem, fœtuum numerum, resolutionum repeti-

petitiones & durationes decernunt, & consilia ineunt futuræ progressionis, ita prædestinatione accepta, mirabili desiderio ad officia & terminos festinant. In arborum resolutionibus continuitas major apparet. Hæc temporum rudimenta, si ad Anatomiam humanam debitè accommodentur, sanitatis & morborum periodos, paroxismorum circuitus, silentia, plenilunia, decrescentias, crises, & decretoriorum dierum rationes magna facilitate demonstrabunt, multisque difficultatibus & obscuritatibus sublatis à Pithagoricorum numerorum injustis usuris è Melancholiæ & humorum phantasticis mixtionibus, à mensis medicinalis laboriosa computatione, ab excrementorum Geometricis fluxionibus, & expultricis facultatis otiosæ patientia, nos excusabunt. Qui morbi in alimentis semina habent, sive inferioris globi, sive superioris, institutionum leges imitantur, & digesta temporum citius absolvunt, locorum quoque & agrorum diversitates tempora digestionum variant. Citius enim fermentantur & ad effervescentias promoventur, quæ in ventriculi anatomia inseruntur morborum semina, quam quæ in hepatis, renum, synoviæ, sanguinis & similium partium Elementis recipiuntur, servata tamen seminum Analogia, citius enim febrilia semina in rerum Anatomia implantata, ad germinationes venient, quam colicæ tincturæ in intestinis vel ventriculo, & in ventriculo citius tertianarum radices quam quartanarum digestiones absolvent. Ita Ephemeræ febres, id est acreæ, velocius ascendent, fermentatione peracta, quam hecticæ, vel igneæ, & quia in febribus tempora digestionum & resolutionum manifestissima sunt, & circuitus Paroxismorum constantes, consideratione dignum est, qua ratione regionum, ætatum, sexuum, alimentorum, consuetudinum, neglecto discrimine, quartani, tertiani & quotidiani circuitus maneant perpetui & constantes: semina tandem & impuritates febriles sulphureæque hitrositates in omnibus alimentis copiosissimæ inveniuntur, in vino, pane, leguminibus, carnibus, piscibus, oleribus, fructibus, &c. Atque sic causas frequentis & communis calamitatis febrium inveniemus. Ex his patet, quæ possint esse non modo febrium, sed & omnium morborum tempora, & eorum causæ, motus febrium, earum loca, magnitudo, & consimilia: febribus communia pari passu dignoscuntur; verum enimvero, quia inassuetum iter suscepimus, his paucis contenti sumus, nec parum existimamus, certiorem & tutiorem nepotibus viam præmonstrasse: loca, moles, magnitudo & similes febrium affectiones eodem colle incedunt, at ut ipsa ex arte exponantur, longum tempus requiritur, & integris voluminibus vix possunt absolvi, sed partim data occasione singula lustrabimus.

De

## De sede Febris.

QUamvis pro febrium sede & loco totum corpus intelligere possumus, sunt tamen loca peculiaria in quibus generantur, & per tempora delitescunt: ita Ephemeræ dicuntur hospitari in spiritibus, putridæ in humoribus, & hecticæ in habitu corporis: sed alia sunt habitacula & Elementa peculiaria, & matrices, & agri, quales sunt venæ & arteriæ, & singula loca in quibus coctiones fiunt, & in istis omnibus locis rationes seminales morborum adesse concipiuntur. Sic quot sunt in corpore loca, ubi coctiones & separationes fiunt, quot Matrices & Elementa proprietatibus seminum insignita, tot sunt febrium loca: sic febres omnes continuæ, tertianæ, quartanæ, quotidianæ, spuriæ, erraticæ, hecticæ, in ventriculo, intestinis, liene, hepate, renibus, mensenterio, sedes & fomites habere possunt, & hæc locorum cognitio, multum facit ad curationem, nam ubi sedem habet in ventriculo, facili negotio per vomitum expellitur, si in hepate, per specificum febrile jecorarium, si in liene, renibus, intestinis, per propria arcana: ejusmodi locorum cognitio peculiaribus indiciis & propriis signaturis ex singularum partium Anatomia depromptis habetur.

## De Putredine.

DUæ circa Putredinis naturam alterationes considerandæ veniunt, quæ sunt generatio & corruptio: generatio, quæ est progressio generati ab Ente ad Entis imaginem, hoc est ab incorporo ad corpus, vulgo dicitur vivifica, & in se vivens, quia in ista alteratione explicatur vita per progressum causati à causa, quæ prius in Essentia sua implicata, ut proxima sua causa latebat, ubique lucem, vitales & stabiles rei faciendæ rationes contemplans, & inde in effectum progrediens tenebras pro luce, exemplata pro exemplis, & corporeitates ut mensuras omnium rationum exemplarium induit, ut causæ suæ proximæ satisfieret, & individuum speciei, & speciem generi suo specifico similem produceret. Corruptio autem generationi opposita est, & est conversio causati ad causam, imaginis Entis ad Ens, corporis ad incorporum, & vulgo dicitur alteratio cadaverosa, quia in ista alteratione, vita, quæ prius specifico corpore induebatur, nunc relictis

lictis tenebrofis hifce corporum carceribus & imaginibus Entium, ad lu-
cem & rationes fuæ caufæ per converfionem feftinat; legantur de his Hip-
pocrates de Diæta, & ea quæ à me hactenus demonftrata fuere Propofit.
18. Articulo de Vita in Commentariis fuper Authorem: quicquid in con-
trarium cenfent vulgares Philofophi, non moramur, modo ne quis hîc
neglectis principiis à me propofitis, & præfertim Propofitione 18. Articuli
de Vita, cum larvis & umbris me litem velle facere exfpectet: igitur præli-
bata brevi generationis & corruptionis natura, dicam generationem, fed
præcipue corruptionem, explicare abunde naturam putredinis, nam ficut
generatio præfupponit genitorem, fic corruptio genitum, & ficut genitor
Prolem generationis prius in fe fimilem abfque fuæ effentiæ mutatione,
quam extra fe, prolem genitori diffimilem cum aliqua fuæ effentiæ deperdi-
tione relinquit, per Propofit. 4. Articuli de Vita, fic genitum viceverfa in
quantum à præftantia æternitatis fuæ caufæ, quæ femper eft in caufatum,
quod aliquando eft, progreditur à diffimilitudine caufati, extra caufam, in
fimilitudinem quæ fuit in caufa convertitur. Et in ifta converfione diffimi-
litudo caufati, quam per progreffum à caufa per gradus induerat, conver-
tendo fe ad caufam, rurfus exuit, & ifte deveftitus feu exuitio, corruptio
vocatur, & corruptio quid aliud quam compaginis corporeæ, per genitoris
defertionem cõtractæ diffolutio? & illius corruptæ compaginis minutiffima
corpora à feminario atomorum contracta, materiam putrefactioni fuppe-
ditant, & ficut defertio genitoris, quæ vita fuit, genitum corruptioni &
quafi pro excremento reliquit, fic in putredine defectus falis & abundantia
fæculenti fulphuris in animalibus putredinem cadaverofam induunt: dico
defectum falis, quia in vivente animali anima defectum falis fupplebat, &
motu fuo falis actionem fufcitabat, contabefcenti nunc vero animali aut
mortuo, fal quafi corporea vita aut anima, vitæ etiam prioris fcintillas in
fe habens, cum fufficiens non fit ad confervandum individuum, à cadaverofa
putredine, beftias varias, vermes, infectaque varia fœcunditate hypoftaticæ
fuæ naturæ producit, & fic quod in fuperflua fua quantitate confervare po-
tuerat, in mortuo per temporis continuitatem, hoc eft per temporis & vi-
tæ fucceffionem in vivente poffe præftare teftatur: & hac ratione fulta Peri-
pateticorum Philofophia credit iftam alterationem fieri per corruptionem
fubftantiæ producentis, unde dicunt generationem unius, nempe producti,
ut pofterioris, effe corruptionem alterius, nempè producentis, ut prioris, fed
ex Authoris noftri Philofophiæ Principiis, *præftantius remanet femper pro-
ducens.*

*ducens producto*, juxta Proposit. 3. Articuli de Ente. Nam producens nunquam mutatur in deterius, est enim stabile, fœcundum, radicale & immobile principium, quod propter productionem in se & progressionem quam extra se facit, nunquam mutat naturam; neque potest, cum suo pabulo nutriatur, & per conversionem in se redit. Unde *omnis vita prolem penes seipsam producit potius, quam seorsim, & quo præstantior est gignens vita, eo & nobiliorem & producenti similiorem post se relinquit fœtum*, non est igitur generatio, nec productio progressus à non Ente quod fuerat, ad Ens, quod non adhuc fuit, sed viceversa generatio est progressa à veris & Radicalibus Entibus, ad Entium imagines, super qua re videatur Proposit. 18. Articuli de Vita, non igitur corrumpi potest producens, neque productum, sed capsula, involucrum, indumentum, & siliquæ productorum, & siliquæ istæ sunt corpora concreta, & quando induuntur vestiunt primo incorpora Elementa, & incorporea corpora, & corpora incorporea, & tandem corpora Hypostatica, salem & sulphur, quæ per progressionem induuntur, & ultimo corpora concreta passiva, arena & aqua, & quando exuuntur hæc involucra tam incorporea quam corpora, per conversionem causatarum, sive productorum ad causam, tunc derelicta ista corpora quasi navis absque nauclero naufragium exspectans, in cariem & putredinem cadaverosam convertuntur, quæ juxta indolem primarum formarum, quarum imagines adhuc gerunt, in varias species putrescentium resolvuntur, & illarum formarum imagines sunt corpora Hypostatica, sal & sulphur, quæ activorum principiorum vires in corpora concreta, terram & aquam exercent, & novam formam suscitant, quæ juxta naturam locorum varias putredinis species inducit; nam in viventibus si sulphur prævaluerit, relictis istis corporibus inserviet sulphuri sal, & sulphur prædominabitur, & ita vel verminosam putredinem in febribus suscitabit, ut in febribus Epidemicis, unde stomachus & intestina destruentur, vel escarothicam putredinem propter sulphuris dominium, quod salem exaltavit, volatilisavit, & acrem, arsenicalem, napellosam, & aconitosam reddidit, vel reseratam, quæ ab impedita transpiratione exitum pro refrigerio fuliginosarum partium corporis præbere debet, sive illa à nimia crassitie sulphurearum partium, sive respiratione pororum, ab aliquo externo errore eveniat, unde per magnorum vasorum continuatam Pletoram nova generatur putredo, ab alimento assumpto, quod cum distributionem non accipiat, novam putredinis materiam jugiter contribuit, exantemataque rubra, & purpurea per totam circumferen-

tiam corporis diffundit. Est etiam alia putredo escarotica, quæ particularis est alicui parti corporis, & hæc fit à discretione calidi seminarii, tum corporis salis, (ejus imagine) & talis putredo accidit aut magnis abscessibus Phlegmoneoidatibus, quæ veniunt ab intemperie aliqua viscerum, aut antracibus, aut bubone pestilentiali: alia etiam est putredo cadaverosa, qualis fit in pure, aut cadaveribus mortuorum animalium, propter vitam animalis (quod salis est exemplum) privationem: alia etiam est putredo siliquarum germinis, & talis est de qua Salvator noster in Euangelio mentionem facit, dum granum quod terræ committetur, debere putrefieri affirmat, ut iterum germinet, tacitè mysterium Resurrectionis insinuans nobis: sic granum terræ commissum, putrescit, resolvitur, perit, radicalis tamen humiditas & germen servantur, in qua totius seminis Anatomia, & potestas viget, novaque revolutione in mundum progreditur, & novum corpus sibi fabricat, officiis prædestinatis accomodatum: alia est etiam putredo, quæ dici potest putredo vivificationis, & hæc putredo solis vegetabilibus est propria, & fit per putrefactionem plantarum vel seminum in humido, inde enim siliquæ seminum sale copioso scatentes, spongiosæ redduntur, ut facilius à sulphureis partibus separari possint: salis enim officium est effervescere ab aqua, & sulphur tenue in viscoso semine separare, unde sulphur illud specificum quod prius fuit sulphur, sive oleum mixti specificum, fit universale sulphur per putrefactionem & vivificum; & tale est illud quod ex vino hydromelitæ, pomatio, pyratio, cervisia, & quæ ex omnibus seminibus siliquatis, radicibus, foliis, & caulibus plantarum per fermentationem extrahitur. Imo talis fit fermentatio in putredine pustulosa, & escariotica malignarum supra commemoratarum febrium, nisi quod hæc ab illa differat, quæ fit ab arte ratione substantiæ fermentatæ, nam illa quæ ab arte per vasa vitrea elicitur, beneficio ignis, est substantia inflammabilis; illa vero quæ per poros singulis momentis transmittitur, est substantia incorporea, sed ignea prorsus & exaltata, & sensibus extra corpus, nisi ab effectu hoc fiat, imperceptibilis. Et omnes istæ species corruptionis & putredinis eveniunt à defectu ejus, quod putredinem arcere & impedire potest: illud autem est in triplici conditione, primo recessu vitæ, à qua omnia corpora conservantur, & hæc omnium incorporeorum & corporum causa exemplaris & radicalis est, & ejus totalis defectus mortem inducit: secundo caloris primævi, vel salis seminarii per conversionem ad causam diminutione, & hic vivente animali, propter na-

turæ errores, debilitatur, & à ſua actione divertitur, inde variæ putredinis ſpecies fiunt juxta membra, in quibus defectus illi vigent: tertia ſpecies eſt vel à ſuperabundantia ſalis, qui vitæ, & caloris nativi vicarius eſt, & corpus. Si enim quantitate & exaltatione vires & quantitatem ſulphuris ſuperaverit, effervеſcentias in minoribus & majoribus vaſis producit volatile ſulphur circumferentiam (calore ſublimatam) petens. Dum è corpore exitum quærit, vel propter ſulphuris craſſitiem, à nitroſo ſale coagulatam, & propter occluſionem pororum prohibetur, tunc per interiora viſcera corporis diſpergitur, ubi ebullitione ſæviens, inquietudines, juges vigilias, lipothymias, ephidroſes, & reliqua ſymptomata, quæ putridas febres concomitari ſolent, cum ſumma virium deperditione, exercent: & ut melius intelligatur natura putredinis, etiam natura trium præcedentium vitarum, quæ putredinem impediunt, intelligenda erit: quid autem ſit prima, ſatis amplè ſupra Articulo de Vita explicabatur, ubi ſciendum, aliud eſſe ſal ſeminarium, aliud ſal corpus concretum: ſal ſeminarium eſt incorporeum corpus, ut videtur in Tabula Entium Radicalium, participans de ſplendore & de luce primævis, in ſpatio finito præexiſtentibus. Et calor primævus nominatur, & vinculum eſt incorpororum unde venerat, & corporis quod producit, fovet, componit, induit, & in quo negotiatur, & negotiatione peracta denuo in ſpiritus unde venerat redit, & animam viventem in actione concomitatur, & animæ intelligentis proximum eſt inſtrumentum: & ſal hoc ſeminarium ab Ariſt. 2. de Generatione ſub nomine caloris agnoſcitur, & ait, *continere in ſe ſemen cujuſque rei fœcunditatis cauſam, nempe ipſum calorem*, ut diſtinguat inter calorem ipſum, qui ſubſtantia & ſpiritus eſt, & calore accidens, qui non eſt ipſe calor; nec non inter calorem ante corpora, quem ſpiritum vocat, & rectè: eſt enim ſpiritus & corpus: ſpiritus, quia incorporeus eſt, & incorpororum unde venerat notiones & rationes implicat; corpus quia incorporeum exemplares menſuras explicat, & in ſalem corpus progrediendo determinat, *& naturam iſtam in ſpiritu illo repertam*, ait, *Elemento ſtellarum*, hoc eſt incorpororum ſeſtantium, firmorum & ſtabilium Elementorum dictaminibus reſpondere, & ſal hoc in viventibus ſeminarium eſt, ſpirituoſum & activum, & per ejus præſentiam occulta prius in cauſis, latentia explicantur in cauſatis, & iſta explicatio non fit niſi corporum adminiculo, & productio illius corporis dici poteſt generatio, ſicut deſtructio rectè corruptio dici poteſt; & producti hujus quantitas qualitatibus & menſuris tacitis

producentis, qui tactu respondere debet: sal igitur seminarius seu spiritus ille incorporeus omnium corporum opifex, morborum & sanitatis causa est, & ab eo uniuscujusque rei creatæ vis & energia dependet, & hic spiritus aut sal, modo in foliis, seminibus, siliquatis fructibus, radicibus, caulibus, consistit, & horum spirituum adminiculo conservatur hieme rosa, & singulis annis renovatur, & tam diu durat quam diu spiritus in ipsa latet, nec solum plantæ hoc spiritu donatæ sunt, sed & omnia alia corpora, nullum enim corpus sine proprio suo spiritu, quem in se occultè habet, & ille occultus spiritus vitam & omnia priora sibi per participationem vitæ habet, & ut spiritus vita est per participationem vitæ, ita corpus mors est, quia ultimum generationum terminum claudit: sed cum nullum sit corpus quod à spiritu productum proximè non sese agnoscit, sic omne productum retinet à productore simile aliquid productori, & dissimile juxta Propositionem 4. Articuli de Vita, & per simile agit producens, & per dssimile patitur productum, & finis agentis est assimilare sibi passivum: sed cum propter debilitatem agentis, totum assimilari actui non possit, reiteratis actibus, loco spirituum incorporeorum conversorum ad causam, corpora Hypostatica sal & sulphur, spiritibus istis analoga producuntur, & generatio horum corporum priori & incorporo opponitur: hæc enim caduca momentanea & alistantia sunt, incorpora illa vero], æterna & sestantia: & materia hæc corporum ex conversione producentium spirituum & agentium relicta, quamvis excrementum & quid diversum sit à producente, tamen illud quoque principium aliquid habet vitale, nempe corpora ipsa Hypostatica, & tale excrementum recognovit ipse Peripatus Aristoteles secundo de Generatione. *Quamobrem*, inquit, *ignis nullum animal generat, neque constitui quicquam densis, vel siccis, vel humidis videtur: at vero Solis calor & animalium, non modo qui in semine continetur, verum etiam si quid excrementi fit, quanquam à natura diversum, tamen id quoque principium vitale habet.* Et hujus corporis Misteria seu excrementum quamvis inepta sint pro conversione, quia habuit separatam essentiam à corpore, per Propositionem 22. Articuli de Vita, tamen propter productoris similitudinem, benigna felicioris naturæ, interni Solis, Mumiæ & Balsami permistione frui censetur; & sal per corpus suum est semper corrosivum, & corrosione sua omnia corpora viva accendit, & ejus imago & signatura calor est, & accidens, & ita viventia animalia, si in alimento plus quam sufficit acceperint de isto sale, effervescit sanguis, & humores

mores

mores bulliunt, & salem seminarium progressum à causa ad causatum, denuo convertere se ad causam invitant: igitur sal semen, animæ intelligentis & cæterorum radicalium Elementorum fætus est, ut sal corpus salis seminarij; & ut sal semen conservatur à præsentia suæ causæ, & omnia corpora secum ad destructionem rapit, & ut productori suo similis videatur, quod in vivis corporibus facere non potuerat, in mortuis præstare videtur, sal enim corpus mortua corpora à putredine conservat, sicut sal semen corpora viva à putredine defendit: igitur ex prædictis sequetur putredinem ex salis seminarij conversione ad causam in vivente provenire, unde corpus cum non habeat quo se sustineat, causa stabilitatis suæ ablata, cadit & putredini relinquitur.

## *De Indicationibus Galenicorum juxta Aristotelis fundamenta, & Chemicorum juxta Severinum Danum.*

TAm intricata & controversa est indicationum doctrina apud Galenicos, ut utri parti standum esset inter ipsos incertum non sit: itaque cum novissimi methodorum scriptores, istam medicinæ partem defædarunt, dum lectorum mentes subtili quadam dicacitate deludere, & affectata garrulirate, intellectus aciem ita perstringere videantur, ut non secus facere videantur, atque illi circulatores qui in Plateis Plebem verbis ludicris, aut novis illecebris, aut insueta manuum velocitate populo objectis, visus decipere solent; sic ita inter hodiernos, de ipsis primis medicinæ fundamentis, ita controvertitur, ut merito quid sit sequēdum non parvus cogitandi imo forsan relinquendi detur locus: hinc fit ut quam plurimi hodie relictis fundamentis Peripateticis (unde Galenus sua deprompsit) penitus in chemicorum, sed præcipuè authoris hujus doctrinam introspicientes conentur ad unum indicatum, nempe calorem humidum primævum spiritu seminario, & calore vitali præfusum, omnes indicationes non ad vanas & inextricabiles propositiones, sed ad indelebilem veritatis constitutionem dirigere solent, in qua sine verborum strepitu, sine rixis & contentionibus Logicis, singula Medicis adaperta erunt, placebit tamen prius communem medendi viam præluftrare, & ob oculos candidatorum utramque methodum afferre, ut contraria juxta se posita melius elucescant, ut unicuique liberum fiat unum sive alterum amplecti.

## *De Indicatione Galenica.*

SIcut notum eſt tres eſſe indicationes primas; conſervare, fovere, & curare, ſic triplex debet eſſe Medici officium, ſanos conſervare, ſanos fovere, ægros à morte liberare, & iſtarum operationum cauſa efficiens ars eſt, & natura: finis Medicinæ eſt ſanitatis acquiſiti, oſcopus eſt ipſa intẽtio, & ſunt ſeptem. 1. quid agendum? an alterandum, evacuandum? reficiendum? 2. quibus remediis? an refrigerantibus, bilem evacuantibus? an ſolidis? an liquidis? 3. quantum, an parum an multum? 4. quomodo? an ſenſim? an continuatim? 5. quo tempore? an initio an in fine faciendum. 6. quo ordine? quid primo quid ſecundo? 7. locus & via agendi: & qui facultatem habet hos ſcopos conſequendi, perfectus judicatur Medicus, & ex his ſcopis ſeu intentionibus ſequitur indicatio: eſt autem indicatio, inſinuatio agendi conſequentis ex præcedente deſignato, ut Petrus fabricitat, ergo eſt refrigerandus: vel aliter eſt indicatio, comprehenſio juvantis, comprehenſione illius cui conferre debet, & eſt Gal. c. 2. l. 2. Meth. medendi. In indicatione duo conſiderantur, indicans & eſt morbus, & indicatum remedium, ex indicante indicatum cognoſcitur, eſt enim indicans unde ſumitur indicatio. Omne enim. quod ſecundum aut præter naturã intellectui manifeſtum eſt, ducens ad rei juvantis comprehenſionem indicans eſt, indicatum vero eſt ipſum juvans, hoc juvans ex natura indicantis ſeu morbi colligitur, nam juſtam habere ad ſuum indicans proportionem debet, unde percepta natura indicantis, an ſecundum an præter naturam ſit, facilè erit abſque ulla obſervatione ſeu ratiocinatione ſimul percipere utile indicatum, idque ductu duorum principiorum, nempe quod præter naturam ſui oblationem, quod ſecundum naturam ſui conſervationem expetit: quæ præter naturam ſunt, reducuntur ad naturalem ſtatum contrariorum: quæ ſecundum naturam ſunt, ſimilium: indicare ergo nihil aliud eſt, quam ex rei natura manifeſtare quid propriè unicuiq; conferat. Indicantia præcipua erunt morbus, cauſa morbi, & facultas morbi. Morbus ſui ablationem poſtulat, & cauſa propter morbum idem poſtulat, & ambo per contraria, facultas vero ſui conſervationem poſtulat per ſimilia: & ab his generalibus eundum erit, & in ordine per ſubalterna ad ſpecifica deſcendendum. In ſumma omnia indicantia ſunt qui conducunt ad auxiliorum inventionem, & auxilia ad ſanitatem comparata duo recipiunt axiomata; Primum erit, contrariorum contraria eſſe remedia; Alterum, ſimilium ſimilia

ſimilia eſſe remedia. Et hæc duo axiomata regulam & normam generalem præſtant omnium indicationum, & inreconciliabiles lites inter dogmaticos & chemicos non ſolum, ſed inter ipſos dogmaticos commoverunt: utrorumque rationes æquo lectori erunt perpendendæ. Contrariorum contraria eſſe remedia ſanxit univerſa dogmaticorum ſchola, & hoc fuit à divino ſene pronuntiatum, & cui nemo ante Iatro-chemicos primo cõtradicere auſus eſt, ex argumentis igitur contrarietatem probantibus primum erit: Omne quod morbum pellit, morbo contrarium eſt, at remedia morbũ pellunt, ergo huic argumento reſpondent chemici, imo & multi dogmatici, contra ipſos dogmaticos, diſtinguendo contrarietatem in majore, & affirmant unam eſſe contrarietatẽ unitivam aut poſitivã, aliam vero deſtructivam: itaq; quando remedia curant, expellendo morbũ, hoc faciunt non contrarietate deſtructiva, quia materia Medica creata fuit non libertate deſtructiva, ut fuerant animalia, ſed ex neceſſitate virtutum ſeminalium materiæ Medicæ, quæ ita agit ſicut indictum fuit, in prima creatione: ſic etiam inter ipſos qui Chemiam colunt infertur inſtantia. Rhabarbarum calidum morbos bilioſos qui calidi ſunt curat, ſpiritus vini ferventiſſimus, calidiſſimos cryſepelatoſos tumores curat, itaque omnium contrariorum non eſt conditio ut ſe ſe mutuo jugulent, nec talem deſtructivam contrarietatem intelligebat Hippocrates, libro de flatibus, & Aphoriſ. 22. lib. 2.

Secundo dicunt curationem eſſe actionem remedij contra morbum, ergo ut contraria ſint morbus & remedium neceſſe eſt. Reſpondent chemici tollere morbum remedia juxta ſcientiam & finem ſeminariæ virtutis, ipſis ab initio datæ, & non juxta actionem liberam, quæ illis denegata eſt & ſolis animalibus conceſſa. Tertio ab Ariſtotele lib. 1. de generatione & corruptione cap. 7. dicitur, ſimilia non agere in ſe invicem, ſed contraria: at contra hoc opponitur actio magnetis in ferrum, actio ſpirituum ſuper alimento aſſumpto, & illud etiam Hippocratis dictum, ubi dicit nutriri nos ex eadem materia ex qua conſtamus: diſſolutio durorum metallorum per aquas fortes, quæ ex vitriolo & alumine metallorum diſſolventia conficiuntur, & quæ diſſoluto ſimiles ſunt: imo è contra, cera mollis ab aqua forti ſibi contraria intacta manet, ab oleo ſimplici diſſolvitur, quia cera & aqua, non ſimilia non incorporantur, propter diſſimilitudinem actionum, ſed oleum & cera facile, propter ſimilitudinem: ex quibus videtur quam fuit Ariſtoteles auritus duntaxat teſtis, & quam oculati ſunt illi qui contrarium tenent.

Denique ubi dicitur medicamentum esse morbo contrarium, hoc non est medicamenti sed naturæ opus, quæ naturam medicamento roborat, ut volunt omnes chemici, & multi dogmatici, & propter hoc celebre illud Hippocratis edictum confirmat contrarium, naturam nempe morborum medicatricem esse, ipsa enim sola per se curat morbos quam plurimos, non igitur per contrarietatem: jam ad alias indicationes reflectendum: primarium indicans morbus est, reclamant alij, quod non; cum morbus expulsionem sui indicet primariam, non potest esse, sed sanitas, posito enim indicante semper ex necessitate sequi debet curatio, quia per propriam suam naturã atque essentiam indicant quod conveniens est: at posito morbo, nempe indicante non semper sequitur curatio, nam ut plurimum vires consulendæ sunt, & aliquando non admittunt, igitur morbus non semper indicat: præterea omne indicans est permanens in humano corpore, ut est in Gal. 4. methodo Medic. 3. & propter istam rationem symptomata non indicant, nam morbo ablato ipsa pereunt: morbus itidem nec est permanens in humano corpore, ut vult Galenus 1. Methodo Medic. 1. quia cum sua causa sustentatur, & perit: rursus indicans est cui debetur indicativum, sui enim causa indicat, & ad se indicatum dirigendum esse monstrat, & morbos non sui causa indicat, nec quid juvet sibi exposuit, nam à ratione alienum est quicquam destructionis suæ media indicare, aut appetere; itaque morbus natura sua neque indicat, neque medendi viam demonstrare potest: videndum igitur cui alteri meliori jure hoc munus competat: non symptomatibus, quia non habent permanentiam, minus causæ morbificæ, ut tradit Capinacius in sua medendi Methodo: quod ad vires attinet, sui conservationem non destructionem indicant, ex quibus patet quam parum firma sit indicationum doctrina.

## *De Ortu & Progressu Chemiæ, tum de Chemicorum Indicationibus.*

DUm natura salutis studiosa salubri providentia calamitatibus humanis occurrebat, altioris ingenii homines quærere cœperunt, qua ratione defectibus istis mederetur, deprehenderuntque causarum esse connexiones & mirandos ordines, posteriora ex prioribus, debiliora à fortioribus conservari, gubernari, foveri: itaque sanitates & morbos ex virtutibus

priorum derivari contenderunt, & tali conſpiratione deprehenſa quibus
legibus affectus cauſis copularentur inveſtigarunt: Alii ſuccedentes alimen-
torum proprietates, præparationes (ut pannificium) adminiſtrationes,
morborum origines, prædictiones, præſervationes, curationes, regionum,
temporum, aquarum, aëris, & cœli conſpirationes indefeſſis laboribus
inveſtigarunt; & quia obſcurior hæc fuit provincia, ita & difficilior proin-
de Medici, quorum induſtria hoc loco requirebatur, profundiores contem-
plationes aggredi cœperunt, & inviſibilium ſeminum artificioſas diſpen-
ſationes, ex cauſarum proprietatibus & affectuum obſervationibus paula-
tim deprehenderunt, & talis fuit Medicorum illis temporibus concordia,
ut diſcipuli præceptorum obſervationibus, legibus & Methodis inſtructi,
ſuas adjacentes veritate priorum confirmarunt, & tunc nulla fuerant ſe-
creta, ut hodie venalia, omnia in charitate amicâ communicabilia: ſed ut
humana omnia ruinis & erroribus obnoxia, ſic hæc laborioſa experientiæ
tædia non tulerunt alii, Methodos quæſiverunt, tunc migrare incepit me-
dicina in linguas, & relictis rebus ipſis, ac obſervationum fide, hypotheſes
fucatas quærere cœperunt, caliditatum, frigiditatum patrocinia definitis
numerorum limitibus deſcripta, in medicinam introducta ſunt. Ex qui-
bus faciles indicationes morborum & remediorum, hoc eſt indicantium &
indicatorum deduci poterant, ſed experientia ubique difficultates offere-
bat, imo & Hippocratis temporibus propugnatores habuerunt: ita ante
annos mille ducentos, repetita incurſione, medicinam adhuc adorieban-
tur, & ſæculum illud compendioſam facilitatem, ex Hypotheſibus profi-
ciſcentem, amplexa eſt potius quam experientiæ obſcuras & longas exer-
citationes: experientias etiam quaſdam, ſed molles & non profundè quæ-
ſitas, nec ex abditis naturæ Theſauris artificioſa contemplatione erutas
adjunxerunt. Quamvis etiam Hippocratis ipſius experientiis injuſtè glo-
riabantur, & violentis intemperationibus Divini ſenis oracula obtempe-
rare coegerunt. Et ad hanc Monarchiam confluxerunt Græci, Arabes, Eu-
ropei: interea oriebantur novi morbi, qui calidis & frigidis illis Hipotheſi-
bus reſpondere non poterant, quorum curationes, remediis Methodo-
rum Miniſterio inventis fruſtra, (quamvis caliditatum & ſiccitatum uni-
verſa miſteria producta fuerint) inſtituebantur, quibus ſilentibus & obſtu-
peſcentibus, occultæ proprietates clanculum irrepſere: Hinc poteſtatum,
Hypoſtaticorum neglecta deſideria rurſus mortalibus placere inceperunt,
& qui experientiæ difficultatibus laborum aſſiduitate, meditationum fre-
quentia

quentia, obſcuritates illarum proprietatum, Chemiæ beneficio operire conabantur, deſertores, empirici, & circumforanei appellati ſunt, & quia iſta labores & ſudores medicorum requirere videbantur, horum collegium & conſilia ob difficultates brevi diſcipulos amiſerunt: multiplicantur interea morbi novi deſcriptionibus Avorum non reſpondentes: difficultatem admirantur Medici remediorumque imbecillitates, unde ad experientias vel inviti confugiunt. Sed tardè, neque ullis difficultatibus, ſumptibus vel laboribus, à tam felici provincia abſterreri decebat, ſed ad hæc primo confugere, & deinde ad cauſarum & proprietatum naturæ contemplationem accedere, cujus præſidio tam duri mortalium languores refocilari poſſunt: tales contemplationes, fœtus & naturæ miſteria, Monarchæ magna olim mortalium utilitate ſtrenuè quæſiverant, vitalia enim ſunt, & viventium ſpirituum miniſteriis, ut amico & familiari naturæ Balſamo utuntur, ſed nunc tam miſere deſerta talia veterum miniſteria ſunt, ut unico venæ ſectionis præſidio dempto nullum reſtet antiquorum veſtigiorum, unde in vituperium & opprobrium omnia propter artificum turpem avaritiam & fœdam ſocordiam converſa ſint: Ita ut nihil jam in Europæorum ſcholis tam tritum ſit, quam experimenta irridere, inter alios ſecreta vendere, vel medicinam juxta Ariſtotelis fundamenta quæ praxi omnino oppoſita eſt, docere. Et per contrarietatem quatuor qualitatum indicationes Methodicas ſumere, & inde ægros morti & morborum tyrannidi relinquere, ita ut nihil reſtet quam ut amicis & parentibus mortuorum ſatisfaciant. *Et inciſa notis marmora publicis* relinquant, cum Epitaphio ſequenti mortuum fuiſſe ægrum cum methodo, unde non ſine verecundia audet probus aliquis Medicus hodie in cætu publico ſiſtere, ne ipſi objiciatur Cornelianum illud:

*Juridicis crebo fiſco; fas vivere rapto*
*Militibus; Medicis, tortori, occidere ludo eſt;*
*Mentiri Aſtrologis, Pictoribus atque Poëtis.*

Quis enim Medicis parcere poſthac debet, cum ipſi his Dogmatici verſibus ſocordem talium Medicorum Majeſtatem illudere non vereantur. Sed ad indicationes igitur contrariorum veniendum, ut poſteris libertas veritatem amplectendi pateat, & ut fatales Peripatheticorum Hypotheſes tales relinquendi neceſſitas appareat, quales indicationes in horum locum ſubſtituere velit Severinus ex iis quæ Cap. 2. Ideæ ſuæ Medicæ Philoſophiæ continentur, adducendæ erunt, aſſerendo certum eſſe hoc axioma con-

contrariorum, ſuper quod tota Dogmaticorum doctrina quaſi ſupra ſacram columnam innititur, non immerito à Chemicis, ut à multis etiam Dogmaticis ſuſpectum eſſe, quamvis ad ignaviam pronis, & ſenſu ruſtico prœditis, cum magno compendio, à quolibet avidiſſime amplectatur, & concipiatur, itaque ratio medendi per odia, rixas, lites, bella ſanandi, quaſi per tritam orbitam conſignata fuit, nonne unum contrariorum toties prædicari debet juxta Ariſtotelem quoties alterum? & tamen in febribus curandis, Ariſtoteles nec Galenus, non oſtenderant illud genus, ſub quo ſtare debet poſitiva frigiditas, ſive frigus contrarium calori putrido, quod ſi feciſſet Galenus, remedium cuique febri juſtum non manſiſſet in hunc diem Medicis ignotum: at ex Hippocrate & Veteribus Philoſophis, hoc remedium fit nec contrarietate, nec ſimilitudine, ſed placatione Archei, hoc eſt in mandato efficientis cauſæ, cum materiæ ablatione, & ſolius tincturæ vitalis irroratione: quidquid enim naſcitur, fit ex neceſſitate ſeminum, juxta Divinæ Majeſtatis mandatum facientium, quæ ſcientiam & fines agendi illis dedit: & hanc ſeminis naturam dicit Hippocratus à nullo fuiſſe edoctam, nec poſſunt accidentia in ſe habere iſtam contrarietatem, quia ex ſe nihil ſunt, nec habent eſſentiam, cum non agant, quia omnis actio à viribus, & vires ab eſſentia, & eſſentia nullam in ſe habet contrarietatem: ſunt enim ſubſtantiæ, & ſubſtantiæ juxta Ariſtotelem nihil debet eſſe contrarium: fatendum igitur erit nullam in rerum natura eſſe contrarietatem, ſunt enim ſubſtantiæ præterquam inter agentia libera & electiva, igitur ſi ſubſtantiæ non habeant aliquid contrarium, verum erit naturam (hoc eſt vim Divinam infuſam ſingulis ſeminibus) neſcire contrarium, ergo aër & aqua calefiunt ab igne, non propter contrarietatem, ſed propter generationem virtutis alienæ, quæ ut ait Sever. juxta virtutem ſeminariam ipſis in prima creatione juſſa ſunt, & quod ignis frigori non cedat, teſtatur aqua fervens, quæ ignem extinguit non frigore ſed ſuffocando, imò & flante Boreo magis accenditur: ſic oleum fervens ignem in carbonibus ſuffocat: ſi igitur contraria debeant eſſe ſub eodem genere, non debet ignis eſſe aquæ contrarius, utraque enim ſubſtantiæ: ſic humiditas & ſiccitas non ſunt corpora qualitativa, humiditas enim accreſcit adjectione, non mutata qualitate, & ſic non continet ſolum negationem humidi, nam ſiccum dicitur quaſi exſuccum. Omnipotens Deus fecit quædam libertate prædita, & iſta contrarietatem habere poſſunt, ut animalia, at ſeminibus iſtam libertatem negavit. Præcepit enim ut

ut facerent, quæ primo illa facere jussit Creator: contrarietatem igitur admittere, est errores in natura committere: qualitates ergo primæ Elementorum cum respectu contrarietatis stare non possunt: sed quoniam in contrarietate magna est latitudo, discutienda erit æquivocatio, & imprimis unitas, bifario, sursum, deorsum, non sunt contraria, sed opposita; nec de contradictione privativa, sed de positiva intelligo, in serie actionum realium, nec volatile reptili, generatio corruptioni, nec rectum curvo, asperum glabro, grave levi, album nigro est contrarium: nec enim respiciunt aliæ alias, velut contrarias, nec hostilem aut destructivam qualitatem gerunt, nec in ovi testa induitur contrarietatis bellum, sed ubique manet unitas. Sed contraria in facultate animali irascibili liberè agentium, admitti etiam possunt contraria privativa: etiam quæ contradicunt in terminis relativis. Sic erisipelas tumor maximè igneus curatur à spiritu vini calidissimo, non autem qualitate pugnaci aut appetitu destructivo: denique natura sui medicatrix morbum sua bonitate superat, non autem qualitate pugnace: qui contrarium tenent, quale frigus sit in corpore febriente, quod calorem ejusdem morbi statis horis interimat, ostendant: certissimum igitur est non esse illam contrarietatem, luctam, odium, bellum, dimicationem, sed agere omnia absque intentione & præcognitione finis, quatenus sic creata, sic donata sunt, adeoque sic agere jussa: quod autem jussa ista in optimum finem reducere debet, est spiritus universalis Mundi, Dei Minister, cum spiritibus individui conspirans, omniaque in ordinem reducens, quasi director, omnia ad finem fortiter movens & disponens suaviter: & illarum proprietatum explicationes testimonia sunt; Deum summum & gloriosum rerum etiam vilissimarum habenas regere per potentias ipsis nascentibus datas. Tantum igitur abest quod actiones rerum & remediorum per opposita fieri sentiam, vel contraria, quamvis opposita per modum relationis terminorum admitti possunt, non autem in via qua invicem agunt singula: itaque juxta dotem naturæ sibi collatam agunt, non autem per contrarietatem, aut appetitum destruendi se invicem.

## *Stabilitio Indicationum Chemicarum juxta Severinum Danum.*

SÆpius ex magno dictatore retulit Author noster naturam morborum fuisse medicatricem, Medicum vero ministrum: est igitur in natura principium aliquod sanativum, quod proprio motu ad sanitatem tendit. Inde verissimum est, quam plurimos citra ullum medicamentum consenescere: proinde Medicus ad naturæ exemplum, sibi proponit scopum acquirendum, & quem non destruet contrarietate qualitates primas oppugnando, sed proprio motu & usu remediorũ, à Medico ipso præparatorum, & ab Elementis concretis & impuritatibus admixtis separatorum. *Quæ potestate & vitali robore universos corporis humani languores possunt auferre; non calefaciendo, refrigerando, humectando, siccando: non abstergendo, incidendo, penetratione, sed longe altiore altionum proprietate, fundareque in vitali principio, semine, balsamo Vegetabilium, Mineralium & Animalium, cui omnium actionum in natura principium acceptum referimus, adeoque legitima hujus naturæ præparatio & administratio medicam constituit scientiam & indicationem, & Medicos recte appellat.* Ita quando dixit Hippocrates naturas morborum Medicatrices, & Medicum Ministrum, morbos intelligebat Elementales, hoc est ab interno Elementorum semine productos, & Medicos intelligit rectè sanare, quando per vitales potentias, & remedia, morbos illos radicales in corpore ex semine prognatos aufert. Nec enim intelligit per vitales potentias, materiam vulgarem Medicam, quæ non magis medicamenta sunt, quam ligna, lapides & statuæ: Illa tamen pro morbis ex intemperie natis, & à Galeno inventis accomodantur, & nulla alia medendi via in scholis & aulis principum est recepta, neque poterat rectior via excogitari ab illis, qui ab externis qualitatibus morbos infelici errore adscribunt: fateri potest morbos nonnullos talium remediorum applicatione propter interni balsami præsentiam sanari posse, sed talem non esse veram sanationem affirmamus. Sed & quod sit illud internum balsamum invenitur apud Aristotelem 2. de Generatione descriptum; sed de hac materia nihil apud Galenum habemus, quamvis totius substantiæ fecerat mentionem, eximia actionum potestate motus, confestim tamen correctione utitur, dicendo, se per totam substantiam, nihil quam certam

tam quatuor qualitatum commixtionem intellexisse, & qui penitius in hanc materiam introspicere velit, inveniet, *esse naturam in qua seminariæ rerum rationes delitescunt*, *quibus Platonicorum Schola triumphat*, & dici potest quinta essentia, quintum Elemenrum, & hujus Elementi testis est Hippocrates, is enim in Libello de Antiqua Medicina, postquam Hypothesin quatuor primarum qualitatum repudiasset, dicit cuncta fieri à potestatibus, quas appellat amarum, acerbum, acidum, dulce, insipidum, à qualitatibus internis à quibus alibi repetebat, ubi naturas morborum fuisse mediatrices affirmabat: hanc naturam Libro de carnibus θερμὸν vocat, & Divinum aliquid esse, *omnia audere & intelligere*, *Theophrastus Græcus vitale principium vocavit*, *Paracelsus Balsamum*, *Mumiam*, *arcanum*, *Elixir*, *materiam perlatam*, *mannam*, sed si quis diversas appellationes in unius rei naturam convenientes examinare voluerit, sciat Platonicos, quorum doctrinam secutus est Author noster, continuitaté hujus mundi cum Archetipo considerasse, & in ea, Ens primo creatum, aut sicut sæpe supra in hisce commentariis dictum fuit, Primam materiamMetaphysicam, ut à fine & infinita potentia productam, fœcunditate rationum, ab infinita illa potentia (quam veteres animam mundi vocabant) gravidam, cujus ministerio explicarentur in spatio finito quæ in sinu spatii infiniti, seu campi veritatis quieto silentio prius continebantur, atque hac ratione seminalem naturam, tanquam seminis propagatricem & conservatricem virtutem appellaverunt, quæ momentaneam individuorum naturam, stabili specierum conservatione, ab interitu tueretur, & rerum naturalium ordinationes, dispensationes in generatione & corruptione dispensaret; & hanc Theophrastus vitale principium nominavit, & Aristoteles post Platonem Præceptorem, ait facultates animæ generationi dicatas in corpore quodam habitasse, non dubiis externorum aut concretorum Elementorum qualitatibus contaminato, sed puro & Divino, corporaque omnia inter se differre puritate, & impuritate, secundum conditiones facultatum, de quibus participant, & talia corpora ab Elementorum qualitatibus aut humoribus, & contra omnem Galeni exspectationem absolvit: Spiritum quoque dixit, ob subtilitatem, unde spiritalia corpora, & corpora spiritalia rectè nominari possunt. Fernelius hanc materiam formam substantialem vocavit, Hippocrates causarum discrimina, ex quibus actiones proveniunt, contemplans nonnullas tam in generatione quam curatione morborum, languidas, infirmas, & sine potestatibus fuisse, ut in febre ephemera, catharrho & simi-

libus.

libus quæ quatuor primarum qualitatum ministerio perficiuntur: alias vero causas, ex quibus validiores impressiones proveniebant, proinde primis neglectis, aliis morborum generationes adscripsit, ex quorum familia ea mutuatus est quæ sæpius acerbum, amarum, dulce, insipidum vocavit, quas recte Chemici primas & essentiales qualitates nominant, & quamvis Mercurius ut principium, & sal & sulphur, ut corpora Hypostatica, in illa causa fundamenta habeant, & illius causæ proxima sunt instrummenta, vana tamen sunt corpora, imo quamvis crassiorum corporum compedibus impedita, & talis causa, in tali corpore degens, ab Hippocrate innatum calidum vocabatur, quod in crescentibus plurimum esse pronuntiavit, & hoc calidum abundare in adolescentibus affirmabat, & non calorem: non animadvertunt multi, calidum innatum æquivocum planè fuisse Hippocrati, si cum calore & reliquis Elementorum qualitatibus comparetur, imo toto genere ab illis differens, & quid hoc nisi balsamum illud quod pro sale corpori datum fuerat ne putresceret? & hic sal semen supra vocavimus omnium actionum fontem, & in quo omnis omnium morborum medicina viget, si tamen debitè ab impuritatibus mixtis separatur: quamvis aliqui materiam hanc, propter spiritalem suam naturam, non posse adipisci objiciant, aut si ex adversa parte corporis & materiæ nomen huic semini accomodatum audiant, conquerentur prædicamentorum doctrinam inverti, dum qualitatibus substantiarum nomina, & viceversa appropriari intelligant: itaque hoc loco res ipsas scrutari discant, & non nomina, & præterea ut corporum, ita & spirituum magnam esse latitudinem intelligant: ita ut spiritus crassiores corpora vocari possint, sicut corpora tenuia spirituum nomine insigniri possint, nec solum spiritalem esse hanc materiam asserit Severinus, sed etiam cœlestem, quæ etiam in Vegetabilium, Mineralium & Animalium ordine depræhenditur, imo etiam astra, hoc est firmamenti stabilis, immobilis & sestantis causæ Entium radicalium, proximi affectus appellantur, quo immediatè ab Elementis radicalibus progredientia, seminariorum ordinem constituant, & in Hypostatica tria principia, duo corpora Hypostatica, salem & sulphur, & duo concreta Elementa, terram & aquam producunt, sicut demonstratum fuit propositione 18. Articuli de Vita, & his spiritualibus corporibus abundat Philosophia Paracelsi, quæ etiam iuvisibilia sunt, nuda enim mortalium cætus non ingrediuntur, sed vestimenta habent, nihilominus invisibilia vestimentis detractis visibilia reddi, occulta manifesta, quieta mobilia possunt,

ſunt, atque idcirco materiam artificum arbitriis ſubjectam exhibent, in qua totius ſeminis poteſtas viget: ſic granum quod terræ committitur putreſcit, radicalis tamen ſervatur humiditas, novaque revolutione in mundanam (ut dicit Author noſter) progreditur ſcenam, ac novum corpus ſibi fabricat, officiis deſtinatis commodum, & ſi natura per ſe ſeparationes ejuſmodi perficit, quanto magis artis beneficio adjuta, in Mineralium familia manifeſta teſtimonia puri & perfecti hujus corporis abſolvuntur? perfecta enim metalla, ut aurum, lapides & gemmæ quamvis vires ſuas hic exercere, nec in actum ex potentia, à compedibus non vulgaribus quibus detinentur impedita, erumpere non poſſint, tamen cum ſolius naturæ beneficio in Mineris à ſulphure impuro, ſalibus, plumbo, ſtanno, ferro, aëre, cum quibus ab initio involvebantur, ſeſe extricare poterant, ſi artis opportunum miniſterium acceſſerit, quid non ſperandum erit? Eſt igitur in natura principium aliquod ſanativum, quod proprio motu ad ſanitatem tendat: talis eſt enim potentia corporis ſanabilis ad ſanitatem, qualis corporum mobilium ad formam ſuam naturalem. Et hæc potentia eſt activa & productiva ſui affectus. Et hoc certiſſimum eſt, cum enim cuivis agenti & patienti inſitum eſt, ſeſe tueri, & ab omnibus injuriis quantum poteſt vendicare, jure merito idem debetur corpori ſanabili. Præterea id quod univerſam diſpoſitionem microcoſmicam moderatur, etiam ſanationi præeſt, quia ſanitas non otioſum eſt figmentum mentis, ſed naturæ interioris mechanici perfectio. At balſamus ut univerſi corporis compagem occupat, ſic miniſteria ſingula moderatur, quare idem & ſanationi præerit. Quid de calido nativo quod cruditates omnes maturat, impuritates ſecernit, ſiccum cum humido perfectè terminat, miſcet & unit, ad harmonicam unitatem omnes exceſſus revocat? Igitur morborum omnium & convaleſcentiæ Author, recte dici poterit. Hermetici ejuſmodi calorem nativum, naturam principium ſanativum, & potentiam activam, ſanitati aptam appellant Balſamum, Mumiam; Quintam eſſentiam Archæum Solem, Cœlum fontem actionum & ſanitatis auctorem: hoc eſt illud quod in Microcoſmo generationes, tranſplantationes, mutationeſque omnes moderatur, quod expellit, ſuperflua extrahit, quod dat, quod accipit, omniaq; ſuis locis adaptat, alterat & contemperat. Iſtud tandem omnia operatur pro varietate infinita ſcientiarum quibus donatum eſt ſeminarium hoc. Platonici ejuſdem ſubſtantiam, ab elementari diverſam faciunt, quâ veluti cæmento, anima immortalis cum mortali jungitur corpori. Fernelius

nelius humidum primogenium spiritu & calore nativo undique perfusum nominavit. Hoc est ad quod omnes Medici indicationes dirigi debent: non per inanes & inextricabiles contrarietates, sed per indelebilem veritatis constitutionem.

Finiendum erit igitur hoc caput cum dicterio isto magni Dictatoris Hippocratis, naturam morborum esse Medicatricem, hoc est in natura principium esse aliquod sanativum, quo proprio motu ad sanitatem tendit, sicut in illis qui circa ullum medicamentum per se consenescunt notum est: interea certum est naturam medicatricem non contrarias qualitates, sed congruas duntaxat desiderare, nam ubi contraria jungis, ibi pugna, nulla quies, sed natura ad solam membrorum pacem, quæ sanitas est, sese erigit, & quidquid agit non nisi ejus pacis gratia agit, & pax ista consistit in justa alimentorum distributione, hoc est, ut quod est osseum ad ossa, quod est membraneum ad membranas, quod est articulare ad articulos, alioqui alimentum quod uni destinatur, si alteri distribuetur, bellum à spiritibus animæ ministris, & confusiones perpetuæ in corpore excitabuntur: est enim anima principium corporis, ut ait Hippocrates 1. de Diæta, ab illa enim fluit corpus, est enim animæ & spirituum munus, ut peregrina, hoc est, quæ non sunt homogenea ab alienis sedibus pellat, & omnia collectis viribus expellat: unde tritum illud Philosophiæ dogma, naturam natura propria lætari. Prima igitur indicatio est, ut morbos juxta naturæ formam expellamus, medicamentis roborantibus naturam, & ea quæ illam roborare possunt naturam, sunt illa quæ sunt naturæ homogenea: erunt igitur indicationes duplices, vel generales, vel particulares, & ad utrasque has diversimodè sese accomodare debet Medicus: Primo impuritates tartareas in quibus nitrosulphureæ qualitates sunt, per tot purgantia expellere, vel naturam adeo robustam & validam reddere, ut ea sponte se ab humore sibi infenso liberare, ipsumque excutere possit. Ad tartareas impuritates corpore humano deturbandas multa requiruntur: in primis Medicus exactam Vegetabilium, Mineralium & Animalium cognitionem habere debet, non solum lectione librorum, sed ex perfecta omnium rerũ naturalium inspectione & examinatione; sic enim occultarum & manifestarum proprietatum explicationem habebit, & omnia juxta ea quæ refert Author de Principiis Corporum, capite septimo persequetur. Faciendo tamen juxta monitum Authoris. *Ite Filii, vendite agros, ædes, vestes, annulos; comburite libros, emite calceos; montes accedite; valles, solitudines, littora maris, terræ profundos sinus inquirite; Animalium discrimina, Plantarum differentias, Mineralium ordines, omnium pro-*

*prie-*

*prietates, nascendi modos notate, Rusticorum Astronomiam & terrestrem Philosophiam diligenter ediscite, nec vos pudeat tandem, carbones emite, fornaces construite, vigilate & coquite sine tædio. Ita enim pervenietis ad corporum proprietatumque cognitionem, alias nou.* Et ita ornati, & multa experientia confirmati Philosophi & Medici ut naturæ interpretes & Ministri constituemini, & cum homo ex iisdem alitur, quibus constat, & cum constet homo ex omnibus rebus quæ in majori mundo sunt, quæ pro alimento ipsi inservire possunt, Medicus etiam summa ope niti debet, ut cognitionem perfectam habeat omnium earum rerum, quæ alimenta ipsi suppeditare possunt, & ista omnia totam familiam Vegetabilium, Animalium & Mineralium comprehendunt, & in istis quis non novit tot esse species tartari quot sunt alimenta, & in unoquoque tartaro diversum esse spiritum, diversum sulphur, & diversum salem, & istæ diversitates diversa vitriola, diversa alumina, salia amoniaca, quæ sunt differentiæ amaroris, insipidi, dulcis, acidi, salsi suppeditabunt, & ita deinceps quæ particulares indicationes nobis suppeditant: Generalis ergo indicatio nobis erit, impuritates omnes tartareos è corpore expellere, quæ generalem quemcunque morbum inferre possunt: Aliàs si non expellere, ad minus mitigare, contemperare & reprimere possunt, primum præstant medicamenta quæ modo sursum, modo deorsum, juxta tartari naturam expellere possunt, quo intendit artifex: particulares vero, ut febres, omnes hidropes, catharros peculiaribus mederi remediis & absolvi indicationibus debent, & in his qui universaliter omnes tartareos morbos expellere, aut eradicare possunt versantur: utor hoc vocabulo eradicare, quia tartarum & impuritates infinitas tartari, quæ Mineralibus morbis, Alimentorum beneficio radicitus inhærentibus tollere possunt, & quod datum tempore & loco & ægro congruenter juxta indicationes convenientes, omnem febrem in tres vel quatuor horas extinguere potest, & non solum acutos ad laudabilem crisim deducere, sed etiam Chronicos morbos: & hoc remedii genus semper Medicus penes se habere, & ex diversis præparationibus antimonii colligere debet Sunt autem diversæ species, quæ juxta judicium Medici exhiberi possint, & inrer primas sunt emeticum antimonii, vulgo algorat, est enim remedium nitro sulphureum, principium enim vitæ, Balsamum, & medentem Mumiam, in se habet, imo & omnes dotes seminarias, quæ supra de indicationibus Chemicorum dictæ fuere, intra se habet: flores antimonii correcti, crocus metallorum, infusio vitri antimonii, flores reguli antimonii,

nii, & infinitæ aliæ sunt species, quæ plus aut minus juxta probam præparationem, & per chemiam perficiuntur, & quorum electionem hic ponere non est meum institutum, hæc enim in antimonio in genere dicuntur: qui plura velit, praxim aliorum consulat, & præparationes diversas addiscat, eligat, & consensum & dissensum cum aliis remediis purgantibus inquirat, & habebit quæ vix inter alia Mineralia inveniet: hæc affirmo audacter, nec moror quid de me jam sentiant vel Medici, vel Plebeij, teneant me pro quocunque voluerint, ego palam quæ de antimonio sentiebam, ante aliquot annos in lucem emisi: Responsa ad Objecta Antimonii in Libro meo cujus titulus est, *Elementa Philosophiæ artis igneæ*, Gallico Idiomate impressa reperientur, ad cujus rei majorem fidem, unum ex Programmatibus publicis ad lectiones & exercitia chemica & Botanica destinatis hic appono, ut videant & cognoscant multi, quantum judicia Medicorum, post quinquaginta annos experientia & approbatione celebrium hujus ætatis scholarum & Medicorum mutata sint, & quantum deinceps universus mundus, Reipublicæ chemicæ & ejus cultoribus debeat & in posterum debere teneatur.

Sunt etiam & alia febrifuga remedia, quæ suas etiam admittunt indicationes, & febres non solum per vomitum, sed etiam per secessum curare possunt: & ex ordine Mineralium sunt vitriolum, sal vitrioli, præcipitatum Lunæ, ex ordine Vegetabilium, folia & radices asari, decoctum gratiolæ, gummi gutta, decoctum verbenæ, sed ut verum fatear, quantum mihi licuit, usu & experientia quadraginta annorum quibus medicinam intra Gallos, Anglos, Polonos, & Germanos exerceo, nihil reperio, quod antimonio in laudabili, facili & brevi operatione comparari ad multos gradus potest, tam benignè duos vel tres vomitus provocat, si aliquid vomitu dignum in primis viis invenerit, alioqui blandissimè per secessum agit, aliquando nec per vomitum, nec per secessum, sed per sudores, insensibilem transpirationem & urinas, & semper cum euforia agit: si quis tamen reperiatur ita à ratione alienus, ut hoc remedium spernere velit, ad alia recurrere licitum erit, imo & alia remedia, ut sunt folia senæ, rhabarbarum, tamarindi, cassia, manna, syrupi multi, suas etiam habent dotes & indicationes suas nitro sulphureas, & satis feliciter etiam in multis levibus febribus quotidiè exhibentur, at in desperatis & crudis febribus, citius saxa maris è loco movebis, quam ut vel atomum unam causæ morbificæ abstuleris: hinc constat quantum longus usus, exercitatio diuturna, magna artibus incrementa afferre con-

consueverunt, per quos nova recentiorum inventa, antiquorum medicinam, ad longe sublimius dignitatis fastigium extollere drmonstratur; at humanæ sortis tam prava est conditio, ut si quis probus Medicus consimili uti velit medicamento, statim mille convitiis ab aliis in eo genere minus versatis accipiatur; & ut angue pejor cunctis digito demonstretur: tantum in arte Medica prævalet Medici anticipata opinio, ut sæpissimè ignavus doctissimo præferatur. Hoc insigne Alexipharmaci genus, febrifugium nominari meretur; cujus descriptionem inveniet quilibet curiosus: in Libro ante aliquot annos edito, cujus titulus est Philosophia Pirotechnica, & hoc est primum & præcipuum febrile medicamentum, ipsas febres eradicans, & funditus è corpore evellens. Restat secundum, quod mitigatorium appellabimus: istud ferè febres non sanat, sed earum fervorem in tantum reprimit, ut interea æger viribus recuperatis ad pugnam validior reddatur, & hoc potest esse sulphur anodynum vitrioli.

Particularis methodus naturam studiosè imitatur, ejusque leges ad unguem servat, ubi febrem ad crysin accedentem observat, ad eam properare sollicitat, ut si ad sudorem tendat, tunc ipsam per Diaphoretica juvat, si ad alvi urinæ, aut alterius evacuarionis propensionem tendere videatur, medicinis ad id oportunis ejus partes suscipit, tandem ad perficiendum opus omnino se accingit, ubi febres per coctionem superare nititur, hanc promovere, & humores refrenare, & mitigare aggreditur, ubi vero per materiæ transpositionem sedare febrem contendit, eandem viam suscipit, & ab hac Regia via parum digrediens auxiliares copias eo dirigit, ut destructo hoste, partaque victoria sub se salubriora vexilla, & contra quemcunque hostem tendere deinceps percipiatur.

## *De Ratione purgandi in febribus juxta Authoris mentem.*

Dicimus purgationem esse rei noxiæ & inutilis evacuationem, & hanc duplicem esse monemus, unam per sanguinis detractionem, alteram per alvi subductionem. Nos purgationem veram esse monemus, quæ morbum una cum materia foras protrudit, vel quæ evacuando humores, morbum sanat: Rursus est purgatio multiplex, vel enim per alvum, vel per urinam, vel insensibilem transpirationem fit. Notandum præterea, unumquodque membrum proprio excremento præditum esse. Etenim nihil puri in his inferio-

ferioribus esse reperitur, & quidquid comedunt viventia cuncta, purum cum impuro admixtum accipiunt: impurum excrementum illud est, quod tempore statuto deponunt, & quia singula membra peculiari nutriuntur cibo, ita & proprio abundant excremento. Id vero si destinato tempore, absolutis videlicet coctionibus, non excernitur foras, partem seu membrum in quo continetur lædit, & vexat pro conditione excrementi. Insuper non omnia excrementa sunt sensibilia, singulæ enim partes peculiarem transpiratum habent, quæ sensibus vix apprehenditur. Proinde vis separativa quævis, in loco, proprio fungitur munere; ex his patet nostram purgationem non esse omnem alvi subductionem: naturæ leges observandæ in omni evacuatione erunt, ita ut ubi ad vomitum est prona, vomitionem procuramus, ubi ad alvum, eam ipsam excitare curamus, ubi ad urinam sudoremque, eo artem nostram convertimus, quod si ad insensibilem transpirationem, ad ad id omnes ingenii vires intendimus, major pars febrium hac via fugatur: igitur juxta Authoris nostri mentem eo animi candore, cujus à natnra particeps facti sumus, cunctis rei veritatem aperire statuimus; itaque oportet scire purgationes, quas continuo vulgus celebrat, desideratis effectibus minime respondere, veluti si in tertiana bilem millies purgemus, in quartana melancholiam, in quotidiana pituitam, quid efficimus? febris ferocia ne minime retunditur, imo æger duplici labore pressus, febris tyrannidi facilius cedit quam vulgaribus istis purgantibus, quæ naturam coctionibus intentam ab incepto opere divertunt.

Quod si de purgantibus bilem apud me percunctari velit aliquis, dubia haud pauca statim nobis se offerent, color citrinus, flavus, ærugineus, porraceus, &c. ab assumpto medicamento venit: etenim puerile satis est, credere talem humorem eductum fuisse à magnis venis, de Cassia, Thamarindis, Manna, Rhabarbaro: aliud credendum est: fingunt id quod educunt, irritant potius quam attrahunt, non sunt tamen inutilia, & sæpe eorum auxilio una cum ipsis tartareos humores, in intestinis considentes, foras amandat natura, & sæpe ubi non valet ars, fortuna, temeritate & casu id contingit: ne tamen communem viam deserere in totum videar, placet selectiora tam simplicia, quam composita tanquam in tabella proponere, ut cuilibet liberum sit hæc vel illa seligere, his maxime qui nihil didicerint præter illa quæ mortua litera docet: Inter illa quæ putantur bilem purgare, lenientia & benigna, sunt cassia, tamaryndi, pruna, violæ, rosæque: inter valentiora, manna, rhabarbarum, scammonium: Hæc usitata sunt, inusitata brevitatis gratia omitto

omitto, sunt & composita maximè, quæ hodie in officinis prostant, syrupus rosarum, violarum, electuarium diacatholicum, diacassia, diaprunis, diaphenicum, diacarthani de citro de succo rosarum.

## *De tempore instituendi Purgationem.*

DE tempore verò certum est purgationem apto tempore datam, securam sanitatem adferre, non apto verò mortem, sed quam parum hoc animadvertunt Medici nostræ ætatis, eventus Tragicus multorum affectuum & multarum febrium protractio ad multos dies & menses, satis testantur, proinde maxime in hoc Medicus debet esse exercitatus, ut intelligat quam convenienter institui possit purgatio, si in initio, medío, aut fine: nam quo major ex evacuatione fructus percipitur, si considerate adhibita fuerit, eo majora per illam detrimenta importantur, si talis non sit, qualis & jure & loco præscribi & adhiberi solet: Hippocrates primo Aphorismorum tempus videtur determinare, cum dicit: *Cocta medicari oportet, & cruda non movere:* videant igitur illi qui in omni morbo tam acuto, quam chronico, statim in principio cum accersiti fuerint (importunitate forsan amicorum assistentium ducti, vel propter consuetudinem, & officiosos apparatus amicorum & parentum, qui de Medico idem atque operariis qui in diem locati, sentiunt, nempe ea ratione vocatum fuisse, ut pro honorario lucrando, aliquod opus post se relinquere debeat) purgant ita atque repurgant, nulla habita ratione coctionis. Præterea si sciscitèris ab his, quid sit coctio, & quibus cognoscatur signis? eos invenies non minus à seipsis dissentientes quam in ratiocinatione super hoc casu excogitata ab aliis maxime discrepantes. Hic intelligendum est de coctione, quæ fit à natura humorum excrementitiorum, tam in prima, quam in secunda & tertia regione: coctione humorum pravitas, & feritas mitescit, & ubi exaltatis signis, facta coctio cognoscitur, tunc nullis indiget remediis. Medicus, quia natura jam victrix, quæ majora potuit, minora facilius consequetur: sed dicant mihi quæso, an hac coctione crassiores aut tenuiores reddantur humores? & unde nam ad evacuationem dictorum humorum proclivitas? apud Hippocrat. lib. 2. Aphorismorum 9. verba hæc sunt: *Corpora cum quis purgare voluerit, liquida sunt facienda.* At non omnis materia coctione attenuatur, sæpius incrassatur; de turgentia humorum non minor est perplexitas, impetus enim dictorum humorum non à se, sed à spiritibus, ut alibi annotavimus, provenit. Proinde

certum

certum est multos inter recentiores, concoctionis nomine abuti, & quam coctionem appellant, à vera coctione longo intervallo distare videtur, quod enim verè coquitur, ideo concoquitur, ut quantum fieri potest, simile evadat concoquenti: quod vero expulsioni paratur, quanto magis id patitur, tantum redditur animali dissimile, & ad ejus naturam magis alienum: denique certum est concoctionem omnẽ fieri à natura, non ab arte, expulsionem vero fieri ab arte: sed rogaret aliquis Authorem nostrum, quid igitur in initio faciendum & ante coctionem & purgationem? quia raro fit coctio in initio morborum, respondetur, juvandam esse naturam venæ sectione, tum medicamentis naturæ similibus: ita in febribus juvanda erit naturæ coctio medicamentis convenientibus, & ea sunt quæ pro ipsa febre eradicanda valent, & dictum est supra, antimonium esse verum febrifugum, sed in hoc casu non intelligit Author noster antimonium directorium, sed antimonium cum cæmento regali sæpius calcinatum, quod exhiberi potest vel in julepis ex aqua hordei, vel ex conserva rosarum, violarum, buglos, boraginis à decem ad viginti grana, aliter tamen debere fieri istas præparationes æstimant Galenici, quam voluit Hippocrates, & Author noster. Illi autem ad incisiones & attenuationes intendunt, at an arte ejusmodi incisiones & attenuationes procurentur, sicut debet, dubitatur, quia hoc est naturæ opus, aut si in artis potestate consistat, tum peritissimum hoc in casu artificem desideramus, sæpissimè enim acida quæ putantur maxime esse attenuantia & incidentia, contrarium præstant. Crystallus in pulverem reducta, solius aceti beneficio pristinam duritiem recuperat. Acida vitrioli & sulphuris, multa liquida in lapidem coagulant: sunt multi liquores, qui crassitiem acquirunt acidorum appulsu, verum qui chemicarum operationum periti sunt, rei veritatem vident, plus valet de visu testis, quam centum auriti: quod autem de calore & humoribus attinet, pluries ab Authore nostro certatum est, & nec inter dogmaticos ipsos constat, & primo quod ad bilem attinet, potissimam febrium causam ex illis nonnulli extenuantia & incidentia reposcunt, alii contra reclamant, dicentes, ipsam bilem satis esse tenuem, sed potius incrassandam, alii neque attenuandam, neque incrassandam, sed sine ulla præparatione ipsam esse purgandam. Est recens opinio quæ hanc & illam damnat, neque eam attenuandam neque incrassandam, ex eo quod dicta bilis sit per se satis mobilis: Rursus timendum ne his calidis magis incalescat ipsa, & febris & symptomata magis augeantur, & quod Galenus 1. Aphor. 24. dicit in acutis febribus de hisopo & organo, in aqua mulsa coctis, hoc non

Xxx 3 esse

esse ob bilem, sed ob meatus obstructos, ab humore crasso. Quare sine ulla præparatione dicunt bilem esse purgandam: non minus falluntur qui referunt, dictæ bilis magnum esse fervorem & acrimoniam & propterea dictas qualitates ad quandam mediocritatem esse reducendas, ne si ita fervida & acris purgetur, in internis visceribus sese insinuet, & aliquod damnum maximum excitet. Quapropter concludunt, bilem primo frigidis attemperandam, & ejus tenuitatem incrassandam, antequam ipsa purgetur: in hoc ratiocinio quantum sit vanitatis facile videre est. Putant operationes rerum in nobis fieri pro capacitate ingenioli sui: quæ putant refrigerare, sæpius contrarium præstant, non miscentur res in viventibus perinde atque in mortuis, quæ intus ingeruntur, eo fine id fit, ut in nostri alimoniam cedant, cumprimum intus detrusa sunt, in ventriculo excoquuntur. Mutant naturam antequam ad venas perveniant, quæ sanguini generando idonea sunt, exsugitur à venis quod est idoneum in chylo, quod est ineptum ad feces stercorales demandatur. Jam videre est quoties ipsa mutantur, quomodo in ventriculo putrescere incipiant, cum acore gravi. Deinde in intestinis tenuioribus omnino putrescant, & mutent naturam, ex quibus per Mesaraicas educuntur, & per portam ad jecur deferuntur, ubi iterum elaborata per cavam ad singula membra distribuuntur; videant si sapiant, quoties mutentur intus assumpta tum medicamenta tum alimenta, si naturalem crasin servaverint antequam ad sanguinem pervenerint: Ad ipsorum qualitatum permixtionem satis abundanter nos dixisse supra arbitramur, ubi de calore & calido, item ubi de contrario contrariisque facultatibus: De digestione & aliis humorum præparationibus nihil dico, cum per se adeo manifesta sint, ut merito eas silentio involvere satius ducam, quam inaniter scriptis nostris interserere.

## *De reserandis Obstructionibus.*

DE obstructionibus quas in febribus putridis primas tenere arbitrantur tam Dogmatici quam Iatrochemici, non modica est difficultas, nam crassitiem & coagulationem quibus fit obstructio non à se, sed ab alio fieri manifestum est: à calore aut frigore statuunt Dogmatici, Jatro-chemici à spiritu salis alimentorum: qui à calore aut frigore obstructionem fieri dicunt, per contrarium incedunt, qui à spiritu salis, per simile. Quibus addo virtutem seu rationem seminalem, in ipso tamen sale, tanquam in proprio domicilio hospitari: solvere ergo obstructiones atque vias ab infarctu crassorum & visci-

viſcidorum humorum liberare non eſt facile, cum his quæ incidentia & attenuantia appellant, ut ſunt acetum, ſyrupus limoniorum, ſyrupus acetoſus, de ſuccis citri granatorum, ſyrupus de bichorio, endivia, acetoſa, de radicibus oximelite tam ſimplici quam compoſita, quæ medicamenta opinione potius quam rei veritate comprehenſa ſanare videntur, coctis & præparatis humoribus, & obſtructis vel reſeratis meatibus requiritur purgatio.

## *De vera & legitima in Febribus purgatione.*

PEccantem materiam purgare idem eſſe ac morbum ſanare, qui non admittit, multiplici modo peccat: primo qui purgat & non tangit materiam peccantem, non modo non minuit morbum, ſed naturam inutiliter defatigando, morbo incrementum præſtat; natura enim nunquam victrix, ubi morbo inferior: ſecundo purgantia etiam, cum non tangunt vitioſam materiam, humores innoxios educunt, unde ſitis, ventriculi & omnium naturalium partium imbecillitas: tertio ubi cathartica inutiliter adhibentur, cachexhia inducitur, tranſpiratio inhibetur, & alia graviſſima ſymptomata: mitto inappetentiam, nauſeam, capitis dolorem, & alia multa annotata. Quapropter ad febrem purgandam omnino è corpore eliminari fugarive oportet, hoc vero præſtat multorum Medicamentorum ſeries, & hanc è triplici penu depromere ſolemus, verum quia omnes febres non uno eodemque modo curari poſſunt, expedit Medico ſingulas tartari ſpecies cognoſcere, ut unicuique peculiare & oportunum remedium adhibeatur, nec adhuc ſufficit peculiarem tartarum cognoſcere, ſed & locorum proprietates, nam alio modo pellitur tartarus ventriculi, alio modo qui in inteſtinis, jecore, liene, renibus, tandem qui in venis & carnibus. Qui in ventriculo generatur, facillime per vomitum ejicitur, tamen omnia vomitiva non ſunt ad hoc munus nec accepta nec tuta, terribilis enim eſt Hippocratis, & Galeni Helleborus albus, & omnes ſpecies Titimallorum, Acipon, ſive herba terribilis, gummi gutta, aſſarum, gratiola, de quibus in febribus non debet vel cogitare prudens Medicus, imo infinitis gradibus malitia & conturbatione corporis ſuperant non modo, ſed imo & exſuperant difficilia Antimoniata, & inter omnia antimonialia; ergo ſemper cum Euphoria uſus ſum pulvere emetico, floribus pulveris emetici, ſed ſoleo exhibere cum viginti granis Mercurij dulcificati, & ſemper uſus ſum cum multa laude, & ægrorum meorum recommendatione: vix vomitum excitare ſolet, niſi invenerit

rit copiam materiæ in primis viis, ſed qui velit feliciter uti, non debet eſſe ſegnis, neque inexpertus in operatione, nec delicatulus, ſed ipſe manum operi admovere debet, ſi prima vice non ceſſaverit, die tertio reiteretur, & etiam pro tertia vice interpoſito die; ſi quis interea velit uti aliis remediis, ſive Mineralium aut Vegetabilium, ut ego ſæpius etiam uſus ſum, juxta occaſiones & perſonas, per me licebit: diviſionem autem febrium hic data opera intermiſimus, cum non hic intendamus librum de febribus compilare, ſed ſuccinctum diſcurſum de diſſenſu & conſenſu indicationum chemicorum remediorum cum Galenicis, ſatis enim Elementariis notæ ſunt illæ diviſiones vulgares, alias eſſe in ſpiritibus, in humoribus & habitu corporis, alias eſſe continuas, remittentes, & inter continuas eſſe ſynochas, ſimplices, putridas; eſſe erraticas, ſingultuoſas, horipiloſas, anxioſas, laſſitudinarias, ſudorificas, bulloſas, ſymptomaticas, intermittentes: eſſe ſimplices tertianas, duplices, continuas; eſſe quartanas, duplices, triplices, continuas, & alias quas hic recenſere eſſet extra propoſitum. Mineralibus vero & Vegetabilibus remediis à me ſupra memoratis, uti poſſet prudens Medicus pro arbitrio: ſi vero quis cum vulgari methodo, tartarum in inteſtinis per alvum purgare velit, commodum in hoc caſu remedium erit Diaphoreticum Antimonij, cum cryſtallis tartari & diagredio chemicè præparato, ut reperitur in fine Crollij in methodo de pulvere: tartarus qui in viſceribus eſt, per ſpecifica curatur, & remedia his appropriata erunt Mercurialia multa in artialibus juncta: qui vero in ſanguine, per Philebotomiam, quod ſolum remedium juxta opinionem authoris etiam noſtri approbatum ad ſupplendas indicationes omnium febrium, ſed præcipuè ſymptomaticorum, qui in habitu ſive in carnibus per diaphoretica expelli debet, & ea erunt ex Vegetabilibus ſpiritus Tartari, flores ſalis Amoniaci, prudenter tamen illis utendum; Cinaberis Antimonij, Bezardicum minerale & ſimilia: & hæc eſt vera & legitima ratio purgandi in febribus, tamen ſæpè ad univerſale quoddam deveniendum, quod omnes indicationes Medicas una vice ſolvere poteſt, & in omni febre tuto exhiberi, maximè ubi ignotæ ſunt peculiares tartari ſpecies, impoſſibile enim eſt ſingulas ſpecies niſi longo tempore & uſu cognoſcere. Deſcriptio autem illius univerſalis remedij, reperitur in Commentariis, tum in libro Elementorum Philoſophiæ Pirotechnicæ è Gallico ſermone traducto, & excuſo apud Joannem Piot è Regione Collegij Cameracenſis, apud quem etiam reperietur Philoſophia mea Pirotechnica, tū liber de natura ſalis qui inſcribitur *oblatio ſalis* ſeu *Gallia lege ſalis condita*, ad Eminentiſ-

nentiſſimum Cardinalem Richelium dedicatus originem veram, æquitatem, tum ſucceſſionem legis Gallicæ demonſtrans, inſtitutore & authore Deo, & ab ipſo divino & non humano jure populo Gentis Iſraeliticæ impoſitam, qua Regiam dominationem in ſola ſtirpe maſcula traductam agnoſcerent, & ad poſteros pro aliarum gentium exemplo & regnandi modulo transfunderent, ſed præcipuè ut ad bellicoſiſſimæ Gentis Gallicæ regnandi formam quaſi ad totius orbis Galeam eam reliqui orbis incolæ annecterent, ut ad illorum mores, genium, & dignitatem illuſtrandas plurimum tribuens: quid enim magis rationi conſentaneum eſſe poſſit, quam ut gens illa quæ in perpetuo Martis campo verſatur, Ducem aut Regem habeat maſculum, ſuper totam gentem æqualiter dominantem, & perpetuo ſalis fædere ſancitum, & qui ſub ſe ſupremos, tũ mediæ ſortis officiarios habere debet, qui ditiones, dominationes, & terras ab inimicis aliquando devictas, feudali tamẽ, hoc eſt militari jure, & lege ſervitiorum militarium inferiorum ſortium militibus, qui nempè jura iſta ſolvere poſſint, oneratas diſtribuere poſſit, & ex iſto onere mos iſte, ſeu lex feudalis & ſalica orta eſt, ut ſucceſſor talium dominationum, fidei & ſervitij teſtimonium Domino ſuper ſe quaſi ordine militari conſtituto reddere, pœna amiſſionis feudæ in notam perpetuæ dominationis teneatur, addita conditione, ut ſingulis ditionibus hæredem vel caput maſculum non fæmineum fædere ſalis ſtabilitum, pro jure militari perſolvendo aptiſſimum Duci vel Regi relinquat. Nec enim voluit Deus hanc legem inter Reges & ſubditos aliter ſtabilire, quam qualem inter ſe & Reges Vicarios ſuos ſancire decreverat, per illam enim ſubditi & ſervi, & ſtipendiarij dominis ſuis pœna conficationis feudæ agnoſcuntur, per hanc autem Reges à Deo ut à domino ſolo coronam & ſceptrum poſſidere pœna amiſſionis & ad proximum hæredem tranſlationis teneatur, inde illud edictum *per me Reges regnant*, & per hanc legem Abigalium Filius Roboami, qui fuerat Salomonis, qui fuerat Davidis filius, injuſtam decem tribuum prævaricationem à domo Davidis, in domum Jeroboami, exprobat decimo tertio Paralipomenon ſub initium, argumento ſumpto à lege ſalica, per quam probat Regnum Iſraeliticum fuiſſe Davidi & ſoboli ejus maſculæ fædere ſalis, hoc eſt æterno fædere à Deo ſtabilitum, & lege ſalica conditum: ſal enim ubique pro ſymbolo ſtabilitatis in ſacris literis exponitur. Hæc ergo pauca de lege ſalica à me pro Epilogo hujus operis tradita ſufficient, nec enim tam incongruè hoc in loco memorari hanc legem videtur, cum ſal ipſum ſtabilitatis hujus Philoſophiæ, quæ ſuper ſtabilia & radicalia Elementa fundatur, ſimbolum eſſe videtur: nec me pigebit, ſi inter tot præclara inge-

ingenia quæ hucusque de origine legis Salicæ inutiliter sudarunt, primus dicar, qui pro istius institutæ legis origine, à Deo solo Rege Regum in domum Davidis fædere salis sancitæ, jam ante paucos annos probabile, immo forsan demonstrabile adduxerim, pro qua plura etiam & præclariora producturus essem si aliter quam per transennam de Gallia hic mihi esset dicendi locus, pro qua tamen concludam: Dicendo istam legem ad illorum mores, genium & dignitatem illustrandas plurimum conferre quæ cum supra omnes nationes origine, virtute, civilitate, educatione, emineat, ita etiam legis origine & successionis masculorum, ab exemplo Regis Regum supereminet: solennis est enim & quotidianus omnium gentium consensus, Galliam totius orbis esse compendium, in qua ingeniorum miracula, exempla doctrinæ, civilitatis, belli pacisque & eruditionis munera elucescunt, illic enim homines, alibi (hoc est inquam in plurimis aliis nationibus) umbras hominum esse & sapere, alibi corpore, illic animo vitam instituí atque æstimari, alibi terram, illic cælum Sole suo & syderibus illustre corruscans, esse affirmatur; quæ omnia ego Peregrinus non ex sola relatione, sed quadraginta annorum assidua conversatione (quamvis ut nunc longe ab illorum limitibus aberrem) didici, & per quam parem gratiam, honorem dignitatem, emolumentum inter ipsos nactus sum, ac si indigenatum jure natalitio meruissem; ad quem dignitatis gradum quilibet Peregrinus modeste inter ipsos vitam transiens, facile ascendere cernitur. Interea vive præclara Gallia, & avitam tuam virtutem retine, ut sis semper Hispanicæ superbiæ & ejus Inquisitionis execrandæ acerrimus vindex, Europeæ libertatis, & oppressorum principum Asylus perpetuus, & omnis tyrannicæ gubernationis tremendus averruncator, diuque piis meis votis servitia mea non imparia addere voluerit ille immensus mundi faber,

*Hæc tibi tantisper patere submissa libello,*
*Immemores ne nos esse querere tui.*
*Pauca quidem fateor, sed dij dent plura rogamus,*
*Multiplicentque suo vota favore mea.*

Hæc finiebam decimo quinto Septembris Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, ætatis meæ currentis sexagesimo quinto super ripas Vistulæ, dum Magnanimus Joannes Casimirus Poloniæ & Succiæ Rex Potentissimus, Dominus meus Clementissimus, perfidiam armorum Suecicorum obsidione Thorunensi per invictissimum generosæ gentis Polonæ exercitum castigabat.

*Deo immenso, Patri, Filio & Spiritui Sancto, sit laus, honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen.*

*F I N I S.*

# TOTIUS OPERIS
# ADUMBRATIO.

In qua Hypotheses Physiologicæ profundiorum & insuetarum locutionum sensus, æquivocationum & synonimorum denodationes, indicationes diagnosticæ, & leges curativæ juxta authoris & Hippocratis mentem expanduntur:

*Per quas singuli affectus humani corporis per Medicamenta è Vegetabilium, Animalium, & Mineralium familiâ desumpta, & pleraque juxta Chemicorum modum præparata, legitimum finem sortiuntur.*

Operâ & studio illius qui sub sequenti Anagrammate nomen exponit.

sI VIVVs ILLe MVnDo saLVs.

*Prævisa valent.*



# ADUMBRATIO TOTIUS OPERIS.



Deam Philosophicæ Medicinæ proposuit Nobis Author noster, fundamentaque collocavit, sed quia Philosophiæ suæ Physicæ institutiones (quæ prorsus ab illis, quæ in scholis vulgaribus traduntur, alienæ sunt) & documenta nulla reliquit, unde doctrinæ suæ principia hauserat, unusquisque ex Peripateticis notionibus, quid de alienis sibi incognitis censendum esset indicabant: idcirco sannis & ridiculis legentium interpretationibus exposita mansit. Huic igitur defectui ut mederer, Methodos, quibus triumphabat præteritum seculum, crebra antiquitatum authoritate stabilitas quæsivi, arbitrabar enim cum authore totius naturæ hodiernum lumen, quod totum contemplativum, aut disputatorium evasit, & resolutioni Chemicæ è Diametro oppositum, in illis non fuissé exhaustum, sed adhuc in illorum sapientiæ thesauris scintillas seminum crebras adhuc fuisse relictas: proinde Platonicorum & veterum Philosophorum scripta penetravi, & cum non modico labore authoris fundamenta, super quæ Ideam Philosophicæ suæ Medicinæ stabiliverat, deprehendi, & ad usum Scholarum reduxi, ut unusquisque principia authoris super quæ doctrinam suam promulgaverat, prius addisceret, & super ea de authoris doctrina judicet, ne authorem hunc antequam Chemiam resolutoriam, veterumque Philosophorum Physicam & Metaphysicam addiscat, per librorum Titulos injustè condemnet, & juxta sua somnia judicet, sed hypothesibus indubitatis, observationes accommodatas adjungat, & tunc ad Philosophicæ hujus Medicinæ fundamenta descendat: In hanc igitur gratiam, breve systema Metaphysicum & Physicum demonstrationibus Euclideis non absimilem in fronte hujus operis promulgavi, constans ex principiis primis, veris, & causis conclusionum, ad quæ redire hoc in loco, esset aquam Oceano addere: tantum hoc dicam, frustra operam daturum aliquem, aut in hujus operis specie elaboraturum, nisi ab initio ad finem percurrat: nam more Euclideo, definitiones, divisiones, axiomata perpetuæ veritatis stabilivi, ex quibus Propositiones demonstratas deduxi, ut post proba-

probationem axiomatum vires retinerent, & ſicut ab elementis primis incipiendum erat Methodo Synthetica, ut propoſueram, ita ab unitate in multitudinem unitatis participem progrediendum erit in primam multitudinem, nempe finem, & infinitam potentiam, eaſque in ſeptem ordines Entium, quæ elementa Metaphyſica vulgo dicuntur, diſtinguendo, nempe in Ens creatum, ſeu primum mixtum Metaphyſicum, unde progredi demonſtratur eſſentia, à quâ vita, & unde intellectus, à quo mundi anima, ex quâ forma ſpiritus, ſeu natura, & ex omnibus materia prima Phyſica progredi & limitari cenſetur, ſingulis iſtorum ordinum, præcognita antecedunt continentia, omnia ad demonſtrationem rei ſuſceptæ neceſſaria: demonſtrationes propoſitionum data opera omiſi, quia in libro meo latino qui dicitur *Philoſophia pirotechnica*, tum Gallico, qui dicitur *les Elements de la Philoſophie de l'art de feu* apud Joannem Piot Typographum, aut ejus hæredes è regione Collegij Cameracenſis Pariſijs reperientur. Poſt iſta præcognita, de ſubjecto in cujus gratiam præcognita iſta emulgata ſunt tractatur. Poſt ordinem Elementorum radicalium, ſequitur ordo ſeptem ſeminalium rationum, quæ aſtra ſæpiùs ab authore noſtro vocantur. Hunc ordinem ſequitur ordo ſeptem concretorum elementorum, ex quibus corpora mixta Phyſica & primum ſubjectum Analyticæ Methodi, qua per reſolutionem chemicam reducimus multitudinem diſperſam (aſcendendo denuo ad cauſam,) in unitatem exemplarem, ſuæ multitudinis participatam. His igitur præviſis ad Authoris indicationes curativas & fundamenta ſecunda Medicinæ Philoſophicæ jacienda deſcenditur, & quia turpè æſtimat Author ex ſolis aliorum Vigiliis, laboribus & obſervationibus, noſtræ ſocordiæ & ignaviæ patrocinia quærere, (niſi aliquid uniuſquiſque ex ſuo promptuariò ſucceſſoribus ſuis reliquerit) multa hic inſuper tractat, quæ ad rem medicam elucidandam, non deſtruendam valere poſſunt, & quamvis diverſis principiis innitantur quàm vulgaribus, tamen à moderato aliquo judice facilè in conſenſum redigi poſſunt, quo ipſe inter alios ſectæ rationalis alumnos annumerari, ſi non triumphare jure merito poſſit, neque enim diagnoſi & indicationibus Galenicis (quas alias ſatis acerbè proſequitur) locum recuſat, neque univerſas ejus medendi leges, longa conſuetudine receptas extinguere, aut demoliri arbitratur, ſed errores corrigere, & medicorum induſtriam excitare, & ad naturæ, & proprietatum rerum inquiſitiones contendere invitat, & magnorum morborum ſi non beneficio extra-ordinariorum remediorum curatores videri velint, ut ſaltem probo uſu vulgarium remediorum adulatores

tores maneant : nec propter modestum hoc consilium irasci quenquam optarem, eo usque ut magna volumina ( non contra variarum sectarum discrepantium doctrinam quæ laudabilem aliquam excusationem admittere potest) conscribant, nisi etiam contra personas, quasi cum larvis, & umbris bellum indicarent , terram & Oceanum hystoriographorum peragrant,ut sciant quo jure Chemici,quos illi Paracelsicos vocant, Hermetici nomen affectent , & an Paracelsus fuerat Magus nec ne, & an Ruspescisca fuerat à Monachis vi detentus , quia sub umbra Philosophiæ Chemicæ, prophetias voluerat edere : idem de Basilio Valentino,etiam de Authore hoc Severino Dano, quod peste in Holstenio grassante satis in juventute cesserat , non obstante Medicinâ sua universali : dolendum est tales homines salaribus aut munificentiis Regum & Principum frui , ut nugis istis chartas suas impleant, quæ potius experientiis multis, iisque Chemicis ditari debent , quæ principia sensibilia (quorum tantus est defectus) suppeditare possunt, & artem inde stabilire, quæ à ratione postea perfici postulant: tales in Praxi Medica veri simile est , non multum esse versatos , nam si horas istos legendo Plinij Aniles fabulas, & Diodori Siculi , & Herodoti prolixas historias , in praxi Medica aut discenda Chemia consumerent,utiliorem multo operam & uberiores fructus successoribus relinquerent, nec aliorum laboribus , qui in amplificanda tam Theoria, quam Praxi, tam necessariis invideant , aut juvenum ingenia,medicis artibus destinata , à tam utili labore absterreant: judicij enim libertas, naturæ lumen , discernendi, amplificandi artem , homines hominibus eripere non debent,tali etenim libertate ipseGalenus contra Empyricos suos Præceptores usus est , imo ipse ab Hippocrate in toto opinionibus , & à doctrina Hippocratis recessit , quot facilè aliam sectam à Galeno diversam constituere potuit , tamen si recte animadvertendum,cum divortio isto nullam novam affectasse sectam visa est hucusque vulgarium medicorum cohors : eodem pacto multi graves homines,ut erat Sanctorius à Sanctorio qui nobis per utilem sectam staticam in Medicinam introduxit, vel renovavit,propterea nec à citu Medicorum rationalium excludi debent, quid non adferunt novi hodierni plures Anatomici scitu quàm necessaria? an propter ista à Doctorum hominum numero excludi debent, exinde arbitror multas alias sectas,hystoriographorum scripta,propter bella,pestes, incendia, inundationes evasisse , quæ si hodie existerent , utilissimam nobis præstarent opem & facile auxilium aut Rationali , aut Empiricæ , vel Methodicæ sectæ tribuerent , ex quibus tribus Methodica differre videtur toto

genere,

genere, à rationali & Empyrica. Empyrica vero à rationali, quod hæc experientia, sola utatur relicta ratione, non quod rationem improbet, sed quia resolutionibus Physicis, quæ ex Chemica resolutione dependent, aut indicationibus Diagnoseos, quæ speciem affectus indicant, omnino destituantur. Inter rationales senex ille parens Medicinæ antiquissimus erat, quem secutus in multis est Galenus, uterque natione Græcus, eandemque sectam profitebantur, quamvis diversis innitebantur Physiologicis principiis: senex enim super veterum Philosophorum sui temporis dogmata, nempe Democriti, Leucipci, Anaxagoræ, & cæterorum totæ Medicinæ Philosophiam, ut hic fundabat. Galenus vero Aristotelica serie ubique innititur, tamen seni ubique plus tribuitur quam Galeno, qui inductionibus pro Oraculis infallibilibus, insinuationibus pro cogentissimis rationibus, amænitate dicendi, quam demonstrationibus homines ita circumscribere conatur (ut refert Hurnius) ut nos quidquid velit persuadere sinamus, cujus insufficientiæ addendam fuisse linguæ astutiam, satis intellexit. Divinus autem senex signis, id est fulgentibus veritatis armis, rem ipsam aperit, & volentes nolentes, ut hic Author, in suam sententiam, ut veritati manus tradamus, rapit. Hanc sectam apparenter unam, sed diversis principiis innitentem, ut de Medicis taceam, præcessit Empyrica, ad cujus descriptionem descendere hic non statuo, cum passim ex Galeni & aliorum Medicorum relatione satis cognoscuntur. Hos duos Græcos secutus est tertius Romanus, Cornelius Celsus, qui rationalem sectam omnino sequutus est, & Græcum suum parentem & Medicinæ summum dictatorem Hippocratem sequutus est: Is inter Latinos Hippocrati & sermonis elegantia, & ingenij acumine, succedere merito apud quam plurimos tenetur: hi vero tres, quamvis rationales esse teneantur, & multi qui ipsos sequuntur, omnium tamen rerum, tum ad Phisiologiam quam Therapeuticam maxime pertinentium rationes non inquirebant, nec callebant; ex quorum defectu sagacioribus ingeniis & veritatis indagandæ avidis, inter Hippocratem & Galenum diversæ sectæ numerabantur, ut erant Asclepiades, Archigenes, Herophilus, Diocles, Erasistratus: quibus tamen Hypothesibus usi sint in occulto est, quamvis omnes sub Empirico nomine nobis exposuit Galenus, & pro præceptoribus suis recognovit. ille interea, ne ipse Empiricus videretur, nolens vagam & incertam aliorum hypothesin sequi, principia & demonstrationes suæ artis constituit Aristotelis principiis innixus: itaque omnia oriri dixit ex quatuor elementis nostris vulgaribus, eaque certis ponderibus misceri symmetriam mixtio-

mixtionis, sanitatis productricem, ametriam morborum & mortis, ita ut rerum omnium virtutes & actiones ab Elementis prodire, & formam specificam ex certo elementorum congressu derivari, contraria contrariis, calidum frigido, humidum sicco curari, secundas ex primis deduci, quatuor humores elementorum qualitatibus primis & secundis insignitos, ex quibus compendiosa subtilitate, morborum symptomata, causas, curationes deduxit: hac facili arte allecti plures, neglectis aliorum placitis Galenum Medicinæ Monarcham constituerunt. Cui Arabes novas adjecerunt observationes & remedia Galeno incognita, sed succedente ætate, nova morborum cohors surrexit, quæ tandem magnas in medicina pepere controversias: itaque Galenici dum morborum causas & curationes ex Galenicis principiis eruere conarentur, Paradoxi morbi Paradoxos medicos peperere. Fernelius ad totam substantiam confugit, vel proprietatem occultam, sed principia Galenica & curandi leges retinuit, & istos morbos occultis remediis Empyricè curandos statuit. Qui plures Medicorum sectas inquirere velit, legat Plinium & historicos: quod ad altiores Philosophos & Medicos, qui diuniori artis origine, potentioreque medendi ratione usi sunt, quia mortalium consuetudine neglecta, solitudines quæsiverunt, & famæ popularis egregij hostes erant, illi commentaria reliquerunt, sed propter obscuritatum & ænigmatum scabritiem, quibus repleta fuere, famam in totum amiserunt, & historicorum Annales effugerunt: semen nihilominus immortale reliquerunt. Talis fuit Theophrastus ille Paracelsus, Author putatitius plurimorum & diversorum voluminum, quæ sub ejus nomine exponuntur, nostris temporibus universam Medicinam immutavit, Elementorum naturas diverso modo exposuit, generationum ac transplantationum doctrinam clare proposuit, morborum generationes & transplantationes aliis Mæchanicis, hoc est artificiis adscripsit; repudiata humorum familia, horum loco metalla & mineralia introduxit, corporaque omnia ex Mineralibus constare authoritate mundanæ Anatomiæ, hoc est Analyseos, demonstravit, indicationes curandi novas planè adjecit, & cœtus omnium Medicorum, inexpectata hac artis innovatione, tædio, pœnitentia, ira & confusione replevit. Quis autem fuerat ille Paracelsus ex operibus ejus nescitur, neque ejus defensionem cum authore suscipere studeo, cum opera illa quæ circumferuntur sub ejus nomine, habeant multa bona mixta malis, contradictoria, falsa & oscitanter edita, inconnexa, plurima scelerata, alia impossibilia, ut facilè sit judicare ex malis eum non extitisse bonorum autho-

rem, nec ab uno authore fuiſſe edita, ſed à plurimis, aut ab aliquo Chemicæ doctrinæ amatore, tunc plurimarum ſcedularum alienarum, ſimilium collectore, & in unum faſciculum confuſum compilatore, & poſt mortem è vernaculo in latinum tranſlatæ, inter quæ fuerant multa à doctiſſimis illius ſæculi hominibus certo certius ſcripta quæ ab ipſis authoribus vix fuiſſent propter modeſtiam expoſita, aut quia nolebant in alieno agro metiri, aut in primam glaciem irrumpere, & quia in omni novitate non dico Philoſophica, ſed reſolutoria, unuſquiſque facilè ad correſpondentias & ad mutua commercia currit, interea ſpes alit artificem, & larga ſequuntur promiſſa, ſed longiores & incerti ſequuntur promiſſorum affectus, interea æſtuant ſingulorum ingenia, & unuſquiſque acumen ſuum per ignem in opere promiſſo obtinendo exercet, & locus ubi iſta conventicula fieri ſolent utplurimum in laboratorio aliquo Chemico conſtituuntur, quia fornaces habent conſtructas, & facilè diſpendiis magnis occurritur, nam ſapientes aliorum expenſis volunt inſtrui, ita quæ legunt, quæ ut plurimum vana ſunt, credunt ſe feciſſe, hoc modo cum aliis præſentibus conferunt, aut beneficio literarum inventa revelant, aut abſentibus communicant; & inter tales certiſſimum eſt multos eruditos eſſe: interea ſi ipſa res optata non acciderit, aliquid ſemper labore dignum invenitur, & ſic in ſimili commercio plurimorum ſententiæ, conſilia & inventa reperiuntur, & poſt mortem quæruntur, ubi relicta fuerant colliguntur in confuſum faſciculum, & omnia ſub unius nomine, qui de rebus iſtis nunquam forſan ſomniaverat, exponuntur: & veriſimile eſt poſt Paracelſi mortem, ſcedulas multas fuiſſe repertas in ejus Muſæo, ſi quem habuerat: hujus tamen fama per totam Europam ſparſa, eruditos homines ad iſtam provinciam colendam accerſivit, inter quos Severinum Danum omnium Chemicorum Coriphæum, tum medicinæ rationalis ſummum alumnum amplexa eſt, qui chemicæ artis tam eximiæ reſarciendi neceſſitatem ſparſim in toto hoc opere demonſtravit, & tribus modis ſuppellectilem Medicam ſupplevit & adauxit, Phiſiologiam quippe Hippocratis & veterum Philoſophorum in æterno ſepultam reſuſcitavit, introducendoque Chemicam Analyſim adauxit, & rationalem ſectam perfecit, & denique potentiſſimis mineralibus, quorum uſus horrori prius & execrationi erant relicti Empiricis & Charlatanis, nunc in aulis Regum & Principum pro deſperatorum morborum antidotis facilè primum locum tenent: proinde ut clarius unicuique conſtet, quibus remediis ſectam rationalem amplificaverat, in medium adferam ea quæ vel ex mineralium familia

ſunt

ſunt arte chemicâ inventa, & analyſata, elaborata, vel ex animalium & vegetabilium familia, ſi non inventa & in uſum poſita, ſaltem arte chemica correcta, exaltata, & in uſum tutiorem reducta fuere: nec miretur hic quiſquam ſi integram Medicinæ ſuppellectilem loco hoc non adduxero, ſufficient ea quæ pro difficillimis affectibus à veteribus vel ignota fuere, vel non elaborata, vel in praxim non reducta, nec obſervata, ſed pro venenatis æſtimata, aut potius ſuſpecta; & terrore quodam panico, ſicut ſolent eſſe lemores infantibus, à medicorum cognitione & uſu exulata: interea neque de ſignis morborum Diagnoſticis, nec de ſpeciebus affectuum corporis humani me aliquid ſcripturum pollicebor, quo me Inſtitutionarium appellari cuperem, non enim mihi mens eſt inſtitutiones Medicas edere, ſed ea quæ fundamenta prima phyſices Severianæ illuſtrare poſſunt, tum æquivoca & ſynonima vocabula authori familiaria diſcutere, & generalia duntaxat remedia morborum, eaque non omnia, ſed mineralia, aut à mineralium cultoribus arte chemica præparata, & ante ducentos aut trecentos annos introducta ab Hippocrate, Galeno & Cornelio Celſo amiſſa & ſed deinceps à Severino Dano & celeberrimis hujus ſæculi medicis exculta, admiſſa, laudata, æſtimata, & ad rationalis ſectæ Theoriam applicata. Et quamvis ſanari remediis Galenicis morbos nonnullos author non dubitat, tamen eam non eſſe perfectam ſanationem affirmat, quia ſuper prava baſi materiæ Ariſtotelicæ, tum primarum qualitatum indicatione, tam Diagnoſtica quam curativa innituntur, dicitque omnes iſtas calefacientes, refrigerantes, humectantes, exſiccantes, abſtergentes, incidentes, attenuantes, incraſſantes, reſtringentes, attrahentes, imo purgantes, corruptibiles ſpecies eſſe, incertas, & ſæpè venenatas eſſe, quia qualitates iſtæ fundantur ſuper falſa hypotheſi qualitatum vegetabilium, animalium & mineralium, quorum qualitates nullis potefieri poſſint, niſi quibus chemica reſolutio quæ fit per illorum Analyſim, quam hic Author Anatomiam vocat, prius pateat, quamvis benigna fælicioris naturæ interna, Solis, mumiæ & balſami fruantur, aut participent, quæ tria vocabula ſunt æquivoca aſtris & ſeminariis rationibus, ſive latentibus in elementis radicalibus potentia, ſive explicatis in corporibus concretis, & dicit hoc eſſe balſamum, ſemen, elementum, de quo dicebat Ariſtoteles ſecundo de generatione, fuiſſe *ſpiritum reſpondentem elemento Stellarum*, & dicit balſamum hoc, elementum, Semen, & Mumiam, eſſe fundamenta totius Medicinæ: de hac materia refert Galenum nil ſcripſiſſe, quamvis aliquando totius ſubſtantiæ mentionem faceret. Fer-

nelius palam fatebatur, in errore verſari illos, qui omnium actionum cauſas primis & talibus manifeſtis adſcriberent qualitatibus, quas ille non ad manifeſtas, ſed ad occultas reducebat: qui tamen ejus proprietates inquirere velit, magna antiquitatis authoritate confirmabitur, dicit enim illam eſſe naturam in qua ſeminariæ rerum rationes deliteſcunt, & vocat Author quintam eſſentiam, quia quintum locum occupat ab ente creato, in Sphæra entium radicalium, nempe diſtantem quarto ordine ab ente creato, ubi collocatur forma, ſive animæ proxima progenies, & adducit Hippocratem hujus elementi teſtem, in libello de antiqua medicina, repudiando illorum Hypotheſes, qui omnes primis qualitatibus morborum cauſas & curationes adſcripſerunt: textus illi tam noti ſunt, ut hic inſerere vanum eſſet: dicit ergo magnas mutationes non fieri ab iſtis qualitatibus, ſed à Cherioneis qualitatibus, à poteſtatibus nempe internis, quæ potentia nempe latebant adhuc in ſuis cauſis: hunc autem fæcundum naturæ theſaurum ille qui author eſt illius libri, qui ſub Paracelſi nomine differtur, vocavit balſamum, Mumiam, Mercurium, quintam eſſentiam, arcanum, elixir, materiam perlatam, Mannam, quæ vocabula omnia ſunt Synonima rationibus ſeminariis repertis in tabula Entium radicalium, & dicit Platonicos conſideraſſe continuitatem hujusmodi cum Archetypo, in eoque deprehendiſſe materiam quandam fæcunditate rationum, ab anima mundana conceptarum gravidam; cujus miniſterio explicarentur, ac ſtatis temporibus prodirent, hoc eſt progrederentur quæcunque in ſinu ſuperioris naturæ quieto ſilentio antea continebantur, & dicit ſeminalem naturam fuiſſe illius ſeminis conſervatricem & propagatricem cauſam: rectè igitur Theophraſtus Græcus hanc naturam vitale naturæ principium appellavit, & qui cæteris omnibus elementis vivendi facultatem ſuppeditat, & quod magis eſt, ipſe Ariſtoteles Præceptorem Platonem à complexionibus qualitatum Ariſtotelicarum abſolvit præter omnem Galeni exſpectationem, quod & ſpiritum vocat, ob miram agendi velocitatem & ſubtilitatem, imo rem iſtam unam eandemque ſpiritus & corporis appellatione donavit: quaſi diceret ſpiritalia corpora & corpora ſpiritalia Hippocrates, quia in hoc corpore saporum inſignes cernebat differentias: ex eorum familiis mutuatus eſt dulce, amarum, acidum, acerbum, & omnis generis, & talia corpora dicit eſſe valida poteſtate prædita, & dicit ſecretiores Philoſophos ſeparaſſe hanc naturam à natura elementorum concretorum, & in ſingulis rebus, quæ elementorum concretorum ſinu foventur, contineri ait naturam quandam radicalem vitæ principium,

pium , actionum fontem , fæcunditatis authorem , generationum, transplantationum, omniumque naturalium actionum moderatorem , & dicit herbarum balsamum non in alimentario humore quo perfunduntur delitescere, nec in crassis sordibus, sed in excellentiori quadam humiditate, externis injuriis resistere solet: in hac dicit rosam hyeme habitare, & universam plantæ œconomiam perfundere, & dicit, qui hujus corporis conditiones scire velit, debere consulere authores rei rusticæ, & fatebitur in hac materiâ universæ naturæ fundamenta contineri , quam vocat ut prius æquivocis istis vocabulis, sulphuris & Mumiæ , nec sufficiunt inquit nomina ad tam divitis naturæ dona declaranda , & dicit hoc esse innatum illud calidum, quod in crescentibus plurium pronuntiavit Hippocrates, & dicit Galenum mentem Hippocratis non assecutum fuisse in concretorum & abstractorum subtilitate, affirmans calido abundare adolescentes, non calore. At Hippocratis innatum calidum æquivocum plane est, si cum calore & reliquis elementorum Aristotelicorum qualitatibus comparetur, tantum abest, ut ex commistione Phantastica quatuor elementorum concretorum originem suam deducere velit. Sed è contra Elementis istis concretis originem dat, & huic lithurgiam, hoc est quotidianum officium agendi totius animalis adscripsit. Interea dicit balsamum hoc animale universam corporis Anatomiam, hoc est Analysim, aut partes occupare, itaque si partes occupaverit mobiles, motum, si sensibiles, sensum, alibi concoctiones, excrementorum separationes, alimenti distributiones regit & temperat : Quod si vivendi errore noxium aliquid Provinciam occupaverit collectis viribus hostem agredietur, fortiori vero hosti provinciam suam occupanti multa prius moliens succumbet, Medicorum frustra implorata ope. Præterea dicit hoc esse balsamum, quod pro sale corpori datum est, ne putrescat, & dicit esse Mumiam balsamitam conservantem mortale corpus à vermibus, & dicit mineralium classes validissimum balsamum obtinere. Itaque perfecta quædam individua hic absolvi, quæ copia & puritate balsami munita annorum longa serie senectutis incommoda non admittunt, vivunt quoque quamvis corporum compedibus implicata, vitales actiones depromere non possunt, nisi in actum reducantur, & dicit quæcunque Saporum & Odorum valida facultate prædita sunt, dici non possunt mortua, & quæ manifesta vita fruuntur, ex iis componi videmus quæ occultè quondam vixerunt , & hactenus in plantis , animalibus & mineralibus vitale hoc semen inesse demonstravimus, omnium actionum fontem & principium, in quo omnis omnium morborum

borum medicina viget, & debita separatione separatur. Et dicit arbitrare multos, hanc materiam seorsim haberi non posse, quia spiritalis, invisibilis & occulta est, rationi magis, quam sensui subjecta & ex hoc quod corporis & materiei appellationem huic naturæ accommodatam videant, conquerentur multi universam prædicamentorum doctrinam confundi, & turbari, qualitatibus substantiarum nomina magna temeritate accommodari, abstractorum & concretorum discrimina negligi. Itaque naturam hanc spiritualem esse dicentes, rectè sentiunt, quia impressiones validiores, velociores exprimunt quam fugæ, vel volatilitatis spirituum & corporum discrimina conficiunt, sed sciant reciprocam esse horum naturam ex spiritibus corpora produci, & rursus corpora in spiritus resolvi, ita spirituum esse magnam latitudinem, ita ut inter se collati spiritus crassiores, corporis appellationem meritò sortiri possint, & corpora similiter penetratione & alteratione vigentia, crassioribus collata, spiritus nominentur, & dicit hanc materiam non solum esse spiritualem, quam in materia herbarum, animalium, antea & mineralium contineri dixerat; sed etiam cœlestem, & quod multis mirum videbitur, astra nobiscum habitare, & leges suas conservare: rursus dicit invisibilem non esse, quia nuda mortalium cætus non ingreditur, sed vestimenta habet, quibus se tuetur ab inquinato mortalium intuitu. Et dicit, granum quod terræ committitur putrescit, sed radicalis humiditas servatur in quantotius seminis Anatomia, hoc est Analysis viget, novaque resolutione in mundanam scenam progreditur, & corpus novum sibi fabricat, officiis destinatis accommodatum; & hucusque adumbrantur, & quæ ab initio tribus primis Capitibus continebantur. Sūmma autem Capitis quarti est de universali remedio, & probat ab Analogismo Macrocosmi & Microcosmi, Anatomiam Macrocosmo accommodari, eaque dicit elementa constituere humanæ naturæ consentanea, in quibus semina foveri, planetas in corpore distribui dicit, stellas similiter planetarum, naturas imitantes, imo & motuum leges & statas temporum vicissitudines haberi, sua novilunia, Eclipses, aspectus humanæ Astronomiæ, & suos effectus, & dicit fulmina, tonitrua, grandines, pluvias, calores, frigora, siccitates, quæ in mundana Anatomia fructus sunt, Elementi ignis & astrorum, in nobis esse febres, Epilepsias, Hydropes, Catharros, Paralyses, Apoplexias, addidit etiam aerea astra in nobis habitare, similesque affectus producere, quamvis languidiores: rursus aquarum generationes in homine declarat, aurum, argentum, stannum, ferrum, plumbum, Mineralium separationes,

tiones, Lepram, Elephantiasin, Alopeciam, Pruritum, Scabiem, Morpheam, Cancrum, quam Æstiomenum nominat & quod alibi vitriolum, alumen, nitrum, salgemmeum, colchotar, tartarum dixit. Terrestrem etiam œconomiam adjungit, urticam, flammulam, pustulas, pruritus, herpetes, melissam, violas.

## CAPUT V.

### *De elementorum conditionibus & officiis agit.*

INprimis ne quis æquivoco nomine Elementi decipiatur, sciendum authorem nomen elementi variè in hoc opere uti solere, & primo pro elementis Metaphysicis, quæ sæpius ab ipso reducuntur ad vitam & essentiam, & quia quid sit vita aut essentia, petere videntur principia, idcirco propter veræ Metaphysices defectum à me extenduntur elementa Metaphysica, & qualia sunt ab ente usque ad materiam explicantur. Singula suis ordinibus & agendi & patiendi gradibus, in septem ordines distincta, & dicit esse *custodes, loca, matrices, & domicilia*, hoc est causas procrearrices effectuum post se, in quibus tanquam Abyssis & causis delitescunt semina (sed etiam unumquodq; continere subsequentis effectus causam asserit) ita literæ sunt syllabarum, syllabæ vocū, voces orationum, sunt elementa: ab istis vero Metaphysicis elementis cum vero, uno & bono congruentibus, oriuntur alia elementa seminaria, quæ partim Metaphysica, partim Physica perhibentur: ab his oriuntur pura & sensibilia Physica elementa septem, ut ex tabula entium radicalium videre est, ex quibus elementa Medicinæ Physiologica deducuntur, quæ à peripateticæ doctrinæ cultoribus vocantur sanguis, pituita & utraque bilis, vel calidum, humidum, frigidum & siccum: & non immerito forsan reprehendit segnitiem medicorum Author hic, quod ista elementa non ex proprietatibus rerum subjectarum, tam opportunè proposito convenientibus, & officiis naturæ particularibus, ejusque explicationi servientibus sortiantur, nominum enim mutationes & metamorphoses leges naturæ sequuntur, sicut modus operandi, modum essendi: imprimis haud rectè sequeretur, quod videantur vulgares medici ex accidentibus substantias constituere, contra omnem rationis & sensus vim, nec naturam bilis aut pituitæ ut debent explicant: nec absimili ratione facere videntur illi, qui bili & pituitæ summam vim in faciendis mutationibus attribuunt, ac illi,

illi, qui pixidi in qua Pharmacum ex pluribus simplicibus omnigena facultate præditis custoditur, virtutes pixidi & non Pharmaco conferunt: ait enim Hippocrates, in bile & pituita, sicut in terra, omnigenas facultates vigere: ita quando Hippocrates bilem & pituitam citat, non intelligit simplices humores, nempe puram bilis & pituitæ naturam, sed bilem & pituitam infinitis Mineralium, Vegetabilium & Animalium corporibus refertam. Hoc confirmat Averrhoes lib. 2 de animal. tex. 115. dicendo, pura elementa, quatenus sunt talia, non habere qualitates refrigerandi, humectandi, calefaciendi aut siccandi, quatenus sunt pura elementa, sed quatenus iis immiscentur infinita & omnigena corpora istis qualitatibus prædita, & hæc infinitis experientiis vera esse probantur, pura elementa & humores esse matrices, *loca & domicilia rerum, quæ fructus suos*, nempe corpora minutissima primo producunt, deinde in sinum impurorum elementorum inducunt, quæ qualitatibus primis vulgarium Philosophorum prædita sunt, & omnigenæ istæ facultates sunt mineraliũ innumeræ species, quæ proprietates suas animalibus & vegetabilibus conferunt, & officia bilis & pituitæ explicare debent: inferiora superiora explicant, & superiora inferiora custodiunt, & ita superiores naturæ absque inferiorum cognitione adipisci non possunt, & nisi species mineralium, quæ bili nomen imponunt, non cognoscerentur per Analysin Chemicam, fatuum esset aliquid debilis naturæ, quæ nomen inane duntaxat est, indagare.

## CAPUT VI.

### *Tractat de seminibus, Astris, Radicibus rerum, eorumque proprietatibus & differentijs.*

DIcit elementa & semina disjungi non posse, quia molis magnitudine non alligata, vitali potestate elementorum abyssis, hoc est infinitam potentiam elementorum radicalium penetrare non poterant, progrediendo tamen dimensiones omnes patiuntur, & locorum insuetis angustiis occluduntur, neque unquam convertuntur ad suas causas, nisi decretum esset vitæ, essentiæ, bonitatis vestigia universis creaturæ partibus adesse debere, horum enim ministerio generationes, transplantationes, & universæ lithurgiæ mundanæ Anatomiæ absolvuntur, & corpora ad infinitatem labentia retinent, ex his

his omnium actionum vigor & potestas, & mille dotibus omnia ornat, & sine his elementorum cognitionem adipisci non possumus, illa enim semina vel astra officia elementorum concretorum explicant, & rursus fructuum & symptomatum progeniem, hoc est corpora mixta declarant, Mechanicas progressiones, seminum & radicum proprietates: invisibilia tamen sunt, quamvis nobiscum negotientur, imo sensibus, sed sapientum sæpè repræsentantur: sublatis vero vinculis, sola velut in Patria, hoc est causa degunt, & ejusmodi elementorum proprietates seminum natura demonstravit, & denuo corporum principia & elementorum permixtorum conditiones, absque seminum notitia sciri nequeunt. Deinde quia remedia omnia perfecta, & universalia morborum curationibus destinata, in radicali, vitali & seminali naturæ materia, in astris, & balsamo contineri dicuntur, naturam seminum dicit debere esse valde cognitam medico, nulla formæ, materiæ aut privationis, aut quatuor qualitatum Galeni habita ratione; itaque proprietates compendiosas seminum subnectere promittit, & dicit in elemento cœlesti, quod igneum dicit esse Author, quia illius elementi semina obtinuerunt corpora perfectissima, individua quippe perfectissima, ut solem, lunam, planetas, vel astra durabilia. Ita providentia creatoris factum est, ut invisibilia reliquorum elementorum, astra, in hoc visibili supremo elemento, visibili specie repræsentarentur, & officiorum illorum prædestinationes, sive sint motuum, sive temporum, explicarentur, & talis explicatio in peregrinis matricibus deponitur: sic firmamenti procreationes in aere absolvuntur, & huic inferiori globo communicantur, quæcunq; in cœlo explicata conspiciuntur: in cæteris quoque elementis virtualiter continentur, à quibus actiones proveniunt in quibus actionibus scientiæ Mechanicíq; processus rerum vigent. *Per scientias & Mæchanicos processus intelligit Author causatarum quasi instrumentorum divinæ manus primo manentium in causa, deinde progredientium per omnes entium radicalium, seminum, elementorum concretorum & mixtorum ordines*, aut quia operibus documenta *præbent divinæ scientiæ, & mutua seminum conspiratione & intricatione, totius naturæ fæcunditas stabilitur*; sed harum legibus vitiatis sterilitates & defectus sequuntur, & hæc sunt corpora illa Astralia, Semina, Astra, Radices, Balsama, vitalia principia primæ materiæ, in quibus universa Medicina fundatur: & dum hic de semine loquitur Author, non intelligit visibile semen, sed illud quod conservat invisibile, proinde vulgus astris cœlestibus, mineralibus, metallis, semen non concedunt, quia diversitatem in Mechanico processu generationum non observârunt,

runt, hoc est *quia in explicatione diversarum virtutum prodientium ex elementis aut diversorijs radicalibus quæ ab Authore vocantur vitalis vegetaque Resp. non versati sunt sicut artificum diversæ notiones.* Officiorum enim diversa sunt discrimina, nam aliter propagantur Plantæ inter se, aliter animalia, & aliter mineralia: & rursus aliter prorsus propagantur Vegetabilium & Animalium, quam Mineralium, nam officiorum similitudine immutata semina, eaque diversorum elementorum corporibus differentibus ornata, magna diversitate generationum fructus suos ( *quasi Mechanicarum artium opus post se productum)* relinquunt: & sicut in plantis & animalibus nonnulla infæcunda sunt, quamvis vitale principium habeant, ita quoque in aquæ & cœli impressionibus quædam sunt sterilia, & hæ impressiônes elementorum officinas, adulterino qualitatum imperio subjectas peperere: quædam fæcundæ, & hæ perenni vicissitudine digestis temporibus fructus & individua deponunt: sic astra in plantis & animalibus contineri docetur, proinde Astri nomen merito rebus inferioribus tribuitur, quia influentias toti animali distribuit, officium enim quod absolvit nominis prærogativam meretur: denique ut Colophonem huic capiti imponam, sciendum est semina tripliciter considerari, vel ut in suis abyssis, hoc est causis & puris essentiis, Elementis aut Matricibus radicalibus latentia, & ita sensuum censuras repudiant, sed servant absque errore leges à naturâ præscriptas, suntque nil aliud quam formales rationes, in materiam desinêntes, eamque ad eorum intuitum terminantes. Secundo considerantur ut ex Abyssis aut Matricibus progredientia, & tunc principia corporum illorum formis convenientium sibi fabricant, extendendo materiam, & ita locorum angustiis insuetis se se includunt ( nec ut vulgus loquitur) non enim tam includi quam includere (scientiis Mæchanicis ornata) patiuntur, ut tale agant, qualia in prima creatione mandata fuerant: & si quis hæc & formas materiales rectè considerare velit, patescet ex hoc authore, non sine admiratione & jucunditate, sacrum naturæ mysterium. Democriti puteum, Abyssos & invisibilia naturæ principia ( pro quibus tot sannis & scommatibus à Libavio recensente Claris. Senerto immerito acceptus erat) & hæc semina vitalibus septem elementorum radicalium virtutibus perfusa, ad individui alicujus constitutionem adsciscuntur, & ipsa corpora sua, seu potius rationes incorporeæ rerum corporearum, ex quibus corpora conficiunt, secum ducunt, & tandem exacto penso, ad beata illorum domicilia, matrices, loca, causas, sine strepitu contendunt, ut probatum fuit prop. 18. de vita.

Tertio

Tertio conſiderantur ſicut capſulis ſuis incluſa, & ita ſpecierum multiplicatione, divinum mandatum propagatione ſpecierum & corporum proſequuntur: nec enim in cœlo negatur iſtas fieri poſſe generationes & corruptiones, novæ ſtellæ & Cometæ ſatis teſtantur, & ſuper hoc Chriſtianus Severini Longomontanus Mathematicus celeberrimus in appendice ſuæ Aſtronomiæ Danicæ, inter alia hæc habet. *Veriſimile eſt ſydera per id cœleſte expanſum ſemina occulta novorum Phænomenon tempore divinitus ordinato ejaculari, & inde conceptionem in expanſo fieri, quæ repente & quaſi miraculoſe in novi ſyderis apparentiam exſurgit, dum maximam ſui quantitatem & motum plerumque in ijs, quæ moventur ſtatim ſub apparitionis initium oſtendat,* & ita quaſdam ſtellas ventorum generatrices, alias pluviarum, grandinis, nivis, plantarum & Mineralium virtutibus imbutas, unde morborum epidemicorum cauſa aperitur, non quod faciant per quatuor primas qualitates, ſed quia per corpora talia, morbos tales procurantia: & hæc quamvis prima facie & tantum nuda affirmatione multis abſurda videri poſſint, tamen qui velit fundamenta authoris revolvere, idem atque Hippocrates de Democriti inſipientia dicere cogebitur.

## CAPITE VII.

### *De Corporum principijs & origine.*

IN progreſſu generationum & tranſplantationum aliquid deſideratur ab Elementis & ſeminibus, antequam ex ſuis abyſſis, hoc eſt ab infinitæ potentiæ ſuæ theſauris egredientibus Ilithurgias, hoc eſt diurnas generationum & tranſplantationum occupationes abſolvere poſſunt, & deſideratum fuit quod diviſibili proprietate temporum, locorum, omniumque dimenſionum neceſſarias explicationes admitteret, & quæ vitalibus ſeminum potentijs terminum conſtitueret, & naturæ fores clauderet; & hæc de corporis natura: & dicit ſpecies univerſas eſſe rationes, & ſeminum ſoboles: dicuntur rationes, quia tacita ratiocinatione perficiuntur. Nunc vero corporum origines, differentiæ & proprietates, quatenus tranſplantationum & generationum doctrina requirit, aperiendæ erunt, dicendò, eſſentiam, vitam, actum, exiſtentiam univerſorum, elementa eſſe, & hæ quò propiores unitati, eò magis uniuntur, ita ut exiſtentia, vita, actus, eſſentia, potentia, idem ſint, nec videantur differre, vel quatenus ratio vel ſenſus in ultimis gradibus depre-

deprehendere possunt: ita elementa & semina unita fuere, sed œconomiam mundanam administrare jussa, separata sunt, & ordinata, non è Chao, ut gentiles credebant prodierant, sed ex æternis sapientiæ thesauris: proinde semina prodire debebant à suis fontibus, & in alio fundari, nempe in corporibus, & fructuum multiplicatione mundanæ revolutionis periodos absolvere, & quantum proditura semina à parentum dignitate multum discrepare debent, ita à dignitate & primorum elementorum simplicitate tantum discrepare debent, ut hæc conjugij fœdera faciant, ut ita corporibus nunquam destituantur semina, quoscunque numeros, figuras, distantias explicare videbuntur: momento citius aderunt corporum rudimenta, officiis peragendis consentanea, donec seminum expleta fuerit prædestinatio, hoc est intentio, & hæc est corporum origo.

## *De differentijs corporum.*

Dicit quæ dicturus erat de differentiis corporum, non referri deberi ad simplicia illa elementa, nempe radicalia, aut rerum prima diversoria, sed ad concreta corpora, seminum virtute perfusa: & prima differentia corporum erit, quod alia sunt terrena, aquea, aerea; alia cœlestia, quæ vigore actionum inter se multum discrepant; alia elementorum proprietatibus magis insignita sunt; alia seminum, quæ elementorum proprietatibus insignita sunt, ea sunt, in quibus nulla est dunamica potestas, sed sterilitates, caliditates, humiditates, siccitates, frigiditates, & ejusmodi corpora hactenus à multis Philosophis elementa naturalia vulgaria vocantur, cum tamen non sint nisi fructus seminum, & elementorum radicalium perenni fluxu generationi inservientium; terra quoque omnis, quæ nec mineralium, nec vegetabilium seminibus gravida est, ut multa sunt similia corpora, multis enim terra alimentum & domicilium debet, alioqui universa seminum genitura transplantationibus, hoc est symptomatibus aut erroribus generationum esset obnoxia; & ista corpora non habent dunamicas, sed vellolaceas, hoc est inutiles qualitates, in quibus nulla est conspiratio cum astris, hoc est spiritibus morborum, nec ulla Medicina exillis confici potest, & idem sentit Hippocrates lib. de antiqua Medicina dicendo, non esse calidum, frigidum, humidum, & siccum, quod facit magnas mutationes, sed acerbum, acre, acidum, omnigenum: Alia differentia corporum est illorum, quæ seminum proprietates magis imitantur, nam illorum impressiones sunt fæ-

cundæ, ut in his odorum, ſaporum & omnium qualitatum vitalium veſtigia
deprehendantur, & quamvis concurrant primæ qualitates Galenicæ, tamen
ab iis actiones non procedunt, ut in his corporibus ſeparatio fieri poteſt pu-
ri ab impuro. Alia exordiis ſuis ſunt viciniora; alia remotiora, ſpiritalia, vi-
talia, vegeta, validaque appellantur; remotiora, terreſtria, concreta, mor-
tua, invalida dicuntur; & quia omnia individuorum corpora compoſita eſſe
animadvertuntur, quæſitum eſt diu, quæ ſit natura principiorum, de qui-
bus componuntur: nonnulli ad quatuor elementorum vulgarium diſcrimi-
na tendebant, alii vero per ſeparationem corporum hæc vulgaria elementa
manifeſte conſpexerunt, & præterea alia principaliora, ſeminum naturas
magis explicantia, & illa tria fuerunt, Sal, Sulphur, & Mercurius: rationem
horum nominum hic referrem, niſi nimis eſſet omnibus tædioſum, ſufficit
omnes vires, & actiones ab his provenire, ſive in morbis, ſive in materiæ
medicæ præparatione. Promiſcui tamen Philoſophi vulgareſque Medici,
alterationum omnium cauſas rimantes ad elementa omnibus corporibus
communia pervenerant, in quibus fundamenta naturæ poſuerunt. De eo-
rum congreſſu & proportione, nec ſatis explicata mixtione, cauſas genera-
tionum & tranſplantationum omnium, quæ facultatum expedita facilita-
te deduxerunt, ſimileſque qualitates, addixerunt, calidum, frigidum, ſic-
cum, humidum, quas ſummas vocabant, quarum permixtione, ſecundas,
tertias & quartas protulerunt, iis denique facultatibus virtutes adſcripſe-
runt, nempe incidentes, attenuantes, abſtergentes, levigantes incraſſantes,
penetrantes; Tertias quoque diureticas, ſudorificas, menſtrua cientes com-
plexi ſunt, ſed & quartas illas qualitates cum nullo prorſus modo ex prio-
ribus deducere poterant, nempe Alexiteriorum & purgantium vim iſtis
qualitatibus, ut toti ſubſtantiæ & occultis proprietatibus attribuerunt, to-
tam autem ſubſtantiam inexplicabilem, quatuor elementorum proportio-
nem, commixtiones quatuor elementorum vocabant qualitates, quas po-
ſteri novorum morborum remediorumque copia compulſi valdè amplifi-
carunt, & ita jam huic dubio ſatisfactum fuiſſe arbitrabantur, ſi ab occulta
qualitate prodiiſſe hos vel illos effectus ruſticè pronuntiaſſent: ſic ex mani-
feſtis Philoſophis occulti facti ſunt, & de rationalibus Empirici, quocirca
imperfectam hanc cauſarum cognitionem aſpernatus hic Author, altiori
Analyſi naturalium rerum principia inquiſivit, & ita ſubſtantiarum facta ſe-
paratione, in conſpectum venerunt proprietates variæ, quæ antea occulta-
bantur, & corpora illa occulta Salis, Sulphuris & Mercurij nomine ornaban-
tur,

tur, & qui hanc ingrediuntur Anatomiam, Philosophi & Medici jure merito nominari debent: Nulla igitur est via relicta, qua ab hac corporum Anatomia, hoc est Separatione aut Analysi excusari possumus, sed qua Methodo, quibus legibus hæc Anatomia aggredienda est, consulant illi authores quos prius pro Empiricis tenebant; consulant Beguinum, Crollium, Quercetanum, & alios infinitos, qui jam ubique veritatem in propatulo exponunt.

## CAPUT VIII.

### *De generatione rerum naturalium & seminum mechanica Lithurgia.*

DEmonstratis solidis istis naturæ fundamentis, nempe elementis Radicalibus, Seminibus, & corporum principiis, nunc vero dicendum quo pacto ex fontibus suis progrediantur mundanæ œconomiæ, Lithurgiam, hoc est diurna exercitia dispensaturæ, quâ potestate, quo ordine generationum leges absolvant, quo ex tam parvis exordijs tam vastæ magnitudines procreantur: differentia quoque transplantationis & generationis erit exponenda; mixtionis etiam natura, cujus ope utuntur, addenda: opportuit enim perpetua successione rationum Seminariarum adumbrare hunc mundum, & perpetuæ æternitatis imagine fovere: & cum unius corporis naturam officiis perpetuæ hujus successionis satisfacere non potuerit creatoris providentia, inventa est corporis renovatio, ut novorum individuorum continenti suffectione, ut rationum seminariarum fluxus proportionales educerentur: & hæc corporum renovatio generatio est, cujus fundamentum in semine, & semen in radicali materia fundatur, & continuitatem custodit: cætera corpora cruda & emerita ad vacuum fugiunt, semen vero si matricem debitam nactum fuerit, hoc est locum suæ naturæ convenientem, corpus sibi constituit officiis accommodatum.

## DE ORIGINE FORMARUM.

COnvenientia loca seminibus elementa sunt, & in seminibus dicimus formam delitescere. Divinus Hippocrates in aureis de Diæta libellis facultates seminum & spirituum illorum Mechanicorum descripturus, mensuras, utendi rationes, progressus generationum, & transmutationum omnium exordia, à quibus sanitates & morbi contingunt, illustravit: dicit decere in

gene-

generationum doctrina unumquemque primo fundamentum, Radicem, materiam adducere, in cujus sinu, hoc est in potentiæ abundantia & thesauris, omnia illa continentur quæ ad generationem videntur esse necessaria, & ea debent esse elementa, vel matrices & receptacula, semina corporum, & singula hæc donorum varietate, vitali, valida, infallibilique potestate & scientia instructa sunt, ut faciant singula exemplaribus suis similia, & omnes hæ facultates in minima grani portione sensu similari continentur. Hanc materiam & ejus thesauros tot officiorum donis gravidam, nominare uno nomine difficile est, & facilè illi, qui unam rem tam diversorum nominum appellationibus obtemperare cernit, facilè nominant, si enim una dicatur, unitatem; si plura, multitudinem intelligent; si elementalis, elementa; si seminalis, semina; si corporea, corpora in se continet; si spiritalis, spiritus, ita ut quamvis libro de humana natura hominem fieri dicit ex calido, humido, sicco & frigido, ex sanguine & pituita, tum utraque bile, nec propterea seminum conditiones neglexit, nec elementa seminibus orbata proposuit, sed cum calido, humido, frigido, & sicco non intelligit elementa simplicia aut absoluta, hoc est calidum, sicco, frigido simplici vel absoluto, sed calido salso, amaro, acido, nempe tali quale fuit primo semen, quæ elementa talia, vel radicem talem, vel materiam effecerunt, nempe ex talibus qualitatibus, quales fuerunt semina quæ elementa vel materiam & radicem rei talem fecerunt. Itaque semen est vitale principium in se continens Spiritus Mechanicos & tincturas universæ Anatomiæ propriæ speciei, quibus suum sibi fabricant corpus, calores, sapores, qualitates, magnitudines, figuras, & reliquas signaturas consentaneas officiis & prædestinationibus prædictorum spirituum, & rei producendæ. Quæ omnia quia mundanam scenam administrare debent, corpus sibi constituunt, generationi & conservationi individuorum aptum, in quo contineri & conservari possunt, quod vitale principium, prima materia, radix & fundamentum illius rei dicitur. Mirabantur vulgares Philosophi, quod hic inverso ordine differentia, forma, essentia, loco generis ponatur, jubent enim materiam loco generis collocare: illorum enim Methodo dixissent, *semen esse corpus spumosum, in quo continentur Spiritus proportione respondentes elemento stellarum. Item semen est excrementum residuum alimenti utilis atque ultimi, perfusum Spiritu & calido innato.* Sed certum est illos non intellexisse causarum connexionem, nec invisibilis & visibilis naturæ societatem: visibile enim continetur in invisibili, minus principale in principali, affectus in causis, simulachra

lachra in exemplaribus, & invisibilem istam naturam vocat principia, Abyssos, Radices; noctem Orphæi, orcum Hippocratis, Iliadum Theophrasti exemplaria, causas, entia radicalia, Elementa radicalia, in quibus asserit omnem esse potestatem: corpora vero esse prorsus invalida, sed ab utrisque differunt, media, quæ astra & vitalia corpora vocantur, continentia in se Spiritus Mechanicos, vincula enim sunt, visibilium & invisibilium, internorum & temporaliũ, utriusq; enim naturam repræsentare debent, ita tamen ut neutrius actiones perfecte referri possint, discedere enim debent à puritate invisibilium, & superant naturam visibilium, & nihil est in universo ordine his sublatis, quod res mediæ naturæ extremis, vicina & amica societate dissentaneas naturas copulat, quando vero accidit irritas fieri generationes, hoc contingit quia rudimenta corporum inprimis generationum initiis invalida sunt, & aliorum astrorum, hoc est seminum impressionibus exposita sint, vel quod locum generationi commodum non habuerint, & in hac Lithurgia, hoc est naturæ consueto munere, si omnia generationi adversentur, corpora primum fugient, & ad interitum festinabunt, Spiritus vero in suis abyssis & radicibus immobiliter persistent: si autem non omnia, sed quædam naturæ munera resistunt, hoc est si astrorum aliorum impressiones moderatiores fuerint, & loca etiam non prorsus inimica, generationis relicta spe, transplantationem aggredientur, & ita juxta consilium naturæ, tales transplantationes plurimas videmus in animalibus, & exempla plurima dari possunt in monstris & rebus, quæ fiunt præter naturam: jam ante aliquot annos notum est, gravidas loco legitimi partus, vivos mures peperisse, item aves, bufones, lacertas, de quibus si quis velit pœnitius informari, ad Philippi, Salmutij, Archiatri, Anhaltini observationes medicas accurrat, & hæc tum quam plurima admiratione digna inveniet.

Sunt enim animalia, quæ fæcunda multiplicatione individuorum copiam producere possunt, nam in iis diversoria plurima in matricibus & generationum locis formavit natura, minima enim gutta seminis universam Anatomiam totius speciei continet, in quo sunt Spiritus Mechanici & principia generationis à dimensionibus & corporum angustiis exempti, & omnia ista exitura à semine, non mole, non corporum multitudine æstimare oportet, sed donorum, rationum, scientiarumque varietate, qua pollent Spiritus Mæchanici, ea enim tam perfecta est scientia, quam in natura vigere clamant, & confitentur creata omnia, ut quælibet herba præsentem Dominum cognoscat, in quo per sui scientiam universum mundum creaverat, nempe

per

per sui scientiam, non suam, fecit ut ea quæ extra se produxerat, similia essent iis, quæ intra se gerebat: in illa enim scientia fuerant proportiones, numeri, mensuræ, quantitates, qualitates, figuræ, elementa, & tria corporum principia consentanea, sed vitaliter omnia, non corporaliter accipienda, & omnia quæcunque ad Mechanicam, & artificiosam generationum Lithurgiam (hoc est consueta & diurna exercitia) requiruntur: & hanc scientiam Hippocrates naturam vocabat ἀπαιδευτην, id est à nullo edoctam, æquivocè enim nostra scientia cum illa confertur, nostra enim scientia fit à rebus extra, à memoria quippe à sensibus & memorijs, acquisita multo labore. Naturæ autem scientia, rebus est innata, & sui est, non sua, est ipsa rerum essentia, vita, potestas, nostra vero caduca & mortua, si cum priori conferatur: in sequentibus aliquot paginis tractat de diversis generationum modis, æquivocarum, univocarum in animalibus, & alia dicit fieri ex iliastro, hoc est ex paterno semine, alia ex cagastro, hoc est à putredine, quæ cum Historica sint, relinquo illis, qui authoris textum apud se habent, & ad vegetabilium generationem accedam: & dicit horum generationem manifestiorem esse, balsamum enim, astrum, vel spiritum magis sensibus obvium acceperunt, semen enim illorum corpus habet, lentum, viscosum & crassum, collatione facta ad animalium semina: & quamvis supra in Enucleatione textus dictum fuit, Spiritus generationum authores à corporibus non contineri, sed potius continere corpora, tamen deinceps more vulgari loquar. In reliquo hujus Capitis tractat author de seminibus, tamen propter insignem familiaritatem, quæ reperitur inter semina & tria corporum principia, & quatuor concreta elementa, ad ea digressionem fecerat, sed qui ista amplè à me tractata fuerant in appendice septimi Capitis, eo remittam curiosum lectorem, ut quid de illis dicatur ibi inveniat, & ad propositam de seminibus contemplationem revertar. Dicit semina in suis matricibus, fermentatione, digestioneque & alimentorum benigno affluxu roborata, (constitutis elementis & principiis, iisque potestate spirituum opportunè mixtis) validioris alimenti necessitate assiduè incumbere: itaque radicum rudimenta, fibris & meatibus umbilicorum vasis similibus constituuntur, jam folia, caules procedunt, jam stipites, fructus, semina & reliqua omnia, signaturis suis ordinatè vestita, scientiam naturæ hominibus ostendunt, fæcunditatis & multiplicationis causam, hoc est cur ex uno grano tot proficiscantur. Hippocrates ut & alia, multa præclara ad hanc doctrinam pertinentia clarissimè demonstravit, ut in libello de natura pueri, his verbis, hoc est ex paucis multa

contingunt, quia universa terræ nascentia copiosiorem virtutem ex terra attrahunt, quam secum à parentibus attulerunt, deinde quia non semel effervescunt, sed sæpius restant mineralium generationes, à prioribus plurimum differentes, non enim seminis beneficio individuorum propagatione speciem custodiunt, sed semina eorum & species in seminariis naturæ rationibus vigent, ab illis destinatis & præscriptis temporibus prodeuntia, terminum naturæ exspectant, sine ulla liberorum hæreditaria successione, quorum ministerio æternitatem æmulari possent. Nihilominus species eorundem non defecerunt, nec in ævum deficient, conservantur enim in nocte illa Orphei, scientiarum & vitæ ubertate repletæ, in Iliastro Theophrasti, in seminarijs naturæ rationibus, in orco Hipppcratis in locis & elementorum beatis recessibus, ubi sine defectu & sollicitudine destinatum expectant fatum, singulæ suis temporibus, proditutæ, quibus instantibus, vitalibus principiis & spiritibus Mæchanicis concomitatæ mundanam provinciam ingrediuntur, loca & alimenta consentanea petentes: scio plurimos mineralium generationem fortuitis principiis, vitam quoque ab universo hoc genere, eodem errore abstulisse, si maturitatis tempora considerassent, si proximorum ratas periodos, si venarum ordinatas progressiones, corporum consentaneas compositiones, saporum, colorum tam efficaces virtutes, vitam aliaque viventium symptomata ætatum discrimina, cruditatis & maturitatis tempora, morborum & mortis necessitatem, & his utique concessissent, deficiunt enim & singulis ætatibus novæ prodeunt, quamvis multa mortales lateant: sic principia ostendunt vitalia, scientiis & donis instructa, idque proprietatibus tam multis, tam potentibus: neque vita neque scientia hujus comite destituentur, semina eorum in suis abyssis delitescentia ubi digesta tempora expleverint, cum spiritibus conjugium ineunt: cum spiritibus dico, ex quibus corpora tandem constitui possunt, qui quamvis initio invisibiles sunt, corporum tamen principia, elementa, & ornatum omnem in se continent, sed quo pacto loca, matrices & domicilia opportuna invenient? Novit equus præsepe suum, aves nidum, & exemplum aquilæ sæpè adduximus: vires superioris naturæ, scientiæ, rationes, ubique penetrant, ubi confluentiam invenerint, Anatomiæ suæ rudimenta constituentes, donorum varietate, scientiæ, abditam majestatem proponunt, lætanturque se in vanum non venisse, præsertim si quod velint generatione absolvere possint, sine aliorum resistentia, tunc matricibus repertis corporum visibilium commercium admittunt, alimentumque quasi vaporosos fumos pro spiritibus

bus attrahere incipiunt, tunc elementa mineralia constituunt, principia etiam mineralia, Sal, Sulphur, nempe & Mercurium mineralem, ignem, aerem, aquam & terram Minerales; quibus absolutis, coagulationes, colores, qualitates omnes, quæ in vitalibus eorum principiis vigebant, proferunt, metallaque & mineralia his finitima demonstrant: quinetiam in his formæ naturales non sunt prætermissæ, aliis enim formis coagulationes vitriolatorum, marcasitarum, nitrosorum, aliis Crystallorum, Berillorum & adamantis repræsentantur: & hæc est insignis proprietas in generatione metallorum, quod semen habeant commune hermaphroditicum, multis speciebus consentaneum, quæ ratione temporum, locorum, & aliorum ascendentium, in generationis administratione confluentium superatæ, vel superantes, specierum individuas signaturas constituunt, & in Mineralium semine non solum sexuum non explicatam varietatem, sed etiam individuorum, etiam specierum, in uno eodemque semine unita principia magnâ naturæ potestate admirantur, & proinde generationem habent transplantationi vicinam, nam si loca in immundo Sulphure turgida occupaverint, immundas metallorum species, nempe Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, Salium & Sulphurum admixtorum indolem ostendentes invenient: horum ascendentium impressione incitantur, seminum elementa & corporum principia, novaque conjugia admittent: quod si loca non ita valida externorum ascendentium potestate repleta non invenerint, vel consentaneorum perfusa virtute, fiet quod volunt, alimentorum amica ubertate nutrita, elementa constituunt & corporum principia, deinde occulta & vitali digestione, coagulationes & reliqua donorum insignia absolvent, individuaque perfecta proferent: & hæc est auri & argenti generatio. Post hæc gemmarum originem (quia metalla videntur esse transplantata) post hac aperit, & illa sunt, quæ dicuntur propriè mineralia, ut sunt sales, alumina, vitriola, Sulphura, & his finitima: eadem est ratio arenarum, glareæ, cabuli, cretæ, quamvis & ipsa metalla mineraliaque omnia horum corporum habeant rudimenta, tanquam Siliquas & Cortices, in quibus delitescunt. Qui ista exactius cognoscere velit, libros Paracelsi de generatione mineralium perlegat, fodinas, thermas, & salium naturales officinas accedens, manifestius externa rerum accidentia, dispositiones & conditiones conspicatus, majori cum fructu causas, & invisibilem naturæ Lithurgiam postea cognoscet. Superioris vero globi generationes longè aliter se habent, neque enim animalium generationi assimilantur, seminibus enim recurrunt anniversariis, sed fructus

fructus in generatione edunt instabiles. Dictum fuit antea in elemento cœlesti vel firmamento individua perfecta contineri, qui stabili vigore in ævum persistunt: in inferiori globo etiam perfecta quædam individua videntur, ut gemmæ, aurum, sed in his corporum vinculis ligati Spiritus, actionum potestate, vitæ argumenta demonstrare non poterant, silent enim & fermentatione longa spirituum vigorem promovent, donec ad exaltationem & maturitatem pervenerint: tunc evacuantur, & spiritali fæcunditate, in aeris capacitatem dilabuntur: unumquodque enim elementum non in propria sed in peregrina regione parturit, ibique scientiæ & donorum varietatem explicant, consentaneis corporum vestimentis induti, & quamvis seminalem materiam in fructibus non relinquant, veluti terrena, nihilominus in suis thesauris vitale principium, scientiis & donis instructum, in ævum possident, fructuumque fæcunditate, præscriptis temporibus recurrunt, & proprietates & differentias cœlestium fructuum constituunt: Ita quædam sunt stellæ, quæ ventorum generationibus destinantur, in quibus scientiæ & Spiritus Mechanici talium corporum productrices latent, quæ ut motuum diversitate, ita corporum quoque proprietate, scientiis Analoga possident; & quamvis Salis, Sulphuris & Mercurij signaturas planè non repræsentent, nihilominus impressionum efficientiam habent, & hæc & alia virtutum insignia, sibi non esse denegata ostendunt. Ita patet, dicit Hippocrates, Australes ventos non agere, quia calidi & humidi sunt, sed quia corpora eorum proprietatibus Opiatis, Cicutarum, Solanorum instructa sunt, ita Austri dicuntur βαρήκοοι νωθροὶ, καρυβαρηκοὶ διαλυτικοὶ ab Hippocrate nominantur, in fructibus enim cœlestibus antea dixit Author, Melissas, Cicutas, Papavera, Mandragoras contineri, quæ quamvis forma externa dissimiles sunt, tamen actionum, proprietatumque similitudine conspirant: rursus Aquilonis proprietates adjungit, & dicit Aquilonem agere, non quia frigidus est & siccus, sed quia corpora Aquilonis proprietatibus barbarisatis, acetosis, acacearum imbuta sunt: rursus stellæ sunt pluviarum, grandinum, nivis, fulgurum, tonitrus, serenitatis, turbinum, tempestatis & reliquorum meteororum, in quibus vitalia principia & Mechanici spiritus eorundē funduntur, suis temporibus ad generationem procedunt: sic in luna manifestum est, singulis enim mensibus nova generatione fructus profert. Parentum seminibus & impressionibus similes, & in his omnibus sydera omnia, quæ principiorum quam elementorum proprietates repræsentant, morbos Epidemicos, leviores vel graviores producunt, & quamvis in aeris regione

non

non conſpiciantur aſtra, nihilominus vitalia generationum principia ibi collocantur. eodem pacto aſtra vel ſemina inferioris globi, ut Mineralium & Vegetabilium radices habeant, etiam alias reſolutiones cœleſtibus aeriſque ſimiles obtinent, ex quibus terræ motus, fluxus & refluxus marini, venti provinciales, & meteora omnia, quæcunque ex ſuperiore globo demittuntur, etiam hinc generationum exordia ſumere poſſunt, ex quorum reſolutionibus ſterilitates, peſtes, Endemij morbi, ſæpè Epidemici dependent.

## CAPUT IX.

### *De mixtione & hujus comite tranſplantatione.*

MIxtionis naturam qui velit abſque principij petitione intelligere, oportet ut apprimè doctrinam veterum Philoſophorum calleat, aut ex hoc prodromo diſcat, ſuper quæ fundamenta Author hic naturam corporum & qualitatum deſtruit, & idcirco conqueritur quod ex pravis fundamentis univerſa Galenica Medicina ſit conſtituta: & primo dicit de mixtione, quod motum conſtituerunt abſque motore, ut cauſa, & ſi elementis Peripateticis iſtum motum tribuerent, aſſerit elementa ſimplicia ſimplices duntaxat habere motus, & mixtioni non conſentaneos: deinde quod elementa motoris ſcientiam non habeant, ut menſuras & proportiones ſcientificas eligant, nec enim ex qualitatum accidentalium miniſterio ſubſtantiæ componi poſſunt, ſed originem, proprietates qualitatum declarare debebant: ſimiliter & motorem adjungere, nempe principium vitale, ſcientificum, quod ſæpè formam, ſpeciem, ſemen, aſtrum, Spiritus Mœchanicos, vincula, ob ſuas rationes appellare lubet: & qui hæc vincula ſcire velit, legat poſitivam doctrinam tabulæ entium radicalium, & ſeminariarum rationum, ex ipſis fundamentis veterum Philoſophorum, quibus uſus eſt hic Author in Idea ſua compilanda, & à me in Prolegominibus explicatam: aliàs inanes tricas ex diverſis principiis congeſtas exponet.

### *De mixtionis neceſſitate.*

DIcit rectè Author, cuncta viventia vitæ unitate exemplaria ſua imitari: exemplaria inquam varietate donorum & proprietatum implicata, ſed ex unitate

unitate in multitudinem explicanda, & propter hoc mixtionem quasi diversarum rerum conspirantium in unionem molita est natura, & dicit subjectum hujus mixtionis esse elementa, sed credo me Sapientiorem inventurum lectorem, quam ut credat authorem hunc intelligere elementa naturalia, concreta & vulgaria, sed ea quæ in prolegominibus habentur, & in tabula Spheræ entium radicalium conspiciuntur: & dicit elementa natura concreta & corporum principia producta esse ex alimentis à virtute & scientia Mechanicorum spirituum ex radicalibus illis elementis prodeuntium, & per mixtionem generationem procurantium: & ita dicit necessitatem generationis futuræ mixtionis necessitatem acsivisse: nec ex mixtione sola fieri generationem docet, nisi etiam locorum vel matricum sive diversoriorum seminibus aptorum, confluxus observetur, nam si potestates istæ cum radicibus, hoc est elementis radicalibus non conspirent, aut si signaturæ varientur, tunc fiet generatio, aliter quam voluerunt semina, & tales mixtiones pro generatione transplantationes conficient, est enim transplantatio Symptoma generationis: ut autem ratio transplantationis facilius intelligatur, observandum alias esse transplantationes individuorum, in quibus manente radice signaturæ, ut colores, sapores, magnitudines, figuræ; alias specierum, ubi omnibus signaturis immutatis novæ familiæ insignia manifestè repræsentantur, quæ non continebantur in scientiis & prædestinatis donis suorum principiorum: sic in vegetabilium ordine, Sysimbricum in mentam, rapam in raphanum, imperatoriam in Angelicam, triticum in lollium, transplantari videmus: sic in semine tritici, semen lollij delitescit: in individuorum transplantationibus, in animalibus nempe, non adeo sunt frequentes, aliquando tamen conspiciuntur, & accidere solent, quamvis rarius, & tale est, quod mihi contigit Anno 1654. videre, & præivit pesti & bello in humanissimo successuro, anno sequenti, & per tales casus principũ diffidia, per parelyos, inundationes, per terræ motus, & montium & fluminum ruptus portenduntur. Nam dum serenissimus Poloniæ & Sueciæ Rex Dominus meus clementissimus, Novoduori, Pago quatuor leucis Polonicis ab urbe Grodna in magno Ducatu Lithuaniæ (propter venationis commoditatem) commoraretur, circa finem Decembris, parentes rustici Serenissimæ Regiæ majestati puerum novem mensium obtulerunt, mirabili modo natum, quem ut viderem Serenissima Majestas me vocari jussit. Is enim toto corpore pilosus, & ubi alij cutim glabram habent, ille totam pilosam habebat, sed tales fuerant pili, qualibus solent pulli equini ornari, nec genæ nec nasus excipiebantur,

bantur, sed in locis ubi homines pilos longos habent, ille etiam habuit, nempe barbam satis prolixam nigerrimam cum mustagijs longis, capillitiis, & jam nigris promissis, quibus etiam pudenda ut provectæ ætatis homini, & veneris experti, non minora prominebant: crinibus etiam, ut in adultis vestita conspiciebantur, præter hæc nil deforme erat, quamvis præternaturalia, nam cum dentibus nasci dicebatur, & oblatas nuces corylinas vel durissimas absque hæsitatione inter dentes frangebat: statutum fuerat hunc puerum post ablactationem expensis Serenissimæ Sacræ Regiæ mattis Varsaviam deducere, ut ex Regia charitate cum aliis nutriretur, sed peste & bello intervenientibus, anno subsequenti peste cum parentibus extinctus est. Sed in vegetabilibus sunt frequentes transplantationes, imo & arte introducuntur, nam insertione cicurantur rami agrestes, mitigantur sapores, mutantur colores, maturitatis tempora accelerantur, vel retardantur, totaque natura arbitriis mortalium se submittens, utili delectabilique varietate nos recreat: mineralium semina, quia planè hermaphrodiditica sunt, & multis individuis specie quodammodo differentibus communia, proinde æquivocas & transplantationi permixtas generationes obtinuerunt, gemmæ & lapides pretiosæ specifica transplantatione producuntur, validioribus tincturis occupata prima communique metallorum radice, & ita ex radicibus plumbi transplantatur Adamas, ex Lunæ Saphyrus, ex Veneris Smaragdus, ex radice Martis Berillus; Cometarum etiam origines ex magnis conjunctionibus, Ec ipsibus syderum, & mirabiles transplantationes, & nobis durabiles manifestant, & in elementorum, quippe radicalium abyssis antequam ad nos perveniant, silenti, obedientique desiderio prædestinata expectabant tempora.

## CAPUT X.

### *De generatione humana & transplantationibus generationi supervenientibus.*

AUthor noster in hoc Capite prætendit fundamenta naturæ mundanæ, quasi dicto promulgasse, dicit enim simpliciter se proposuisse, sed apparet successoribus explicanda reliquisse, nam quæ ex doctrina ipsa veterum Philosophorum, ex qua ipse sua hauserat, ego in fronte hujus Prodromi aperui,

aperui; & ne deinceps lector in petitione principiorum confunderetur, systema Physicum veterum Philosophorum dogmata continens, elaboravi, ut unusquisque Authorem non ex aliis quam geminis statutis judicet: quod reliquum est audiamus, quæ Author in hoc capite de Anatomia statuit, dicit enim se hoc in loco mentionem Anatomiæ faciens non intelligere cadaverum sectiones aggredi, sed Vitales & Radicales, quæ origines & singularum partium scientias demonstraret, aitque se non deinceps ad ea quæ scripta sunt, replicaturum, sed naturæ operibus, tanquam vivis exemplis veritatem confirmaturum: & vocat principia vitalia, primam materiam, & dicit tincturas habere in se potentissimas, in quibus scientiæ omnium partium humanæ Anatomiæ delitescunt, & talis radix, tinctura, semen, balsamus, mumia, astrum, fructibus opportunis vestita, in universo corpore humano vigere, & dicit absurdum esse fæmineum sexum tali balsamo, semine & sulphure destitui, quia Mechanici Spiritus tincturæque radicales vitalis coloris copiosam suppellectilem secum adduxerant, motum utique in utero eorundem ostendentes. Hanc generationis divinam administrationem Hippocratem adducit, docta profundaque interpretatione prosequentem, libro de Diæta, & dicit corpus humanum animæ rationibus consentaneum fabricatum fuisse, & ex anima fluxisse; & dicit Author ex Hippocrate naturam esse harum actionum motorem, & naturam natura propria lætari, proinde naturam & animam, semen vocat, & dicit jam ex Hippocrate istam naturam sibi ipsi suas partes fabricare, & alimenta suppeditare, sed istas particulas potestate non actu in semine contineri: nec satis esse dicit constare nos ex quatuor elementis concretis, & ex iisdem nos nutriri, sed proprius accedere oportuit, & nucleum eruere, & explicat seminalium istorum potestatem Author familiari sitis exemplo. Qui siti inquit premitur, liquoris familiaris speciem animo concipit, hujus imaginationis comes individuus est appetitio, & talis imaginatio appetitui tali formata, sitis est. Huic siti imaginatio idem est liquor desideratus, quia species, quæ imaginationem formavit, liquoris propria est, & liquor talis Imaginationis officio, prædestinationi, termino, fato, scientiæ, satisfacere potest: ita nutrimenta eadem sunt, cum iis quæ nutriuntur, & tamen hæc sunt invisibilia, illa vero visibilia, hæc incorporea, illa vero corporea: itaque nisi talis fuerit imaginatio, scientia, fatum, prædestinatio non generabitur nec miscebitur, non augebitur quicquam, nec fient ex incorporeis corporea, nec explicabuntur figuræ, magnitudines, colores, odores, sapores, quia non habent fundamenta & elemen-

ta,

ta, radices, principia, unde accipiant: & dicit, quod si vero tales qualitates in scientia radicalium contineantur, otiosi non erunt, sed vitales, & potestate plenæ, documentaque præbentes, pondere, mensura & ordine creata esse omnia. Et hucusque prima generationis exordia spiritalia exposuit author: nunc autem cum partes singulæ alimento indigeant copiosiori & solidiori, nec occultæ viæ sufficiunt, membranis quoque in quibus involvitur fætus indies crescentibus, canales formantur umbilicales, qui secundinis conjuncti venas omnes & arterias, ex utero in secundinam dispersas colligunt, spiritumque & sanguinem fætui subministrant. Nomina membranarum, vasorum, otiosum est hoc in loco recensere: incurrit deinceps Author in dubitatione, quæ multos anxios reddit, quippe quæ partes à natura primo confirmentur? & respondit, se nihil in corpore reperire cui possit principium adscribere, nam circulo in quo neque est principium neque finis, seminis naturam confert: quæ restant in hoc Capite sunt ita facilia, ut quum ex vulgaribus Philosophiæ principiis satis intelligi possint, frustra insistendum esse censeo.

# SUMMA

## CAPITIS XI.

### *De Usu partium.*

HOc caput totum est Physiologicum, & acu quasi tangit summas lites, controversias & differentias, quibus Chemicorum doctrina à Galenicis dissentire videtur; proinde Author seminis finitâ progressione, fætuque in lucem edito, ad necessitates ac officia partium actionumque administrationem tendere se asserit: & quia in omni generationis fluxu custodiri necessaria debent quæ ex his augmenta ad mixtiones omnium proficiscuntur, prima utique necessitas fuit earum partium quæ horum ministeriis destinabantur: itaque partes horum ministeriis accommodatas consentire necesse fuit: sic generationis initio quia omnia sunt spiritualia & unita, ab elementis quoque ac partibus spiritalibus officia sua peraguntur, hoc est spiritibus corporeis: sic Patrocinio unitatis dicimur nasci ex semine uno, vel ex quatuor elementis concretis, vel ex Sale, Sulphure, & Mercurio, & quantumvis illa tria, semen nempe, elementa concreta, Sal, Sulphur & Mercu-

 rius

rius, in natura unita videantur, proprietates tamen ſine confuſione læſas cuſtodiunt, atque ſic officia ventriculi, hepatis, renum, lienis, venarum, inteſtinorum peragunt: itaque partes corporis ſunt, quaſi matrices, radices, penuaria, aſtra, in quibus concentrantur & uniuntur virtutes ſpirituum per totam Anatomiam corporis diſperſæ: itaque ſolo ſpirituum miniſterio continuitas corporum concentratur, & quia in his morborum cognitiones & curationes naturalium partium, adminiſtrationes debitè explicatæ, maximum momentum adferunt, & dicit ad Diagnoſin & Therapiam multi momenti eſſe cognitionem & adminiſtrationem naturalium partium acquirere; quum plurimum ad coctionis naturam intelligendam conferat: relictis igitur primis alimentorum præparationibus, quia quæ ab aliis rectè dicuntur, otioſum videretur eſſe repetere: & dicit alimenta ventriculo recepta, virtute Mechanicorum Spirituum reſolvi & miſceri, quia in ventriculi poteſtate, ſcientiæ Salis, Sulphuris & Mercurij, quæ tales actiones edere poſſunt, latent, ſicut in ipſis alimentorum poteſtatibus tales etiam ſcientiæ Mechanicæ vigent: itaque facta ſeparatione puri ab impuro, excrementi ab alimento, una cum impuro corpore per inteſtina dejecto, alia quædam impuritas in ventriculo ſeparatur, mucilaginoſa & tartarea, ſed quia in ſe virtutem expulſivam non habet, ſed Stypticam potius, aluminoſam & aſtringentem, tamen ſi rectè omnia gerantur, dicit una cum priore impuritate per alvum aut urinas expelli, alios morbos varios parere: impuritatibus igitur iſtis ſeparatis alimentum dicit in ventriculo degeri, & continua ſpirituum actione in vaporoſos halitus converti, & ad hepatis officinam feſtinare, interea continuari digeſtionem ſeparatione, & durat talis molitio in conſumptione Chyli: & quamvis corpoream Chyli diſtributionem non admittat, tamen neceſſitatem corporeæ continuitatis non rejicit, quaſi vinculis diſtributioni neceſſariis: hac ratione attractiones naturales, quæ ſpirituum beneficio adminiſtrantur, ſecundum fibrarum rectitudinem, abſolvi ab antiquis proditum eſt: facta igitur illa prima reſolutione, ſeparatione, & digeſtione, alimentum ad hepar defertur, & in ſanguineam ſubſtantiam coagulatur, ibique fit ſeparatio, maturatio, & diſtributio, ut in ventriculo, & quia ſubtilioribus Spiritibus Mechanicis ſubjicitur ſanguis quam Chylus, recrementum quoque analogum exhibent, urinam ſcilicet: interea lien & veſcicula fellis conſentaneum alliciunt nutrimentum, & dicit fel non eſſe excrementum, ſi Salium condimenta coquis vicina eſſe debent.

## *Quæ de varietate & numero quatuor qualitatum & humorum, tum quæ contra istam Hypothesin dici ab authore possint.*

QUæritur an juxta materiam, vel efficientem causam contingat tanta humorum varietas? de utrisque materia ex Chylo, Chylus ex vino, pane, carnibus, nunc autem si de iisdem nutrimur ex quibus constamus, quid in his omnibus idem esse potest? ex uno enim pane omnes corporis partes vitale nutrimentum hauriunt: quo circa non ex corporum affinitate similitudinem hanc æstimare decet, durabilior affinitas quærenda, utpote quæ valida virium potestate, consonantem naturæ similitudinem tueri possit, & tales proprietates non nisi in radicibus deprehenduntur, in tali radice, Balsamo, elemento: sunt elementa concreta tria corpora, Sal, Sulphur & Mercurius, sunt excrementa, sunt carnes, ossa: ita super hoc textu undecim adfert notatu digna. Primo de loco generationis humorum. Secundo, an tanta humorum diversitas, sit ratione materiæ vel formæ. Tertio adfert Hippocratem pro Judice, nutrire nos de ea materia, qua constamus, dicentem. Quarto dicit non individuorum corporum affinitate oriri hanc humorum affinitatem. Quinto ostendit in quibus subjectis ista affinitas sit quærenda. Sexto societas naturæ ostenditur. Septimo dicit omnem istam affinitatem esse in Balsamo. Octavo improbat bilem quia tale quid non reperitur in majori mundo, sed esse proprietates infinitas Salis, Sulphuris & Mercurij. Nono, occurrit subjectioni Galenicorum dicentium, idem esse febrem oriri ex bile putrida, ac dicere à Sulphure nitroso, accenso: idem ex pituita vitrea, ac dicere è mucilagine tartarea, aluminosa, & Styptica, sive colicam fieri de pituita ut Galenus, sive ex mucilagine marmorea, alabastrina, arenosa, sive podagram ex bile & serosis humoribus, sanguine, pituita, aut Melancholia, ut Galenus, sive de sale acutissimo, ut Paracelsus. Decimo Cancrum oriri de atra bile aut Melancholicis humoribus, ut Galenus, sive de sale æruginoso & ferrugineo, ut Paracelsus, sed magna est differentia, nam qui dicit ex bile febrem oriri, bilem in aqua & aere, ut ex iis, quæ homini nutrimentum suppeditant, non reperient, itaque febrilium Syntomatum causas per caliditates & frigiditates, ut signaturas falsas, interpretari cogentur, qui vero de nitroso Sulphure febrem constitui asserit, hujus Sulphuris vestigia invenniet,

niet, ut si ad amussim reduxerit Astris exaltatis, fructus & Symptomata febrium in proprietatibus Sulphuris nitrosi inveniet: ita horrores, rigores, frigiditates, calores, sitis, vomitiones, sudores, somni, narcotici, in paroxismorum initiis dolores Capitis, accessuum repetitiones, magna facilitate invenientur: ipsi etiam Galenici bilem rejectam vomitione, æruginis proprietates habentem admittunt, in qua & Salis, Sulphuris, nitri vitrioli multæ proprietates vigent: aliam dicunt esse porraceam: in bile etiam juxta illos sunt multæ qualitates aquæ fortis, & quia per vomitum multi tales humores multis salium proprietatibus insigniti inveniuntur, relictis veris nominibus, Phantasticas introduxerunt, & siliquas aut cortices nobis pro nucleis dederunt. Undecimo tandem vitellinam, eodem pacto in pituitam, salsam & acidam: sed si salium naturam antea didicissent, deprehendissent nitrosum, aluminosum, vitriolatum, salgemmeum, & ex herbis aronicum, urticosum, chelidonicum, & ita Salia Sulphurea, & mercurialia magna utilitate introduxissent. Duodecimo, accusat Galenicos quod seminum signaturas externas per colores, consistentiam, aut humores in corpore designabant, relictis internis potestatibus, & hoc fecisse, quia Chemiam tunc temporis non intelligebant, quam si benè intellexissent, in universis partibus totius corporis, æruginosum, vitriolatum, tartareum, nitrosum, aluminosum, porraceum, urticosum, aronicum, piperinum, persicariosum, generari posse, sancta fide jurarent, & nudis humorum appellationibus repudiatis, proprietates Salium, Sulphurum & Mercuriorum avidè addiscerent. Decimotertio Chemici contra eos qui tartareos morbos rident, Hippocratem adferunt, aliam rationem humorum instituentem libro quarto de morbis. Primum fontem omnium ventriculum, tanquam commune penuarium collocavit, quatuor deinceps particulares fontes, cor quidem sanguinis, caput pituitæ, folliculum fellis, bilis, lienem aquæ adjunxit. Rationem vero consilij sui paulo post innuit, dicens in omni alimento inesse quiddam sanguineum, biliosum, pituitosum & aqueum, ac consentanea consentaneis distribui. Ex quibus verbis patet Hippocratem hepar non fecisse fontem sanguinis more Galenicorum, sed cor more recentium Anatomicorum: ex qua re patet, quam sint multi inter ipsos in veteribus erroribus tenaces, ut quamvis veritatem præ oculis videant, tamen contra ipsam genibus pugnare contendunt; alij vero segnes & fuci, ut sunt illi qui Anatomicorum principes dici volunt, tamen quæ oculos pungere videntur, ut sunt venæ lymphaticæ, neque viderunt, neque unquam imaginati sunt, quomodo interiora

teriora magis & abdita censibus percipere possunt, quum quæ præ oculis vident non intelligant? & ita principes illi à subditis suis palmam corrigi patiuntur, nec nudis qualitatibus externis in humorum dispensatione animum adhibuisse, sed proprietatibus internis, omnigenis & innumerabilibus: propterea copiam proprietatum internarum rerum ad certa quædam genera, sicut ad familias quasdam, in quibus illustria testimonia de facultatibus internis vigebant, reduxit: ita quando causas morborum bili & pituitæ tribuit, ad loca ubi omnigenæ facultates internæ vigebant quasi ad genera summa deduxit, quas vocabat dulce, acidum, amarum, acre omnigenum, & innumerabile, quarum separatione & exaltatione morbi contingunt. Hac ratione multa inchoata medicinæ Theoremata excusari possunt, quod multa semina diversa, diversisque proprietatibus insignita, in humoribus similibus, tanquam in locis & agris consentaneis fundentur, quæ semina aut proprietas interna, ubi ad maturitatem pervenerint, frũctus producunt, tali humorum signatura vestitos, & hanc humorum censuram sufficere credo.

Et qui pituitam salsam & acidam admittunt, si penitius examinarent, salium etiam anatomiam addiscerent, deprehenderentque substantiam aluminosam, vitriolatam, salgemmeam, etsi herbas quoque Salium proprietates continere crederent, aronis, urticæ, chelidoniæ, flammulæ, brassicæ, soldanellæ, cali, centaureæ, piperis, persicariæ, salia in humoribus tandem admitterent, mixtiones quoque Salium cum Sulphuribus studiosius inquirentes, Salia, Sulphurea & Mercurialia magna utilitate adjungerent. Tandem si salium signaturas & generationum lithurgias in humana Anatomia facerent, dulcedine veritatis allecti, nulla bilis, pituitæ, melancholiæ severitate, à tam clara & fœcunda Philosophia in posterum absterrerentur. Tum vero non solum in hepate, sed etiam in ventriculo, intestinis, carnibus, synovia, medullis, ligamentis, ossibus, nervis, arteriis, in pulmone, liene, cerebro, renibus, vesica, utero, testibus, mammillis, denique in universis partibus humani corporis, æruginosum, vitriolatum, tartareum, nitrosum, aluminosum, porraceum, urticosum, aronicum, piperinum, persicariosum, generari posse sancta fide jurarent, & nudis humorum appellationibus repudiatis, proprietates Salium, Sulphurum, & Mercuriorum avidè addiscerent.

 CAPUT

## CAPUT XII.

### *De morborum generatione & transplantatione.*

DIcit in præcedentibus contemplationibus Author, Comitem se habuisse Philosophos, sensuumque ministerio adjuncta observationibus, plantarum & animalium Origines, (quia manifesta possedebant semina) deprehendisse: morborum vero explicationes, quia sensuum arbitriis subjectas generationes non habeant, à paucis comprehensa fuisse, medici vero quibus hæc provincia commissa fuit, observationibus inprimis contenti causas rerum ad certos ordines derivare conati sunt. Itaq; Hippocrates varias morborũ distinctiones statuit ratione causarũ efficientium, ut in libro de humana natura, in libello de humoribus, de Dieta, de morbis, primo de affectionibus, statim ab initio, dicit, omnes morbos fieri à bile & pituita, tanquam in corpore existentibus, excitari vero à cibis & potibus, laboribus, calido supercalifaciente: sic de antiqua medicina, dicit alios morbos fieri à potestatibus, alios vero ab humoribus: ubi explicat, quo pacto humores morbos generant, non quia bilis est calida & sicca, propterea Hippocrati morborum genitrix censebatur, sed quia potestates in se continebat, nempe vitriolatas, aluminosas, antimoniales, tartareas, salgemmeas, napellosas, viperinas, quæ quando exaltata fuerant, incocta, & ab aliis separata, summas vires ac potestates, calamitosa Symptomatum pernitie ostendebant: in libro de alimentis, morborum differentias, in alimento, in Spiritu, & in omnibus humani corporis partibus statuit: itaque artem medicam Galenus primo confusam, ut ipsi videbatur, in ordinem primus revocare visus est, itaque in prioribus libris Methodi medendi quatuor rerum genera inter se distincta proposuit, actiones, actionum proximas causas, antecedentes, evidentes, sive externas, & ex istis ordinibus in actionum proximis causis morbos versari demonstravit, & illas fuisse partium Diathæses, vel dispositiones, easque integrari juxta elementorum temperiem, ex quorum Symmetria sanæ, exametria morbosæ actiones edebantur: causas deinde morborum antecedentes, in humoribus contineri asseruit. Sed Author noster alium ordinem constituit, eumque in morborum progressionibus duplicem facit, realem & nominalem, quem ordinem ex serie causarum efficientium dependere vult, & propterea conqueritur, quod in causis generum & specierum rectam ordina-

dinationem non faciant Galenici, nam quod remotissimum est ab effectu producendo, generis rationem obtinere debet, quod proximum, individuæ speciei locum obtinere tenetur nominalem, quo morbus generis supremi locum tenet, obstructio speciei, mucilaginosa materia hepati impacta, individui: sic morbus, genus erit, febris species, calor in corde individuum, & sicut calorum in corde accensorum, diversas individuorum classes in febribus constituunt, ita differentiæ, materiam mucilaginosarum in diversis locis humani corporis individuas obstructionum differentias pariunt, aliæ enim sunt inflammatæ, aliæ non, quædam acutæ, quædam Chronicæ, quæ omnia ex proprietatibus mucilaginosarum specierum proficiscuntur, Arsenicales enim & Sulphureæ inflammantur, aluminosæ non, arsenicales acutæ sunt, aluminosæ & vitriolatæ Chronicæ: & si ab Authore nostro quæreret aliquis, in quo prædicamento morbum collocaret? responderet eum prædicamenta in morbis collocare, non morbos in prædicamentis, & nomina rebus accommodare, non res nominibus submittere, & signaturas ex radicibus ordinatè educere, non vero radices in signaturarum angustiis collocare. Et nisi multos offenderet, diceret, usum & naturam prædicamentorum à paucis intellectam, à nullis autem, quod sciat, hactenus explicatã, de quibus se copiosissimè egisse in libello suo de nominibus & rebus asserit: Hunc libellum summo rei literariæ damno desideramus, quorum umbram huc adducit, ut lucis imagine à tenebris revocentur plurimi: & quia in hoc capite omnimoda propemodum differentia, quæ habetur inter ejus Pathalogiam & illam Galeni reperitur, operæ prætium statuo in hoc loco summam hujus 12. Capitis, quo omnino à vulgo dissentire videtur, exponere: & primo dicit, semina, astra, radices, principia rerum, in quibus prædestinationes, scientiæ, & dona continentur, fundamenta esse corporum, quantitatum, qualitatum, ac relationum. Quid autem hic per semina, astra, radices & principia intelligat, ex prioribus si benè & studiosè fuerint meditata, patent: quid per prædestinationes, dona, quid per scientias etiam patebit, & ex ipsius authoris hujus explicatione, satis intelliguntur, quia dicit astra & semina in suis scientiis, & occultis thesauris, nempe in potentia causarum antecedentium insitas habere rationes omnium: rationes dicit, non momentaneas, hoc est non ab inferioribus causis instabilibus productas, sed à primis & veris; vivas & efficaces, potestate plenas, astrales planè, hoc est Spiritales, deduxisse, quæ ubi explicantur, elementa & corporum principia consentanea producunt, & sibi adsciscunt, & paulatim ex incorporeis corporea insti-

instituent, ex invisibilibus visibilia producent, id est magnitudines, distantias, durationes, sapores, colores, odores, calores, figuras, & universas signaturas officiis ac prædestinationibus radicum consentaneas, & scientiæ conformes. Quidquid igitur semen in natura habet mysteriũ, principium, radicem, quidquid generationum & transplantationum fluxus moderare potest, scientiam habet, prædestinationem, accepit vitam, potestatem obtinuit, radices astrales posuit: Quid autem significent ista vocabula peregrina in scholis vulgarium Philosophorum, non est quod quærat sedulus aliquis hujus doctrinæ cultor, ex præcedentibus enim patent, ut hic denuo repetere vanum erit: quocirca dicit. Prædicamentorum omnium in se rationes continere tanquam vestimenta & instrumenta, donis opportuna, magnoque errore hujusmodi in prædicamentorum angustijs claudi, cum in suis thesauris prædicamenta & prædicamentorum fontes custodiant: & si quis scire velit, quales istæ sint rationes prædicamentorum? inveniet in fronte hujus operis à subtilissimo Proclo in commentariis suis supra Euclidem illustratas, atque hanc esse rationem prædicamentorum realium asserit. Quod autem si morbos semina habere ac principia in natura, si generationes & transplantationes ratas absolvere, docere possimus, utique à prædicamentorum carceribus facilè liberabuntur. In reliqua parte Capitis ex hæreditariis morbis, & constantia propagationis, illorum seminis vigorem demonstrat. Contagiosi morbi transplantationis documenta ponunt, radices morborum in natura contineri infallibili authoritate confirmat. Nilominus quia priscorum Philosophia incontemplatione morborum manca est, originem, primas radices, & radicum progressiones breviter adjungit, dicendo semina & principia rerum in thesauris elementorum invisibilibus ab initio collocata, generationis & multiplicationis vim accipisse, virtute verbi illius cujus imperio universa obtemperant: fuitque hæc prima rerum facies pura, integra, perfecta, sine corruptione & morte: at vero post prævaricationem Protoplasti, primis illis seminibus, maledictione divina, novæ supervenerunt tincturæ, quarum mixtione, in calamitosam sortem transplantata est totius creaturæ pulchritudo: remanserunt nilominus prima semina, sed novis & infelicibus vestimentis obducta: & hæc est Anatomia morborum mortisque, in cujus explicatione Medicos versari oportet: acceperunt etiam ab eadem potestate, scilicet vocis divinæ, vim multiplicationis & transplantationis, essentiam quoque & proprietates: Etenim qui stellas posuit in firmamento, qui mari terminum collocavit, qui terræ pulchritudinem plantarum fæcunditate

ditate ornavit, idem potestate incomprehensibili tribulas & spinas prævaricationum individuos Comites adjunxit, perfectis vero seminibus miscentur, & difficilè intellectu esset, quo pacto in vitæ republica mortis anatomia hospitia inveniret, nisi infinita ipsius potestas, *qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt*, ab hac nos liberasset dubitatione. Dicit igitur mortis & morborum semina, radicesque in impuritatibus consistere, arsenicalibus, sulphureis, vitriolatis, æruginosis, mercurialibus, vel in urticosis, spinosis, napellosis, cicutosis, opiatis, quæ impuritates inflammabiles sunt instabiles, ad corruptionem festinantes, quocirca unicuique speciei & radici mundanæ adjuncti sunt hospites advenæ impuritates, quæ sine discordia & lite in scientiis, vitalibusque principiis concurrunt, explicatæ vero, in generationum & augmentationum continuo fluxu separatæ & exaltatæ, inimicitias, dissolutionum mortisque Authores exercent: ita mineralium radices suas habent impuritates adjunctas, quæ digestis temporibus absolutis, rubigine, & æruginosa corruptione, dissolutionem moliuntur: Vegetabilium quoque balsamus ejusmodi impuritatum commercio inquinata, senectutis, morborum & mortis Anatomiam admittit: humana vero radix, quæ omnium favore & ministerio utitur, universis quoque impuritatibus inquinata, morborum & mortis infinitas species obtinuit. Et hæc de morborum hæreditariorum semine, origine, & propagatione, hoc loco dicta sufficiant, quæ testimonia continent, morbos semina habere, generationes & transplantationes moderari, cujus rei fidem nos facere oportet: & dicit morborum semina non seorsim in certis individuis consistere, sed permixta esse radicibus fructibusque primæ naturæ: Distinguuntur autem semina & fructus: primo ratione elementorum. Secundo ratione planetarum, ratione elementorum superioris globi & inferioris. Rursus morbi sive cœlestes sive terrestres fuerint, ratione proprietatum, & trium principiorum facultatum, alij Saturnini sunt, alij Martiales, alij Joviales, alij Venerei, alij Mercuriales, & inter Saturninos magna est latitudo signaturarum, diversis proprietatibus discreta: neque enim omnes stellæ Saturninæ ejusdem sunt naturæ, neque herbæ omnes Saturninæ, vel Mineralia iisdem proprietatibus trium principiorum insigniuntur, sed latitudo est, quæ tamen speciei limites non excedit. Ita Hydropis species, quamvis omnes Saturninæ sint, magna tamen signaturarum varietate discernuntur. Ita Epilepsiæ, Apoplexiæ, Paralyses, Mercuriales morbi sunt, singuli diversa individuorum sobole conspicui. Tusses, tabes, Peripneumoniæ, Astmata, Joviales morbi: Pleuritides, Prunellæ,

 pestes,

pestes, febres, martiales, dissenteriæ, gonorrheæ, ulcera venerea eandem Analogiam observant. Seminum vero progressiones explicaturus, à terrestribus & inferioris globi, tanquam notionibus inchoatur: & dicit ista semina in alimentis delitescere, esseque impuritates illas quæ separantur & consuetis viis expelluntur, quousque in corpore rectè omnia administrentur, subjiciuntur enim alimenta Spiritibus Mechanicis humani corporis, & facilè obedientia resolutiones & separationes admittunt: qui Galenica principia sequuntur, in his affectibus intemperiem accusant, vel simplicem, vel cum affluxu materiæ, quia in explicatione naturalium facultatum, neglectis Seminibus Mechanicis, Spiritibus, & trium principiorum proprietatibus, Phantasticis elementis, & nudis qualitatibus, actionum causas adscripserunt, ad astra igitur descendere oportuit, ad semina cœlestia, terrestria, aquatica, aerea, ad seminum Mechanicas lithurgias, in generationum & transplantationum progressu.

# ADUMBRATIO

## CAPITIS XIII.

### *De locis & temporibus morborum.*

Jam autem cognitis elementis, seminibus, generationum & transplantationum legibus constitutis, atque hinc sanitatis ac morborum causis & originibus derivatis, elementorum Anatomiam, hoc est naturam, facultates & vires aggressi sumus, quæ & ipsa fundamenta habent in doctrinâ generationum & transplantationum, præparationes & debitas administrationes inquirens. Has contemplationes dicit Author esse verè Philosophicas, & Medicinam, quæ hisce fundamentis Physiologicis innititur, verè Philosophicas habere dicetur: dicit morbos universos non differre radice, sed locis solum, adeoque dicit, radices morborum non esse multum dissimiles, differre solum loco, adeoque semina radices habere, ad quas reliquæ tanquam ad fontem reducuntur per loca. Author hic dicit, se non locum postremum, vel ultimum inquirere, sed fomitem, fontem, principium, radicem, non fructuum diversoria, sed seminum hospitia, non secundarum radicum agros, sed primarum: longè enim aliter hic Author de loci natura ac proprietatibus

tatibus sentit, ac plurimi Peripatetici, qui Mathematicas descriptiones rebus naturalibus adaptare conantur: apud eum enim elementa, matrices, mineræ, loca, sunt rerum non otiosa, sed suis proprietatibus instructa, quæ vitam, & alimentum exhibent suis locatis, id est seminibus, & hæc dicit de locis morborum sufficere: de temporibus post hæc acturus, dicit fundamenta temporum in donis & scientiis seminum contineri, ibi termini, horæ, minuta, menses, anni, lustra, sæcula, longè antea definita fuisse, & unicuique semini, ut colorum, saporum, figurarum, caliditatis, frigiditatis, duritiæ, asperitatis, levitatis, coagulationis, resolutionis, magnitudinis, innatas leges existere: ita quoque temporum prædestinationes, silentij, ortus, maturitatis, senij adjunguntur.

## CAPUT XIV.

### *De curandi ratione & legitima indicationum & remediorum administratione.*

IN hoc Capite quatuor genera Seminum, seu locorum, nobis constituit, impuritatum radicibus manifestè differentium, & ad horum ordines morbos reliquos obscuriores, debiliores, imperfectos, magna curationis commoditate reducit: sed quia ex duodecimo capite conquerentur plurimi, Authorem numerum morborum multiplicasse, proinde in hoc decimo-tertio capite individuas morborum species, prolixa nominum & Symptomatum varietate definitas, à multitudinis fastidio ac infinitatis metu liberat: etenim ardores, vel orexes ventriculi, colicos dolores intestinorum, strangurias, hemicranias, Podagras, dentium dolores, & multos ejusmodi morbos ex dolorosa Symptomatum vehementia denominatos, ad unam eandemque familiam reducens profitetur, ex iisdem seminibus & trium principiorum proprietatibus fieri, ventriculorum solum sive agrorum diversitate distingui, & sic à multitudine ad unitatem revocat, & Hippocratem testem adducit: similiter omnes morbos ad quatuor ordines reducit, nempe lepram, hydropem, Podagram, & Epilepsiam, & sub lepra Cancrum, & alias species, solutionum continuitates comprehendit, & dicit Cancri radices & fructus salia continere, ferrugineaque in carnibus, venis, membranis Martis Anatomiam referre, & hospitia domestica immiscentur, vel in facie, labris

labris, mammis, pectore, utero: interdum herpetes æstiomeni & luis, radices habent æruginosas, Cancris finitimas: in carnibus musculosis artuum & pectore, sedes quærunt: hydropica ulcera, crurum propria, aluminosas habent radices: pruritus, scabies, nitrosis, vitriolatis, ac levioribus, tincturarum proprietatibus constant: locisque omnibus emittunt, vaporoso sed lento sudore, in quo Spirituum fortium scientiæ & prædestinationes continentur, carnibus & cuti perniciem allaturæ: dolores, calores, frigiditates, siccitates, humiditates, ac similia Symptomata, ex proprietatibus Salium explicari debent; nam corrosiva Salia in Anatomia sanguinis & carnium continere posse demonstrant. Separationes Spagiricæ ut urinam, colamentum esse sanguinis, carnium, synoviæ, fatentur omnes, in qua quot, quantæ, corrosivorum Salium species occultantur, pruritus, scabies, radices habent leviores, facilè resolubiles, nisi leprosæ tincturæ admixtæ fuerint: similis propemodum est generatio Podagræ, arthridinis, Cephaleæ, Hemicraniæ, dolorificæ fluxionis seminum, triumque principiorum servata differentia, constant enim ex impuritatibus Colicis acutis, quibus tincturæ Salium, acerbæ, contagiosæ, amaræ, salsæ, acres, vel acetosæ, tartareæ, vitriolatæ, nitrosæ, aluminosæ, aronicæ, urticosæ, persicariosæ delitescunt; quarum tamen prædestinationes, adulterationes non festinant, nisi longa circulatione, vel peregrinorum Spirituum admixtione, ulcerosas proprietates acquisiverunt: vehementiores dolores sunt vitriolatorum, æruginosorum, tartareorum, quam aluminosorum, & Salgemmeorum spirituum: salis communis ac nitri spiritus acutissimi sunt: acetosæ, aluminosæ, Stypticæ, & berberisatæ tincturæ, frigiditatis authores sunt: tartareæ, æruginosæ, arsenicalium spiritibus permixtæ rubores, caliditates, inflationes, & pulsationes inducunt, quamvis digestione, & continua circulatione, Narcoticæ & frigidæ tincturæ accensæ, Caliditatis adulterinam imaginem sæpè repræsentent: De morbis autem ex resolutionibus astrorum superioris globi, tali utitur Author exordio. *Ex iisdem nutrimur, ex quibus sumus.* Ex iisdem ex quibus nutrimenta haurimus, morbos morborumque semina pariter accipimus. Ostendimus enim morborum radices, incertis & individuis, vel speciebus seorsim non consistere, sed implantatas & permixtas esse puris primisque rerum seminibus: nutrimenta vero rerum naturalium fructus sunt seminum, in quatuor matricibus vel elementis vigentium: alimentaque omnia, semina sunt, sed impuritatibus permixta, proinde non solum ex fructibus elementorum inferioris globi, id est ex cibo & potu nutrimur, sed cœlestium aeriorumque semi-

ſeminum reſolutiones & fructus magna neceſſitate continenter expetimus, ut alimentorum ita morborum quoque ſemina ex iiſdem haurimus: idcirco Hippocrates libro de flatibus ita expoſuit, ſpiritus neceſſitas, inquit, mortalibus omnibus tanta eſt, ut quamvis aliis omnibus abſtineat homo, nec cibum ſumat neque potum, poſſet tamen dies duos vel tres & plures ducere: ſi cui vero ſpirituum meatus, per quos in corpus ingrediuntur, intercipiantur, momento unius horæ moritur, & quamvis inviſibile ſit hoc alimentum, nihilominus conſentaneis ciborũ & potuum ſignaturis non deſtituitur: Sunt & alia morborum genera, quæ ex ſeminibus non oriuntur, ſed quaſi læſiones quædam ex generationibus relinquuntur, ex quibus figurarum & cavitatum morbi plurimi dependent: item morbi novi & antiqui, aſtrales & Minerales, & plurimæ diſtinctiones, his ſimiles, & iſtas læſiones ἐπιγενόμενα dicimus, & hujus generis eſt metaſtaſis, hoc eſt humoris tranſmiſſio, quæ non ſolum per vias manifeſtas, ſed per occultas etiam fit: hanc ſæpè concomitatur Epigeneſis mutatio, quæ ſemper prava eſt, & fit mutatio à pravis ad pejora non ſolum, ſed manente priori aggravatur, de quibus longior requiretur ſcribendi locus, quam hac occaſione dari poſſit. Ut igitur inſtitutum proſequamur, dicit author morborum ſemina quæcunque in humana Anatomia fructus & Symptomata proferunt, affinitatem habere, cum lepra, podagra, Hydrope, Epilepſia: ſub lepra erunt ulcera omnia, pruritus, Scabies, Alopeciæ furfures, ſquammæ, ſciſſuræ, cutis fæditates, puſtulæ, malum mortuum.

Podagræ ſignaturas habent Colicæ, Neuphritides, Orexes, dentium dolores, Arthrytides, dolorificæ fluxiones, Cephaleæ, Hemicraniæ. Hydropis Affines erunt febres omnes, apoſtemata, ictleritiæ cachexiæ. Ad Epilepſiam referuntur Catharri, Paralyſes, palpitationes cordis, Spaſmi, Vertigines, Melancholiæ, Apoplexiæ, ſuffocationes uteri. Tranſplantationes quoque horum conſiderari utile eſt, conſpirant enim inter ſe omnium morborum radicales impuritates, & mixtiones tranſplantationum authores facilè admittunt: ita ſæpè conſpiciuntur Catharri, Podagræ, Paralyſes, lepræ, Apoſthemata, Iteritiæ, Cachexiæ, ulceroſis proprietatibus inquinatæ, febres Arthriticæ, Paralyticæ, Catharroſæ ad prædeſtinationes leproſas inclinatæ: ſic novorum morborum reſolutiones, ſive tranſplantationes conſtituunt fæcundas, ſive evaneſcentes, vel ſubitò, vel tardè, ut morbi Gallici, Sudores Anglici, peſtes Petechioſæ, prunellæ, diſſenteriæ, pleuritides, & ſimilium tincturæ Epidemicæ, in radicibus antiquarum implantatæ, & magnum

gnum operæ prætium ad veras legitimas morborum curationes adferunt, longè enim tractandi sunt aliter morbi permixti & transplantati, quam simplices & legitimi: & quamvis absoluti hydropes, perfectæ lepræ, consumatæ podagræ & Epilepsiæ universali solummodo curationi subjiciantur, in qua indicationum pluralitates, particularitates, ordines, locum non habent, sed una eademque medicina, resolutiones, consumptiones, regenerationes, & corroborationes absolvuntur: nilominus, quia talium tincturarum occultæ prædestinationes, hoc est fatales fines, quarum potestate universales illæ curationes perficiuntur, in majestate naturæ latent, mundanis dispensationibus non subjectæ, & paucissimis contentæ videntur.

## DE LEPRA.

ANte hac adstrinxi me, ut generalia remedia duntaxat affectuum indicarem, non autem ut Institutionarij officium præstarem, ea enim ratione in oceanum formularum me immergerem, & ita dum pigmentis istis studere viderer, & Theriacæ Andromachi numerosam suppellectilem in singulis Apozematibus superare, occasionem ingeniis praxi medicæ destinatis, ad istas formalitates, quasi Phaleras confugiendi darem, non multum enim refert, quam parum sit fæcundus Medicus in remediis, modo legitimas indicationes habuerit curativas, morbo & remedio Analogas, nec refert ita in fucum externum inhiare, ut Apuleus, qui solas rosas, hoc est solam pulchritudinem externam ambiebat, ut ex eorum solum usu, ex asino in hominem rediret: nec minus sagax judicabitur juvenis medicus, qui inter 2000. radicum, corticum, foliorum, racemorum, florum, seminum, prodigiosum numerum, duas vel tres species sibi peculiariter cognitas eligere velit, & in quotidiano usu exponere, quam vana ista farragine uti, ut videatur omnia scire & stupenda Clarissimi Domini Doctoris Bohini volumina percurrisse, in quibus labore satis sterili, nec ipse magis exercitatum, nec minus ambiguum inveniet: accedit habendam esse rationem laboris Pharmacopæi, ut debitè solvatur, si nempe locus aut ægri crumena tam immensis laboribus subministrare possit, sed quod magis est ingredientium istorum cognoscere defectum, Medico impossibile, & dignoscere, imo & ipse Dominus decipietur à servo, qui dicet se ista collegisse, ut segnitiem suam palliare possit: sed quod magis est horrendum, specificæ facultates vegetabilium, vel manifestæ, vel occultæ, à diversis ita diversimodè nobis exponuntur, ut nescitur cui

cui fides sit adhibenda. In hoc igitur calamitoso casu, opto juvenem medicum, ut cum non possit errores istos evitare, benignioribus plantis in similibus occasionibus uti velit, quousque familiares aliquot plantas Empyrica fide sibi cognitas habuerit, ut pro singulis affectibus unam aut aliam, magis aut minus praxi suæ approbatam loco & tempore debito exponat: idem in mineralibus faciendum, sed cavendum à mixtionibus spirituum, oleorum, aut salium, semper illa per se absque mixtione erunt exhibenda, nam si spiritum nitri oleo vitrioli admiscueris, facies aquam fortem, si oleum vitrioli oleo tartari admiscueris, debilitabis utrumque, & ad intentionem tuam utrumque ineptum reddes: de animalibus etiam multa similia invenies, & usui tuo adaptabis. Jam autem ut ad Lepram accedam, nescio an sæcula quædam novos morbos nobis induxerint, ita credere non impar erit, alia sæcula multos morbos deliterasse, de quibus nullum habemus propemodum vestigium: hoc de lepra possum dicere, nam ultra duos pauperes quos in cura mea habui, alios nunquam vidi. Hunc affectum fuisse communem populo Judaico propter Majestatem Authoris credere debemus, sed ista lepra fuit divinitus ab Authore naturæ, inter solos Israelitas diffusa, pro pœna peccati, ita ut non inficiebantur homines solum ex ista lepra, sed & parietes, & quæ non dignoscebantur nisi à sacerdotibus: omnes autem cũ afficiebantur, signis suis manifestis sequestrabantur per aliquot dies à cætu hominum, quousque sanarentur: sed nunquam audivimus istos affectus à nullo nisi à sacerdotibus curatos: similis etiam erat probatio virginitatis, quæ fuerat etiam à sacerdotibus exposita, ut veritatem indagarent, sed omnia ita naturæ divinæ instigatione, populo suo ad causas sibi notas exposita fuere.

Non est, ut hactenus dictum fuit, ut expectet aliquis me in his morbos definire velle, aut dividere, si enim definirem, hoc facerem juxta Authoris mentem, & hanc viam ingredi est abyssum magnam penetrare, ad quam nec mihi sufficit tempus, nec Majestas rei tam parvis hisce scedulis includi patietur. Proinde unumquemque opto, si Authoris hujus dictamenta sibi placuerint, ut Authorem hunc sedulo pervolvat: interea Institutionarios vulgares legat, & quousque ad majorem fructum tendere videatur, definitiones & divisiones, circumscriptiones, formulas remediorum ex illis adiscat: ita inveniet lepram nihil aliud esse quam Cancrum universalem totius corporis, corrosione, pustulis, fætore, tumore œdematoso, totam œconomiam corporis humani devastantem, præcipuè qui ad oculos & nares irruit: sæculis præcedentibus videtur istos affectus fuisse admodum vulgares, sed à tempore

pore Paracelsi, quo ipse nobis notitiam dedit virtutum Mercurialium, vix jam in toto orbe conspicitur; præterquam illa quæ tam proximam affinitatem habere videtur cum scrophulis, & lue venerea, aut scorbuto, ut nullus judicaret tales homines esse aliquo morbo alio præterquam illa lue venerea infectos, iisdemque planè remediis curantur; neque ullis ignotum est, quamdiu latuerit lues venerea ignota, imo hoc ipso sæculo plures celebres Medici retinuerunt usum ligni Gajaci, Schinæ, Salsiperellæ, Sasafras, ex quorum decoctis exhibitis manè in lecto calido, provocabant sudores, & morbum inveteratum si non curabant, ad minus pro tribus vel quatuor mensibus palliabant. Tandem venit Mercurius nuntius Deorum cum aliis suis, & in solertium medicorum manibus fidelissimam hujus morbi curam tradidit, relictis unguentis, fumigationibus & similibus vilibus exercitiis barbitonsorum, qui aliquando rectè curant, imo & rectius quam Medici illi, qui contra Mercurium exclamant. Hujus rei testis esse potest doctissimus Fernelius, qui Mercurij usum hominibus prohibebat, sed si jam viveret, diceret aliquis ejus sectæ sæculum fuisse transmutatum in aliud, aut ille proculdubio consilium mutaret, nam plus est virtutis & energiæ in solo Mercurio, modo quis rectè non solum præparare, sed tempore & loco dare calluerit, quam in omni ordine plantarum, mineralium & animalium. In hoc morbo tres morbi conspiciuntur, intemperies à calido sicco & acri (per calidum hic non intelligo primam qualitatem elementorum vulgarium:) secundus morbus est Organicus, mutat & deformat totam figuram corporis humani. Tertius morbus dissolutio continuitatis. Remedia hæc incipere debent à venæ sectione reiterata & frequenti, sicut etiam in Catharticis juxta oblatas indicationes, Medico in Praxi versato necessarias: balnea itidem & Stuphæ, Cauteriæ potentiales, abstinentia vini, in usu lactis recenter mulctati, Jusculorum pullorum, herbis refrigerantibus & acidulis alteratorum: sed si fuerit lepra inveterata, ad majora ascendendum, & pro illis quibus pustulæ apparent in facie, præparetur unguentum simile.

℞ Litargiri argentei pulverisati, & per Setaceum transjecti aceti fortissimi libr. I. olei communis libr. II. coque in unguentum, quod extendi debet super linteo aliquo capaci, ut cooperiat duntaxat pustulam, sed ea lege, ut antequam admoveatur unguentum, inspergantur grana duo vel tria Mercurij dulcificati vulgaris: si hac via non processeris, veniendum erit ad majora, nempe detergi debent ejusmodi pustulæ, quæ unguento isto unctæ fuerant, ne remedium hoc sequens omni virtute careat. Remedium autem

autem est, ut primo tangatur aqua. Secunda, auri fabrorum, si non successerit ascendendum ad aquam fortem, ab hoc ad spiritum nitri fortem, si ad alteriora veniendum erit, restabit oleum Arsenici. Interea post remedia purgantia adstringendus erit, probi victus ratione. Cibus sit panis decoctus, cum carne viperarum aut serpentum vulgarium coctorum in aqua usquequo cocturam nacti fuerint: tunc admota farina, nempe tres partes ponderis farinæ, pro una parte serpentum, sive viperarum. Quomodo autem debeant præparari ad cocturam nil amplius expetitur, quam ut auferatur caput & cauda, intestina vero, viscera, cor, pulmones, felle solum rejecto colliguntur & desiccantur in olla aliqua, quousque pulverisari possint, & de hoc pulvere, aut simili re uti. Nec satis hoc erit, sed bibant per annum aquam destillatam sequentem.

℞ Ranarum viventium 200. impone vivas balneo Mariæ, & admoto Alembico & benè lutato, datur quam citò possit aqua fervens, & admoto recipiente, juncturis omnibus benè clausis prosequatur destillatio, quousque nil effluat, & quia aqua ista corruptioni est pervia, imponatur vasis optimè clausis, vel condiatur saccaro, & coquatur pars ad spissitudinem syrupi, & tunc dabitur ipsis in potu ordinario tota hyeme: ubi non suppetuntur Ranæ, potus ordinarius esse debet aqua fragrorum, in qua ℥ij. Syrupi ranarum viventium dissolutæ fuerint, pro libris duabus aquæ. Ex hepatibus etiam ranarum præparari possit opiata cum carnibus viperarum, & pro ℥j. opiatæ admiscui debet ℈j. Theriacæ Andromachi: hisce remediis nisi mitescat affectus, ille medicus manus dare debet, & devictum à morbo arte majori fateri. Socordiam tamen & fucorum persimiles haberi debent, qui non suapte ingenio, secreta naturæ aliquot remedia pro quocunque contra naturam affectu, semel in vita non indagaverint, ne semper aliena industria fisi videamur, ut velut inter edentulos adhuc vesceremur, & solido quasi nunquam, sed præmanso cibo uti velimus, & si difficultate, aut nimia nostri diffidentia, terreamur, ne veritatem exquisitè cognoscere possimus: non tamen desperandum, imo nos artificiosa quadam conjectura, tandem ad veritatis arcem perventuros fore credamus, ad minus tamen ita inartificiosè, quin via ad veritatem proxima, per sensum scilicet, & rationem incedendum nobis esse arbitremur, & si ad prima & radicalia præsidia pervenire quamprimum non possimus, conandum ut proximis quam fieri possit adhæreamus. Excusamur enim quando à rerum fastidiis repellimur, dummodo vires denuo resumendo ad metam primam absque trepidatione confugere videamur.

Neque in arduis desperandum, neque in facillimis fidendum: hoc enim jacto fundamento communi, nil nos scire firmius posse, quam quod nihil sciamus, quod dum graviter in animo meo revolvo, tædet fermè laboris anteacti, ac pœnitet vehementer, optoque sæpius, quod olim in votis Euripidi fuit, ut missis procul sermonibus otiosis res ipsæ se quales sint explicent, & cum hominibus colloquantur. Ne tamen erga benevolos Deos simus ingrati, mature à quærimoniis abstinendum, ut quod hactenus concessum est etiam ceu malè demeritis, non auferatur; hacque fretus fiducia credo non solum esse remedia universalia, quæ impuritates omnium morborum extirpare possunt, sed etiam dari minus universalia, quæ lepram de certo tollere, imo arthriticos affectus, luem veneream, & ulcera omnia tollere possunt, sed quia in ipso bono successu scandalo non vacat si reveletur, conticeo, & apud me reservo, non tamen ita ut filiis artis impediatur aditus & via, quibus facilè meis inventis addere multa forsan à me prius tecta, nunc autem à me recognitura ipsis revelabuntur, ego enim à primis annis Analogismo ab intellectu, Epilogismo vero à sensu usus sum, ut ad intimam illius remedij medullam penetrarem: horrebat primo animus bestiam tam ferocem aggredi, sed longo usu & plurimorum errorum correctione, cicuravi, & ad frugem bonam diduxi, nolui tamen unquam alicui communicare, ne meos forsan errores ex malè utentium errore denuo in me recrudescerent, non quod à remedio esset aliquid metuendum, quia nec solum se præstare oportet, oportuna facientem, sed & ægrum & assistentes, & exteriora, qui in hoc casu mille errores committerent. Ego igitur cum vilibus animis semper exercebam, nam cum magnatibus & famæ meæ, & remedio pessimè consuluissem: nam cum considerarent solo usu balnei tam graves morbos tolli non posse, aut credidissent, me de falso imposuisse difficultatem, dum morbum leviusculum solo usu balnei aquæ dulcis tollerem, aut palliasse remedium, & ego in hoc casu crumenæ meæ malè consuluissem, cum tam levi prætio non acquiratur materia, quam unusquisque cogitare potest, & ita oleum & operam perdidissem non solum, sed similiter ægri bonam de me conceptam opinionem in Charlatani cujusdam personam cum summo dispendio commutavissem. His & aliis causis, vel venalem exponere, nec vendere, nec commutare volui, sed spero futurum, ut in propatulo tandem perveniat, neque impediam tanto minus, nam ego designo nomine balnei lactei Regis, quod tamen, ne dosi, usu & reiteratione, multis & periculosissimis concomitatum periculis & scandalorum anfractibus, per se so-
lum

lum longo usu evitandis, juventutem artibus Medicis destinatam decipiam, reticeo.

Dictum fuit semina omnium morborum in humana Anatomia, fructus & symptomata affinitatem habere, vel cum Lepra, Podagra, Hydrope, Epilepsia. De lepra jam egimus, de ulceribus deinceps dicendum.

## *Vlcera autem sunt simplicia, aut composita.*

VLcus simplex cognoscitur, ex simplici carnis divisione, absque ulla deperdita substantia: ex simplici carnis divisione, & ut plurimum absque syntomatibus ulceris simplicis, simplicem habemus indicationem: V.G. curationem, quæ fit mediocri exsiccatione, corrigendo humores vitiosos, & facilè curatur purgatione, sanguinis missione, Diæta, hoc est bona victus ratione: si aderint fluxiones, sistuntur ligaturis, embrocationibus, fomentationibus, unguentis refrigerantibus: inter multa similia, valet unguentum sperniolæ, ex cerussa & Camphora, aut potius accipiendum erit illud unguentum prius descriptum ad lepram, & si non respondiderit affectus, istud unguentum de Litargiro coqui potest in consistentiam emplastri, quod extra omnem dubitationis aleam curabit, modo in recta victus ratione medicamentorum maneat.

## *De ulceribus cum intemperie.*

OMnis intemperies qualiscunque, usu remediorum universalium, nempe per decentem victus rationem, & purgationem tollitur: si ista intemperies sit nuda aut complicata fluxionibus, corrigetur unguento albo Camphorato, desiccativo rubro, per succos plantaginis, morellæ, & Sedi majoris: si concomitata intemperies fuerit frigido, curabitur fomentatione vini absynthiaci, mentæ, pulegij, aut cum lixivio aluminoso: intemperies humida reducetur ad naturalem unguento Pomphiligonis, de gratia Dei, Diacalcitheos, habito respectu ad humorem, nam aliquando hæc intemperies, multos pravos humores habet sibi associatos: intemperies sicca corrigitur applicatione Diachili, & pro unaquaque uncia emplastri addetur ʒj. rosarum rubrarum in oleo dissoluti. In omnibus istis ulceribus, qui fiunt cum intemperie, primo auferenda erit intemperies, & deinde ad majora ascendendum.

## *De ulcere, doloribus concomitato.*

DOlores ut plurimum isti non proveniunt, quam ex calido aëre & corrosivo, qui ut plurimum dependent à Sale resoluto fortium Mineralium, aut Vegetabilium per alimentum in corpora hominum delato: exhibitis igitur universalibus studendum ex quibus salibus producantur, ut ex similibus salibus præparari possint medicamenta necessaria ad affectum tollendum. Interea quousque res ad probam & rectam viam fuerit reducta, applicentur succi plantaginis, vel aquæ, vel oleum ex iisdem vegetabilibus extractum, quæ possunt misceri oleo rosato, & pauco aceto destillato, albumine ovi, oleo itidem ovi, Cataplasmate ex Malvis: oleum rosatum & Lytargirum prius diligenter in mortareo marmoreo agitatum, deinde lento calore coctum, sed inter reliqua omnia, magis tibi placebit ceratum sequens.

℞ Salis Saturni, hoc est plumbi ℥j, aceti destillati, & aquæ ranarum viventium aut sperniolæ, Solani rosarum aut Plantiginis an. ℥iij. aquæ albuminis duorum ovorum & olei ovorum ℥iij. agitentur omnia leviter in mortario cum pistillo, deinde cum spatula, quousque evexeris ad consistentiam cerati: si adfuerit intemperies humida, fomentandus est locus vino, in quo maduerint species calidæ: quod si ex illis intentionem expectatam non obtinueris, auferetur ista intemperies sola cremati Camphorati applicatione, & applicetur emplastrum triapharmacum ut supra: si pro istis omnibus dolor non cessaverit, advocanda erunt Narcotica, tam intus, quam foras: fiat igitur cataplasma ex foliis papaveris, vel ex oleo papaveris, quod reduci potest in unguentum, mediante cera virginea, quod ad introsumendas specta: recurratur ad laudanum meæ compositionis, longa mea praxi & usu absque scandalo applicatum, quo remedio nullus prudens Medicus carere debet in pera, si velit cum laude medicam exercere artem.

## *De ulcere cum tumore.*

QUam primum apparuerit tumor, conandum erit auferre, & si tumor ille sit à virulenta aliqua causa, monendus est æger ut regimen victus tenuê & refrigerans instituat, utatur phlebotomia, & purgatione sæpiùs reiteratis, juxta naturam tumoris. Topica debent esse ex farina fabarum, frumen-

frumenti, florum Camomillæ : sed si tumor tendat ad suppurationem, fiat Cataplasma ex Malvis coctis in aqua cum farina seminis lini & fænu græco, & axungia porcina, & omnia fient in modum cataplasmatis.

## *De ulcere contuso.*

VLceri contuso debentur remedia humectantia, & resolventia, sicut sunt farina frumenti, oleum ex vitellis ovorum, aut cataplasma de radicibus alteæ.

## *De ulcere cum carne superflua.*

CAro superflua alumine usto, pulvere Sabinæ, unguento Apostolorum, Ægyptiaco dissoluto in Spiritu vini aufertur : quod si per ista ad scopum tuum non perveneris, recurre ad aquam sequentem infallibilem.

℞ Litargiri ℈ij. sublimati corrosivi ℈iij. aquæ ranarum viventium, rosarum vel Plantaginis ℥vj. coquantur omnia simul ad quartæ partis consumptionem, applicetur prius defensivum ne aqua attingat ulcus, & cum guttulis aliquot hujus aquæ habebis bonum effectum : in omnibus istis oportet ut Chirurgus sit judiciosus, & applicet ista juxta naturam partis, cujus adjectionem facilè tolerare potest & æger & ulcus ; deinde ut quantitatem carnis superfluæ consideret : in his enim ulceribus carne superflua scatentibus, vera caro nunquam generabitur, quamdiu superstes erit superflua.

## *De ulceribus quæ malus color cum duritie marginum concomitatur.*

A levibus incipiendum; primo utendum butyro ceræ : quod si isto benigno præsidio non obediverit malum, margines sunt scarificandæ, & Mercurius dulcificatus super aspergendus: interdum si ista non prævaluerint, accersenda erunt fortiora, ut est oleum Mercurij & Antimonij, in præparatione & processu pulveris Emetici procurati. Cauteria erunt adhibenda, ex quorum numero præstant crystalla lunæ, facta ex argento copellato, & aqua forti simul super cineres parum evaporata, & inde ablata contrahit crystallos, qui ad operis finem deducunt.

## *De Ulceribus Varicosis.*

NUllus debet ulcera varicosa prius curare, nisi aut divertatur humor, & sanguis crassus, diversione, aut ligaturâ; diversio est cura palliativa, sanguis nempe ex vena, quæ supra ulcus est, sæpius evacuatur, incidendo venam varicosam, & ad aliquot dies ulcus pabulo suo destitutum incipiet sanari, sed redeunte denuo nutrimento redit affectus. Suaderem in hoc casu si nolit æger sufferre molestias continui ulceris, ut eat ad radicalem curam qualis sequens est. Eligendus erit aliquis commodus locus supra ulcus varicosum, & ibi locus novacula denudandus, separando nervum & arteriam, tunc filo & acu curvato fiat ligatura duplex, unã supra, altera vero distans à prima ad intervallum digiti, & inter duas istas ligaturas scindetur vena varicosa, & curetur vulnus more aliorum vulnerum, & ita alimento ablato disparebit affectus: si autem aliquis vereatur cum novacula locum detegere, potest Chyrurgus cum acu circumflexo aut curvo, tamen cavendo à nervis & arteriis, postea ligare, & relinquere filum, quousque de se ipso deciderit: sciendum tamen est, ulcera ista varicosa nunquam debere curari nisi in puro corpore.

## *De ulceribus complicatis ossibus cariosis.*

PRæmissis generalibus, denudandum erit os cauterio potentiali aut novacula: quod si caries superficie tenus adhæreat, os radendum erit instrumento ferreo, quousque parum sanguinis effluxerit: tum pulvis sequens Cathagmaticus apponendus erit. ℞ Radices Aristolochiæ rotundæ ℈ij, alois ʒj ß, unguenti Ægyptiaci ℥ ß, misceantur & applicentur loco æruginato, cui superponetur emplastrum triapharmacum. Quod si vero locus profundior erit, quam possit attingere unguento, in hoc casu utere divina aqua calcis vivæ, quam semper chyrurgus penes se habere debet.

## *De vera calcis vivæ aqua.*

℞ ʒij Sublimati corrosivi subtiliter pulverisati, & dissoluti in libra una aquæ distillatæ, herbarum, sive saniculæ, consolidæ majoris, pirulæ, aut in simili

ſimili vulneraria planta, filtabris diſſolutionem quam miſces libris duabus aquæ imprægnatæ calce viva: imprægnatur autem iſta aqua modo ſimili; Sume lapidem calcis vivæ, & ſuperaffunde aquam vulgarem, & videbis illico effervéſcere omnia, & lapidem in conſiſtentia pultis tranſmutari, effunde illico aquam imprægnatam, ſed in affuſione ſit aqua ſufficiens, ut calx ebibere poſſit de iſta aqua quantum voluerit. Nam quo minor quantitas aquæ ſupernataverit, eo magis eſt imprægnata, & è contra, quantum plus aquæ reſtiterit ſupra pultem iſtam, eò minus eſt imprægnata: hanc aquam imprægnatam filtra per diverſas lingulas, & acceptis duabus libris illius aquæ imprægnatæ, pones in diſcolo aliquo terraceo vitreato, & ſuperaffundes diſſolutioni ſublimati corroſivi, ut in capite hujus tituli dictum fuerat: tunc videbis iſtas duas aquas incorporari, & mutari in colorem; primo in flavum, deinde in auranſiacum hoc pacto: poſt reſidentiam duarum horarum, tinge digitum, in iſta aqua, & admove linguæ, in qua ſi repereris vel minimam acredinem, adjice de aqua tua imprægnata, calce viva reſidua, eo uſque, quo aqua tua apparuerit inſipida: tunc filtra per tres, vel quatuor diverſas lingulas, & remanebit aqua inſipida, verum omnium vulnerum & ulcerum Balſamum. Ex hac operatione, non poſſum ſatis mirari vias inperſcrutabiles naturæ, quomodo ex aquis iſtis duabus tam corroſivis poterat fieri aqua inſipida, nam hoc exemplum denodare poteſt infinita alia exempla quæ ſuper hanc rationem fundantur: Simili etiam ratione omnis Spiritus quando affunditur ſalibus diſſolutis, facit effervéſcentias; & ſi in vaſe clauſo & in expanſo lumine, videbit curioſus Medicus pluviam aſcendentem uſque ad collum vaſis. Rogaret me forſan aliquis, quæ eſſet ratio aſcenſionis illius aquæ? Reſponderem, aſcenſum eſſe motum, & omnis motus eſt actio, & omnis actio à viribus, & vires ab eſſentia: fuit ergo ibi eſſentia iſtarum rerum calidarum, eſſentia autem illa non fuerat ſenſibilis, neque enim videbatur quando actionem iſtarum rerum faciebat in corpore, ſed per Analyſim aſcendimus à cauſa proxima uſque ad cauſam ſimplicem & remotiſſimam: cauſa enim proxima fuit corpus tum ſalis in omnibus ſalibus diſſolutis, tum ſal in corroſivo Spiritu, qui fuerat in ſublimato corroſivo, & cum corpus ſit invalidum per ſe in productione actionis, illud quod involvebatur in corpore ſalis & ſpirituum, fuerat ignis, qui prius captivatus in ſuo corpore, convertitur ad cauſam, nempe ad fluorem, per omnes gradus virtutum ſeminariorum, & omnes gradus elementorum radicalium uſque ad Ens, ſeu primum mixtum Metaphyſicum: ſi quis velit exactius inquirere demonſtrationem

tionem illius propositionis de mansione, progressione, & conversione ad causam, legat 18. propositionem de vita; ignis igitur totus Spiritus defert secum in sublimi corpus salis & spirituum acrium, tamdiu quam vires illius actionis ignis attollere potuerant, deficientibus autem viribus, cadit demum in fundũ vasis materia quædam alba, vera terra, sive vitrum, aut corpus salis insipidum cum Phelgmate insipido, sed viribus Anodynis imprægnata.

## *De ulceribus malignis.*

ANtequam suscipiatur cura talium ulcerum, oportet considerare quas habeant conditiones, ulcerum prædictorum indicationibus Analogas, & tunc juxta ea, quæ dicta sunt, procedere debetur: talium vero ulcerum præcipua indicatio erit vehemens exsiccatio, & simul detersio, absque mordacitate, & pro omnibus istis indicationibus supplendis aquam calcis prædictam in ulceribus complicatis cum ossibus cariosis recommendo: sed si non præsto fuerit aqua, recurretur ad usum emplastri sequentis, & infallibilis in omnibus malignis ulceribus.

℞ Lithargiri argentei, aceti fortissimi singulorum libr. 1. pulverisetur Lithargirus & transmittatur per setaceum, & cum duabus libris olei olivarum ponantur in vase æneo aut terreo, vitriato, capacissimo, & super igne lento ponantur: quam primum enim incœperint effervescere, tunc spatula larga lignea moveantur, ne parietibus vasis adhæreant, aut grumescant. Interea solet sæpè fieri magna effervescentia, ut tota materia videatur superfluere vasculum: in hoc casu minister debet habere apud se ollam, in qua tenere potest libr. 1. aquæ, calcis vivæ, supradescriptæ, & paulatim per diversas vices ebullitionis aliquot cochlearia injicere, quantum valent ad defervescendam materiam, & ita dispenset, quousque materia redacta fuerit in consistentiam emplastri, & habeatur cura ista tali proportione addere antequam tota materia sit emplastica, & ita habebis emplastrum divinum in omnibus ulceribus mirabile: quod si vero quis velit huic emplastro duplicare aut triplicare vires, in hoc casu sumat olei Antimonij extracti à sublimato corrosivo & antimonio in præparatione pulveris Emetici ℥ß, cui addetur ℔ j ß, aquæ calcis puræ, & istam aquam adjiciet, & eodem modo dispendat, sicut dictum fuit de aqua calcis priori, & quam primum reducta fuerint omnia ad formam emplastri, auferantur ab igne, alioqui nimis multum induresceret: teneatur hoc emplastrum pro divino auxilio tempore & loco suo applicandum.

De

## De ulcere virulento, corrodente & consumente.

OMnes istæ qualitates tres ulcerum non differre videntur, nisi ad majus & minus, nec etiam multum differunt in curatione. Primo, modus vivendi aptus. Secundo, evacuatio materiæ antecedentis, tam per Philebotomiam sæpiùs reiteratam, quam per medicamenta purgantia. Tertio, per revulsionem humorum peccantium, foveantur ista vulnera bis in die cum aqua calcis vivæ descriptæ, per quam madefient pessiæ, & superponantur cum ligaculo mediocriter forti, reiteretur ista aqua horâ vespertinâ, & ita faciendo per tres dies videbuntur mira. Nam ulcus nullum virus amplius ostendet, sed erit rubrum & nitidum & detersum, post aliquot dies videbuntur margines hujus ulceris indurescere, sed tamen persequendum semper, nec metuendum de ullo damno ibi venturo, imo supra duritiem istam extenditur quasi scabies, quæ serpit singulis diebus versus centrum vulneris, neque cadit, neque mutabit viam suam ordinariam, quousque fuerit centro concentrata, tunc negligendum erit, est enim res in vado, nam durities ista singulis diebus mollescit circa circumferentiæ extimum, & scabies in extima perditur, & tandem illud, quod est in centro, neque unquam auferri vi debet, neque alia remedia huic aquæ admiscenda sunt, habet enim hæc aqua omnes indicationes curativas aliorum, & melius, & expeditius per se faciet, solo suo usu, quam remediis sola ratione nostra stulta, & non experientia approbatis: sed unusquisque vult alteri sapienrior videri, & semper fucum objicere, ne videatur esse minus sapiens.

## De ulceribus sordidis.

PRo ulceribus sordidis eædem ut plurimum sunt indicationes, tamen in hoc differunt, quod sordidum sæpè degenerari reperitur in sphacelum, sed aqua ista præcedens, modo fuerit benè applicata, plus valebit quam Ægyptiacum & mille alia corrodentia & acria remedia, & aquæ sublimati corrosivi, quæ multos dolores inducunt, vigiliis multis ægrum afficiunt, & ad intemperiem maximam omnes humores reducent, unde ut plurimum fit extinctio caloris nativi: aqua autem calcis vivæ nullam acrimoniam habet, imo si fuerit perfectè facta juxta meam descriptionem, cum maxima utilitate ægris interius ad cochleare unum aut alterum in quatuor aut quinque ℥ aquæ

aquæ fragrorum, ranarum viventium, plantaginis aut rosarum, cum syrupo oxi saccaro exhiberi potest, imo provocabit urinas, deterget stomachum impurum, renes & vesicam, à mucilagine tartarea liberabit, sed nisi quis fuerit bene versatus, & longa experientiâ instructus, cespitare sæpius potest, proinde in tali casu cautè accedat, & non nisi tentatis universalibus: & semper sint doses infra mensuram præscriptam, nam quamvis duo vel tria cochlearia possent esse homini crasso & pituoso innocua, bilioso tamen & macilento crabrones suscitare posset, imo & in eodem homine dosis, quæ multum valuit hodie, postridie effervescentiam inducere potest: hæc dico non ut unusquisque tremat ab usu remedij tam divini, sed solum hoc dico ne exhibeat, nisi validis præmissis rationibus & fundamentis, & in ulceribus internis, quæ aliis remediis cedere non videbuntur.

## *De ulceribus sinuosis.*

TAlia ulcera operâ novaculi felicius absolvuntur quam unguentis, aut similibus Topicis, sed hoc habent commune communibus ulceribus, ut quamvis adhibeantur exterius divina remedia, & exquisitissimi artificis peritia, nisi abhibeatur recta victus ratio, in vanum laboratur: victus autem rationem hic præscribere (cum sit illa lippis & tonsoribus nota) vanum esset ne hæc in tam longam seriem protruderem.

## *De Fistula.*

VT plurimum post ulcera ista sinuosa diu aperta, aut neglecta, veniunt fistulæ. Quid sit fistula apud Authores omnes reperitur, neque differunt multum, nisi quod in sinuosa materia abundanter undique fluit, neque habet callosos margines, ut habet fistula, & in fistula quamdiu callositas ista locum obsidet, ubi debet bona caro generari, non curabitur: ut ergo tollantur callositates, cogimur medicamentis, aquis & pulveribus acribus uti, & inde transire ad dilatationem orificij, quod semper est angustissimum, dilatatio autem fit per spongiam præparatam modo sequenti. Accipe ceræ & resinæ ad ℥ijß, sublimati corrosivi ℈j. fundatur cera sicut resina, & fusis adjicies sublimatum, in his fusis macerabis tantum spongiæ, quantum macerari possit, in isto fuso postea auferes, & pones in pressorio premendo quam fortis-

fortissimè possit, tunc forficibus scindes, quantum videbitur congruum pro insertione spongiæ in orificio angustissimæ fistulæ, & ita maneat per aliquot horas, quousque spongia fuerit satis imbuta & inflata humiditatibus è fistula emanantibus: hac igitur via callositates, quæ orificiis istis adhærere solent, auferuntur, vel forficibus vel novacula, vel cauteriis potentialibus, vel pulveribus corrodentibus, sed non parum refert, quibus causticis usus fueris, nam si sint paulo acriores, ut possit fieri ex Arsenico aut auri pigmento, tunc in biliosis corporibus facilè incendium inducunt, ex quo sæva Synthomata evenire possunt, tam fistulæ quam toti corpori. Itaque hærendum esse censeo in usu cauteriorum qualia fieri possunt ex sapone nigro & calce viva, hac proportione habita, ut ne plus apponetur saponis pulveris calci vivæ quam sufficit ad faciendam pastam mediocriter humidam: sed animadvertendum cauterium hoc momento ipsius præparationis debere applicari, alioqui si vel minimum restiterit, inefficax omnino videbitur. His altiora quædam sunt, sed non ita tolerabilia, ut est oleum Mercurij ex pulvere Emetico, Luna Crystallisata: multa sunt etiam corrosiva, quæ plus valent ad carnes spongiasas tollendas, quam callositates: talia sunt oleum cariophyllorum subsidens, oleum cinamomi, nucis muscatæ, & similium, & quando res exigit, tunc semper labia ulcerum defensivo aliquo muniri debent, ne inflammatio partis inducatur: decisis igitur escarris procedendum erit eodem pacto, sicut in vulneribus aut ulcere communi, & si non attigeris prima vice fundum fistulæ, omnesque sinuositates suas, & si largius serpant & abditas habeant vias, tunc forficibus incisionibus appropriatis in unum redigantur. Solent ejusmodi fistulæ apparere post vulnera neglecta præcipuè venientia à globis sclopetarum, ubi subtus sunt ossa cariosa: vulneribus item capitis sæpius erumpunt istæ fistulæ, quia ossa (pericranio diu denudata) squammas multas renovare solent, diversis intervallis interjectis, & aliquando per se curantur, quando fiunt istæ fistulæ à superficiali duntaxat ossis cariè: si quis velit penitius instrui de ulcerum & vulnerum curatione, comparet sibi Chirurgiam Paracelsi à Joanne Dariota Medico Bononiensi editam. Is enim solus Author plus faciet curioso Medico, quam mille alij, qui magna volumina de vulneribus & ulceribus tractarunt.

## De ulceribus verminosis.

ISta ulcera non fiunt verminosa ut plurimum, nisi ob patientis negligentiam, & in hoc casu cum jam ante aliquot annos notitia mercurialium remediorum venerat in Praxi Chyrurgorum, non multum conqueri audimus. Chyrurgi autem omnes usque ad Chyrurgos rusticos in pagis degentes, non carent pulveribus Mercurij præcipitati albi & rubri, Mercurij dulcificati, ex cynaberi antimonij, aquis Mercurialibus, quibus injiciunt in sinus profundos ulcerum verminosorum, neque enim manebit vel unus vermis. Contigit mihi alios juveni Anno 1619. oblatam fuisse occasionem eundi ad aquas Thermales Borbonienses, vulgo dictæ *de Lancy*, loco distantiæ à placidissimo flumine Ligeri ad semi leucam, locus satis notus omnibus Gallis, habet enim aquas calidas pro omnibus affectibus Paralyticis curandis aptissimas, & multi nobiles ex tota Gallia illuc advolant, ut curam accipiant. Invitatus enim ego non difficulter ab Illustrissimo Prælato Domino Dormæo Boloniensi Episcopo meritissimo, habuit enim aulam suam arcem nempe egregiam ab ista urbe duabus leucis distantem, quæ vulgari Idiomate vocabatur *Beau Champs*: sita fuit inter duos colles, & ex superiori loco lacum habebat amplissimum, piscibus magnis repletissimum, & in superiori hujus parte mineram ferri habebat ditissimam, sylvam magnam in proximio, quæ ligna suppeditabat ad fusionem ferri aptissima: in isto primo loco habebat fornacem fusoriam, ollas ferreas, tormenta ferrea, petardas, granata multa ex ferro isto fusa formabat, & magno prætio in vicinas partes Galliæ beneficio fluminis disportabat. In altera parte arcis in eadem valle ex isto lacu superiori distribuebatur aqua quantum satisfuerat ad ferrum excudendum. Contigit ergo mihi, ut cum placerent ipsi multum lectiones diversorum chemicorum, quorum ingens semper fuerat fautor, sed cum jam septuagenarius esset, neque poterat istos labores, quos in juventute multum colebat, perferre, perspexit ingenium meum etiam in eorundem finem tendere: persuasit tandem, ut studiis medicinæ vulgaris etiam studia chemica pulcherrima & utilissima iisdem adjicerem, neque abhorrui, præsertim cum videram occasionem me nacturum apprehendendi illa ipsa inspectione, quæ per centum annos solus non addiscerem: proinde suasioni ejus Reverendissimi Prælati annui, & ut facilius opus susceptum perciperem, humaniter mihi proposuit, si voluerim chemicis rebus me dare, quod neque deficerent sumptus pro forna-

fornacibus construendis, pro libris emendis, pro materialibus etiam conquirendis. In hunc igitur finem ex Germania vocavit peritissimum in rebus metallicis artificem, caroque stipendio ipsum ditavit, ut cum illo per duos vel tres annos commoraretur. Itaque occasione illa data, & lectione Authorum, & colloquio familiari, tum ipsa inspectione omnia didici, nisi ea quæ tenuitate ingenij mei vix percipere potueram: igitur in isto Athæneo per tres annos integros mansi, & sicut fuerat vir eximiæ eruditionis, & plurimarum aliarum virtutum, præcipuè Aulicarum, & nobilium vicinorum egregius cultor, omnes nobiles vicinos, quando malè valebant, invitabat, ut meo opere quamvis imberbi juveni uterentur, immo laudibus suis cum me imparem omnino cognoverim, ad arctissima studia me compellavi, libros qualescunque optabam objiciebantur mihi, & omnia adminicula, quæ videbantur studioso necessaria, præcipue Chemici & Mathematici, fuerunt semper ab eo recommendati. Prima mea fundamenta jecit in magnis istis voluminibus, theatrum Chemicum componentibus, ista conditione, ut quod legerem tota die à cœna memoriæ referrem, & ut sententiam meam è multis Philosophorum opinionibus ibi contentis exponerem: solis diei horis, ubi visitationi ægrorum incumbebam, parcebat mihi. Ego ista sicut mirifica Dei dona, mihi tradita, transire silentio non possum, nisi ingratum Deo, Salvatori meo, & memoriæ istius Prælati omnium hominum optimi, ingratum me ostenderem, & jam si in istam Regionem redirem, vix sexagesimum hominem invenirem, qui eo tempore ætati meæ compares fuerant, imo non pridem præclarissimus Dominus Morinus Professor Regius Mathematicus omnibus pro doctissimo & probo viro notus, ex hac vita octuagenarius decessit, eò enim, in ejus locum successi, cum isto Episcopo, cujus ille prior ante me erat Medicus. Interea quid prosunt hæc omnia, nisi ut me memorem hujus itineris ineundi faciam, & si nihil habeam, quo remunerare possum bonos meos Patronos & Amicos, & præcipuè Illustrissimum istum Episcopum, tamen credo uniuscujusque viri probi munus esse debere, ne ista bona officia taciturnitate aut oblivione olcescant. Interea ut redeam de vermibus. Fuerat ad me deducta juvencula quædam per Patrem, Matrem & Maritum nuper nupta, qui ad pedes Illustrissimi Episcopi procumbebant, ut meæ curæ recommendarent filiam, quæ misero dolore interno auris sinistræ torquebatur, & usq; ad insaniem redigebatur, neque enim diu nec noctu dormire potuerat, & quod formidabile magis videbatur omnibus, ingrediebatur & egrediebatur tantus numerus vermium alborum, quales ex cada-

veribus equorum nascuntur, ut vix explicari possit: cum autem considerarem rem, neq; istam peritiam habebam, imberbis enim adhuc eram, & nuper ante aliquot annos ad Doctoratum evectus, absque ulla tamen experientia quam quæ ex mortuis Authoribus didiceram, tamen suscepi audacter opus: dixi parentibus, ut ad me eam reducerent post tres horas. Inclusi me igitur per istas tres horas inter libros meos, inter quos multa de viribus argenti vivi in hoc casu promulgata videram, tamen fidere nolebam, sed non ad graviora, sed ut mihi videbantur tutiora memet direxi, habebam casu apud me ollam plenam melle, cum satis stricto orificio folio tenuis chartæ occlusam: charta illa nescio quo casu digito alicujus pertractantis confracta fuit, hac ratione nescio, quot millionum muscarum equinarum audivi strepitum, & cogitavi, quod quæ poterant occidere muscas istas, poterint etiam occidere vermes, absque ulla partis læsione: habui apud me oleum succini, quod tot laudibus à Corollio ad cœlum deferebatur, multum fisus sum laudibus istis inanibus, sumpsi ergo muscam, & feci ut caderet gutta aliqua istius olei supra caput muscæ, tandem dimisi ut viderem num avolaret nec ne, sed stupore quodam confecta per aliquot momenta delituit, sed rediit ad se & vertiginosa huc & illuc quasi perterrita non longè discedebat, tandē post semi horam redijt ad se & avolavit: deinceps alteram accepi, & cum oleo fortissimo vitrioli caput muscæ tetigi: validius quidem fuit illud oleum, attamen longiori temporis intervallo recepit animum & avolavit, non multum abfuit quin desperarem pudore suffusus, tamen veni ad tertiam muscam, quam oleo fortissimo ligni Buxi supra caput tetigi, sed illico absque ulla stupefactione aut motu qualicunque mortua cecidit: volebam experiri de aliis multis, quas in foramine ligneo data opera tenebam, effudi ergo oleum, unde omnes quasi ex fulmine ictæ & cæsæ fuerunt. Allata ergo fuerat mihi à parentibus juvencula ista, feci ergo ut decumberet juvencula ista supra latus, & aperta aure tres guttas duntaxat olei Buxi infudi, itaque cum tanto tumultu exiverunt tot vermes, quot manus una tenere poterat, ut mirarer tam angustum spacium tot numerosos vermes potuisse continere: hæc fuerunt facta spectante Illustrissimo Episcopo, tota sua Aula, & miseris parentibus illius juvenculæ, qui miris laudibus me tollebant, eo usque ut Episcopus Illustrissimus certiores fecerit literis suis omnes Nobiles Vicinos, ut de hoc casu, quasi de miraculo imbecillitatem juventutis meæ attolleret, & hæc satis de vermibus.

De

## De ſcabie.

SCabierum variæ ſunt ſpecies, aliæ aliis mitiores: ſic ſi ſcabies iſta fuerit parva cum pruritu totius corporis, præmiſſis generalibus, nempe venæ ſectione reiterata, balneis aquæ dulcis, purgationibus levibus, in ipſo balneo exhibitis, tunc veniendum ad unguenta levia quæ ſcabiem abſque multa difficultate aufferre poſſit: tale erit exemplum pro omnibus.

℞ Pinguedinis porci ℥iij, Mucilaginis radicum Oxylapati ℥j, florum ſulphuris ʒiij, miſceantur omnia ſimul, & inungatur æger per omnia loca ſcabie ſcatentia, admoto levi calore fornacis: ſi quis velit adhuc uti efficaciori præſidio, ſumat ℈ij. Sulphuris vulgaris, olei olivarum ℥ij, vel in ejus defectu butyri recentis, ponantur in vaſe aliquo terreo ad fundendum, agitando ſemper, nam ſi fuerit intermiſſio, tunc indureſcet materia, & oportet redire ad pulveriſationem omnium in mortario ferreo, vel lapideo, & cum hoc oleo inungatur corpus ſcabie infectum: valet pro omnibus generatim defædationibus cutis, ſicut ſunt Dartæ vulgo dictæ, habentes inhoneſtam ſcabiem, furfuroſam, ſerpentem ut plurimum in circulum, aliquando in longum & latus extendentem: ſunt etiam herpetes variarum ſpecierum, quæ in faciebus pulcherrimarum mulierum cum maximo animi mœrore tolerantur, alij aliis tutiores, alij aliis facilius curantur. Dartæ iſtæ ſimplices eunt & redeunt, abſque ullo timore alicujus futuri damni, & mitiores curantur ſaliva matutina, difficiliores curantur cum unguentis ex Litargiro: cum ſale Saturni & ſimilibus poteſt fieri ſimile unguentum.

℞ Salis Saturni ʒj, diſſolve in olei roſacei ℥ij, ſucci Sedi majoris ℥iij, agitentur omnia ſimul, & coaleſcent in formam cerati, cum qua inunges cum tanta quantitate unguenti, quanta poteſt teneri ſupra digitum nulla frictione adhibita, relinquatur ſuper faciem quouſque fuerit per ſe abolita. Herpetes vero, cujuſque humoris ſint ſoboles, difficilius eradicantur, neque abſque labore, & præcipuè herpetes illæ nigri coloris, quæ ab humore Melancholico nutriuntur, & fœtus etiam ſunt viſcerum internorum, ſucco iſto melancholico affectorum, & ſicut ſucci melancholici, teneantur eſſe de numero acidorum, qualia ſunt ſpiritus nitri, oleum & ſpiritus vitrioli, cui omnes ſucci iſti metallici valent non parum ad extirpandum fædum iſtum affectum, in quacunque corporis parte reperiatur: itaque ſi ſunt leves & bilioſæ herpetes, poſt univerſalia ſæpius repetita, & balnea aliquorum dierum aſſidua,

assidua, possunt inveniri multi spiritus vegetabilium, qui metallicis etiam spiritibus subjiciuntur, & quæ leves herpetes istas tollere possunt, quales sunt spiritus acidus Buxi, spiritus acidus Coryli ligni, Spiritus querci, oleum papyri, oleum linteorum, hæc omnia si bene curati fuerint, oportet ut curentur per cuticulæ adustionem modo sequenti.

℞ Pennicillum pictoris, aut alioqui minutissimum ramulum ligneum, pluma gallinæ non grandiorem, & involve mucronem baculi tenui linteolo filis circumducto, tunc intinge in spiritu nitri, aut si velis mitiora prius tentare, in aqua silicum, & pennicillo intincto madefacto in isto spiritu attinge omnes istas partes læsas, & videbis crustam ad magnitudinem herpetis diffusam, quæ manere debet intacta, quousque per se ceciderit, nulla alia adhibita cura: post casum crustæ, litu butyri recentis parum & parum redibit cuticula, sed locus quasi vitio adustionis afficietur: qui habent istas incommoditates in facie, melius est ut adustionem istam patiantur, quam inhonestam turpitudinem oculis omnium exponant. Neque tamen tutum est, & præcipuè senioribus auferre herpetes istos, quia quamvis non redeant ad ista loca à visceribus repulsi, ibi ferocius sæviunt, morbumque alium læthalem inferendo vitæ principiis, ipsique vitæ insidiantur.

## *De Podagra.*

AUthor noster quando de Arthritide aut Podagra loquitur, sæpius vulgarium medicorum segnitiem accusat, quod locum pro humoribus Arthryticis accipiendis non designarunt, quem locum dicit Hippocratem in libro de locis in homine non prætermisisse, nam officia, proprietates & conditiones descripsit, dicit enim *mucus omnibus à naturâ inest, & cum hic purus fuerit, articuli sani sunt, & ad motum apti, quia lubricitate mutua juvantur, labor vero & dolor fit ubi à carne humiditatis dolorosa affluxerit*, & dicit in hoc muco Cephalalgias, Arthridides, Podagras, Chiragras, degere, & accusat medicos sui sæculi, quod adipem in partium familia admiserunt, cum tamen minori dispendio hujus jacturam quam sinoviæ sufferre possimus, ita enim barbaro vocabulo locum istum designat. Partium autem ordinem in quatuor dividit. Primus ordo est earum quæ actionibus elementorum inferioris globi inserviunt, ut ventriculus, hepar, lien, œsophagus, intestina, mesaraicæ venæ, renes, vesicula fellis & urinæ, pro sanguine autem ipsum esse elementum asserit, & partium dignitatem transcendere ait, actionibus vero elementorum superioris

rioris globi inserviunt, & pulmones, aspera arteria, diaphragma, arteriæ, etiam spiritus vitalis, per arterias diffusus elementum est: in secundo ordine partes continentur, quæ officiis sensuum & motuum accommodatæ sunt, ut cerebrum, oculi, aures, lingua, nares, musculi, ossa, tendines, ligamenta, nervi, membranæ. Tertius ordo partibus debetur generationi destinatis: ad quartum & postremum referrimus eas, quarum ministerio colligantur & conspirant universa, quæ vincula sunt continuitatis corporeæ. Neque mirandum quod elementi appellationem toties variat, hoc enim Author facit ut nomina fæcunditati rerum obediant, nam quamvis propria esse aut specialia elementa & principia in singulis particulis teneamus, tamen universalia elementa totius corporis à quibus sustentantur, & foventur, non oportet negligere, urtica enim in mundana Anatomia propria habet elementa & principia, attamen ab universalium elementorum fructibus fomenta assiduè haurit, est enim partium privata quædam inter se societas, conspirant enim partes, quæ prædestinationibus elementorum superioris globi destinantur, cum iis quæ generis custodiam tuentur. His elementis debitè explicatis concoctionum Lithurgias adjungere etiam debemus, sed quæ ab aliis rectè dicuntur otiosum est repetere, relictis igitur alimentorum coctionibus, dicimus ea ventriculo recepta, virtute Spirituum Mechanicorum resolvi & misceri, sunt enim in Anatomia ventriculi, scientiæ Sulphurum, Salium & Mercuriorum, quæ tales actiones edere possunt, conformes partibus alimentorum ibi coctorum: in ipsis etiam alimentis continentur elementa ac principia, quæ his actionibus obtemperant, est enim in omni alimento balsamus animalis humanæ naturæ consentaneus: itaque elementa sua juncta habet, & principia domestica: hinc alimentum à Paracelso semen vocatur, cui consonat illud Hippocratis, *ab iisdem nutrimur à quibus constamus*. At nutrimur à Vegetabilibus animalibus & resolutis mineralium spiritibus, ergo non ex pituita, bile, sanguine, & bile atra constamus, quam ex iis, quæ in vegetabilibus, animalibus & mineralibus reperiuntur, & illa sunt tot variæ species, Salis, Sulphuris & Mercurij, & qui Salium Anatomiam addiscere velit, reperitur in eo aliquid nitrosum, aluminosum, vitriolatum, salgemmeum, & si herbas salium quoque proprietates continere crederent, aronis, urticæ, chelidoniæ, flammulæ, brassicæ, soldanelæ, cali, centaureæ, piperis, persicariæ, salium, etiam in humoribus tandem admitterent, mixtiones quoque Salium cum Sulphuribus studiosius inquirentes, Salia Sulphurea, & Mercurialia magna utilitate adjungerent. Tandem si seminum signaturas & ge-

nerationum Lithurgias in humana Anatomia olfacerent , veritate allecti, nulla quatuor humorum ſeveritate à tam præclara & fæcunda Philoſophia in poſterum abſterrerentur, tunc vero non in hepate ſolum , ſed univerſis partibus humani corporis æruginoſum, vitriolatum, tartareum, nitroſum, aluminoſum, porraceum, urticoſum, aronicum, piperinum, perſicarioſum generari poſſe agnoſcerent, & proprietates Salium, Sulphurum & Mercuriorum avidè addiſcerent, nam excitatis radicibus Podagricorum affectuum, ſi in ſanguine ſedes habuerint, efferveſcunt, & ſpirituales ac vaporoſas tincturas principiis radicum conſentaneas, ad loca domeſtica ſuſcepta demittunt, ibi fructus doloroſa ſynthomatum calamitate deponunt, ſignaturæ ſyntomatum differentias, ſeminum & radicum declarant: vehementiores dolores ſunt vitriolatorum, æruginoſorum, tartareorum, aluminoſorum & ſalgemmeorum ſpirituum ſalis communis, ac nitri ſpiritus acutiſſimi ſunt, acetoſæ, aluminoſæ, ſtipticæ, & berberiſatæ tincturæ frigiditatis authores ſunt, tartareæ, æruginoſæ, arſenicalium ſpiritibus permixtæ, & rubores, caliditates, inflationes & pulſationes edunt. At vero aſtralium, hoc eſt ſpiritualium morborum loca, in quibus impuritatum, vel ſeminum tincturæ planè ſpirituales exiſtunt, difficulter inveniuntur, ut epilepſiæ, Melancholiæ, Maniæ, Paralyſes, Apoplexiæ, Hydropes, tabes, podagræ, catharri, quamvis dicant nonnulli, in iſtis quamplurimis locum eſſe manifeſtum, ſed hic non locum poſtremum, ſed fomitem, fontem, principium, radicem inquirimus, non fructuum diverſoria, ſed ſeminum hoſpitia, non ſecundarum radicum agros, ſed primarum potius; & ſedes, elementa, hoſpitia, inprimis inquirimus: relicta igitur corporeorum locorum inani inquiſitione, in his morbis elementalia inquirere oportet, in quibus ſpiritus ſpiritualeſque tincturæ, ſpirituali modo deliteſcunt, non quemadmodum lapis in veſica, ſed quemadmodum ſpiritus minerales in elementis. Nunc autem cauſę dolorum inprimis adjungendæ, hi autem omnes à ſpiritibus ſalium reſolutis proficiſcuntur, in quibus ſunt auſteritates, aciditates, acrimoniæ, ſalſedines , & ſimilia: ſapores enim tales linguæ, dolores inferre, pueri etiam ſciunt , Catharros dolores ſalſos producere , & ſalſedine aſperam arteriam ac pulmonum canales fatigare: ex illis igitur, & non ex quatuor humoribus proficiſcuntur: ſic uſu ſalſorum lingua, palatum, gula dolent, doloriſque diverſam à priori ſpeciem, diverſo quoque modo exprimunt homines ita affecti: quod ſi ſimiles dolores & proprietates, in aliis quoque partibus contingant, quis ſimilibus affectibus ſimilia nomina rectè accommodari poſſe negabit? loca enim quæ

vehe-

vehementissimis doloribus confligantur, confluentiam habent cum salibus potentissimis: hinc arthrytides, Chiragræ, Podagræ, Cedmata Hippocratis, dolorificæ fluxiones, dentium dolores, salium potentibus tincturis & saporibus insignes, stupores, insensibilitates, somni Narcotici à spiritibus sulphuribus proficiscuntur, in quibus proprietates papaverinæ & similes vigent.

Podagra autem curatur universali & perfecta via per ablationem impuritatum, vel radicum morbidarum, mixtione non necessaria in humana Anatomia insitarum, quæ balsamo naturali remediorum humanæ naturæ consentaneo perficitur, videlicet resolvente, consumente, & dissipante impuritatum seminarias tincturas: corroborante vero, consolidante & custodiente innatum Microcosmi balsamum: sed quia hæc curandi ratio paucis est concessa, nilominus particularis non est contemnenda: in ea enim non semper radices ipsæ, sed seminales tincturæ morborum tolluntur. Sed sæpius fructus, syntomata, paroxysmi, dolores, mitigantur, prohibentur, ad exaltationes pervenire non permittuntur, excrementorum evacuationes instituuntur, & debilitati naturæ corroborationes adjunguntur. Tales curationes habent gradus altiores & inferiores, prout magis accedunt vel recedunt ad proprietates & conditiones universalium curationum, fiuntque genericæ, subalternæ, specificæ, individuæ, ratione graduum & proprietatum. Tria enim hæc, morbi, remedia, sanatio, Analogias habent consentaneas & reciprocas, præcipuè vero remedium & curatio, differentiæ proinde remediorum curationum varietates pariunt, & morborum naturæ exaltationes, loca, generationes, curationum & remediorum ordines demonstrant. Demonstratum antea fuit, omnes actiones naturales à spiritibus spiritualibusque tincturis proficisci in quibus Mechanicæ scientiæ trium principiorum vigent, simili modo remediorum actiones ex spiritibus vitalibusque spirituum tincturis procedunt, non ex corporibus vel mortuis qualitatibus. Spiritus sunt, qui resolvunt, vomitiones alvi, excretiones, urinas, sudores, insensibiles transpirationes, menstrua promovent. Spiritus mundificant sanguinem, somnum generant, fluxiones sistunt, dolores demulcent, & illi morborum diversoria sollicitant, & scientiam resolvendi, evacuandi, consumendi impuritates morbosas, soli possunt: sunt autem spiritus astralia vel invisibilia corpora, accensa, resoluta, sublimata, vel in actum redacta, proprietatibus trium principiornm insignita, quibus actionum causas adscribunt. Discriminaque plurima sunt spirituum: quidam enim arctiora conjugia cum corpo-

ribus contraxerunt, qui corporei quodam modo, craſſi & tardi evadunt. Quidam vero corporibus ſubtilioribus adhærent, alij puri ſunt, alij permixti, alij ſalium magis proprietates referunt, alij ſulphurearum ſpecierum, alij mercurialium: actiones quoque & impreſſiones ſpirituum diverſæ contingunt, ſpirituum differentiis Analogæ, nam corporei in partibus vicinis ſolummodo imprimunt, & ſaporum ac ſalium craſſiorum proprietatibus agunt. Hi in ventriculo & inteſtinis impuritates Sulphureas, craſſas, vomitioni deſtinatas vel alvi excretioni, reſolvunt; Alij vero qui corporum craſſorum commercia non habent, colorum, lucis & ſubtiliſſimorum ſaporum tincturas, impreſſiones & actiones imitantur: tales clarificant, conſumunt, mundificant ſubtilium tincturarum & impuritatum reſolutiones, & volatilitate, ac facili penetratione præditi cum ſint, vitalia elementa univerſi corporis tingunt, locisque diſtantibus facilè actiones imprimunt.

Igitur juxta ſpirituum craſſorũ aut tenuium magis aut minus in locis prædictis agentium ſpeciem eligendum erit remedium, ſi enim ſynthomata ſæva erunt nimis, & ſi loca vel calore vel inflammatione afficiantur, tunc primũ & præcipuum erit ad venæ ſectionem, quaſi ad ſacram anchoram accedere, & ſi fuerit juvenis validus & plethoricus, largiori manu diminuendus erit ſanguis, ex quacunq; parte brachij partis affectæ: ſi autem ſenex, contraria ratio inſtituenda erit, non neglectis clyſteribus, refrigerantibus, tenui & humido victu præſcriptis: ſimilia enim quæ rectè ab aliis præſcribuntur vanum eſt hic repetere: univerſalibus ergo iſtis peractis progrediendum ad ulteriora, nempe ad purgationem & Topica talia, quæ dolores immenſos ſopire aut miteſcere poſſunt, veniendum: quod ad purgationem attinet, ſequens remedium & ratione & experientia approbatum eſt.

℞ Diagridij, Hermodactylorum & Turbith, ſeminis Cimini, Carriophyllorum & Coſti ſingulorum ʒj, pulveriſentur ſubtiliſſimè, & per ſetaceum tranſjiciantur, miſceantur, ut fiat pulvis Antipodagricus, cujus doſis erit ʒj, vel in bolo vel in aqua mulſo, vel vino tenui aut diluto, præcipuè ſi non adfuerit febris: ut autem mitiſcant ſæviſſimi iſti dolores concomitati jugis vigiliis, placandi ſunt ſpiritus illi Tartarei, vitriolati, aluminoſi, Arſenicales, remedio aliquo ita compoſito, ut primo attactu tumultuoſi iſti ſpiritus, ut diverſæ tartarorum & mineralium acutæ ſpecies, diſſipari poſſint, & ita pacato iſto tumultu, optata requies corpori tradatur: remedium autem hoc quamvis non ſit univerſale, tamen proximè ad univerſale accedit remedium, & quaſi Dei ipſius digito agere videtur, quod quidem ſi deficeret, in vanum

Poda-

Podagricorum affectuum, nephriticarum fluxionum, Cephaleæ, Emicraniæ, arthryticarum, omnium fluxionum dolorificarum super pectus & pulmones, tussium, Peripneumoniæ, pleuritidis, colici biliosi, dissenteriæ, Diarheæ affectuum omnium uterinorum præcipuè suffocationes, in vanum inquam istorum cura à peritissimo Medico suscipi videretur, & quamvis remedium hoc videatur vulgare, & in omnibus antidotis profusum, tamen si meis suasionibus sapere velint, & numerosis meis experientiis fidere, hoc solo divinissimo remedio, quod me ( neque quenquam ) fefellit unquam, contenti erunt: multi sunt homines qui sub eodem nomine appellantur, quorum tamen ingenia sunt diversissima : eodem pacto asserere possum laudanorum species esse multas, sed hanc speciem alias tantum antecellere, quantum sol lunam & cæteras stellas antecellit.

## *Descriptio autem illius talis erit.*

℞ Opij Thebaici uncias septem, neque abhorreatur ab insueta ista dosi opij, opium enim inter medicos juvenes meticulosos & mulieres sicut sunt lemores inter puerulos, solo nempe nomine formidandum, & unusquisque, qui eo usus est, confitebitur, attamen promiscuè ab omnibus non erit usurpandum, neque responderem de ejus defectu si quis Medicinæ praxeos ignarus velit in tale remedium, sicut insanus aliquis in strictum gladium irruere. Sit igitur Medicus in Praxi provectus, antequam graviora tentet remedia, tunc generosum hoc remedium semper in pera gerat, & indicationibus veris se se offerentibus tradat ex sua manu intrepide quacunque hora diei sive noctis, non est enim tale remedium, quod ex officina Pharmacopæi alicujus indifferenter deferri ad ægrum possit hora medicorum intentionibus contraria, forsan hora enim illa exhibitionis cadere debet aliquis in Epilepsiam, Paralysin, aut Apoplexiam, aut aliquem supervenientem alium casum, qui præsidij illius exhibitionem importuniorem prohiberet, quam Pharmacopæus non tenetur cognoscere, aut si epilepticis convulsionibus æger esset obnoxius: imo medicis notum est, Epilepsiam esse symptoma colicorum dolorum, præcipuè biliosorum, & quum præsentissimum sit istorum colicorum remedium, in usu laudani, in quo est opium, præsens debet esse medicus, ut in exhibitione laudani aperiat assistentibus epilepsiam forsan superventuram; esse symptoma morbi, & non pravum effectum remedij: solet enim fieri metastasis materiæ biliosæ quasi saltus ex membranoso ad nervosum

ſum genus, & quando iſta videt ignava aſſiſtentium cohors, poſt laudani exhibitionem, aut malitia ordinaria medicorum, qui ex alterius ruina ſuam reputationem ſtabiliri ut plurimum cupiunt, tunc infamia vel peritiſſimum Medicum notare ſolet: Medicus igitur cum ſit naturæ miniſter, ipſe adminiſtrator ſolus hujus divini præſidij debet eſſe. Neque enim eſt opium tam formidabile apud multas nationes, ſicut eſt in Gallia, & ſola præoccupatione mentis terribile, ubi vix audent Medici doſim unciæ ſemis ſeminis papaveris exhibere, cum tamen in Polonia nobilium & ruſticorum ſit præcipuus cibus, abſque pondere & menſura datus, diebus præcipuè piſcium, neque ulla arte utuntur, ut venenata illa prætenſa qualitas corrigatur, præterquam contuſione ſeminis papaveris ſive albi ſive nigri, & affuſione aquæ, cum qua faciunt parum bullire, poſtquam bulliverit addunt ruſtici quantitatem mellis, ſcilicet cochleare unum vel aliud, nobiles vero ſaccarum & Amigdala aliquot, imo condiunt fercula oleo ex ſeminibus iſtis expreſſo, imo & promiſcuè adhibetur oleum ad condiendos cibos, atque haud aliter fit cum oleo olivarum. Nonnulli & ex contuſo ſemine ſumunt: unde ergo quæſo panicus iſte timor in mentes doctiſſimorum hominum irrepuit? ego fælicem me exiſtimarem, ſi hac mea declaratione inanem iſtum metum doctiſſimis viris excuterem: quamvis in aliis ego millies eos me ſapientiores agnoſcam: ne terreantur igitur ab iſta magna doſi opij, ſed procedant ut ſequitur

℞ Opij Thebaijci benè conditionati ℥vij. ſcinde in talleolas minutiſſimas, & pone ad deſicandum in loco aliquo tepidiuſculo, aut ad ſolem ſi volueris, & tam diu retineas, quouſque opium fuerit friabile, hoc eſt ut poſſit in pulverem ſubtiliſſimum ope digitorum redigi, tunc per ſataceum tranſjiciatur, & Matraceo, hoc eſt vaſi vitreo amplo longiuſculi colli impone, ſuper affundendo aceti diſtillati quantum ſatis, ut redigatur pulvis in paſtam, quam nurrire debes per tres vel quatuor dies & ultra, additione aceti diſtillati, non ſecundarij aceti, aut fortioris, nam tunc propter nimiam ſalis abundantiam vomitus cauſaret, ſed primariæ diſtillationis: tunc tale acetum exacto iſto tempore ad eminentiam trium vel quatuor digitorum affuſum, pone in digeſtione ſuper cineres mediocriter calidas, maneant in digeſtione per menſem (quo enim diutius eo melius) interea exagitetur matraceum, quo ſæpius in die eo melius, & ſecundum diminutionem menſtrui adde de novo, ut ſemper emineat ad amplitudinem trium vel quatuor digitorum,

torum, & exactis viginti diebus, incipe præparare reliqua ingredientia modo sequenti

℞ Succini albi pulverisati ℥ix, pone in matraceo cum collo longo, cui affunde spiritum vini æthereum scorsonerisatum, ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, maneant in digestione, in loco frigido, per tres vel quatuor dies, quem terminum desiderat hæc materia, ut tingatur succini balsamo aut viribus, renovando sæpius menstruum tinctum, deinde pone in aliquo alio matraceo castorei pulperisati ℥iij, croci desiccati & mumiæ transmarinæ, ana ℥iß, cum menstruo etiam spiritus vini scorsonerisati, & singulis vel sigillatim, vel promiscuè mixtis affunde similiter menstruum ad eminentiam solitam, adde pulveris Diarhodonis & Triasantali singulorum ʒß, ex quibus cum eodem menstruo per se elicere debes tincturam integram multis affusionibus & effusionibus perficiendam, quæ omnia tincta, simul mixta, simul filtrari debent reiteratis filtris, & ut citius perficiatur labor, omnia menstrua excepto opio simul filtrari debent, ponendo in discolo magno, ex quo dependeant lingulæ variæ latæ, in aceto distillato madefactæ, & supposito vasculo terreo recipiente, & filtris etiam dependentibus adaptatos, ut fluat pura tinctura in tertium vel quartum vasculum: interea si remanserit vis aliqua vel tinctura fæcum ab extractione Spiritus vini, remanens quousque monuero relinquatur, tunc ad opium redeundum.

℞ Igitur omnem quantum potueras per spiritum aceti distillati ex similibus multiplicatis filtris, purificatam tincturam, pone in discolo aliquo terreo plumbato, & super levi calore cinerum pone ad evaporandum, tunc quamprimum videris menstruum tuum pelliculam contrahere, misce tincturas istas beneficio spiritus vini extractas, & omnibus probè mistis, ad evaporandas levi calore cinerum (sed quod multo optatius erit calore Solis) repone, sed cavendum circa finem ne urgeatur calor, nam facilè aduruntur, & tunc effectus promissos non explicant, & ne deficiant cara, salia perlarum & corallorum, quæ ego nisi propter duas rationes hoc in loco inserere volui: Primo propter essentialem causam, quia salia ista humidum aerem attrahunt, & reliqua ingredientia ad siccitatem festinantia in humido conservant, & in debita consistentia retinent. Secundo volui ut prætiosa & cara adessent, ne reliqua utilissima, sed communia in contemptum ignavæ plebeculæ prosternerentur, vult enim vulgus decipi ut decipiatur.

℞ Igitur

℞ Igitur aquæ Cinamomi à refrigerio cum sola aqua fontana extractæ ℥iiij, & ne deficiant etiam prætiosa, adde salis perlarum & corallorum ʒij, & probè omnibus mistis adde tincturis istis prioribus lignea spatula agitandis, miscendis & evaporandis , quam primum autem spissitudinem syrupi crassioris acquisivetint, tunc

℞ Seminum Scorsoneræ ℥iiij, contunde & impone in cucurbita vitrea, & super affunde lib. 1. Spiritus vini fortissimi, admove alembicum, & ex balneo Mariæ, tali levi calore , extrahe spiritum vini scorsonerisatum, in quo spiritu pones quinquaginta ranarum hepata in Clibano mediocriter desiccatarum; maneant quousque fuerit tinctura extracta, huic tincturæ filtratæ adde hepatum ranarum desiccatarum numero quinquaginta, confectionis de Hiacyntho ʒij, & evaporantibus aliis misce, & totam massam in consistentiam mellis redige, & in parva vasa ( quæ poteris semper in perula tua deferre) conservabis, & exhibebis absque ponderatione, quando satis eris experientia tua edoctus, neque sis timidiusculus: ego enim millies in vita mea ter vel quater in die exhibui, absq; ullo scandalo mihi noto, quamvis ascenderim aliquando in immoderatis alvi fluxionibus, usque ad quinq; vel sex grana: in aliis autem casibus, præcipuè ubi fuerant alvi durities manum retinebam ad granum semis ascendente ad granum unum semis , aut grana duo ad summum, imo multos in expeditione Zuanecana , quam Serenissimus Rex Poloniæ Dominus meus clementissimus fecit contra rebelles Cosacos & Tartaros, nutrivi aliquos pertinaci dissenteria correptos, ultra duos menses, accipiendo singulis diebus mane & vespere in ipso progressu exercitus, quousque ex macris hominibus pingues & obesi evaserunt: in ista expeditione totus exercitus periculoso isto affectu corripiebatur , ex quibus vix unus, qui isto Laudano usus est, perire visus est : ex isto tempore, quo cum emolumento, vel laude, hoc divino remedio usus sum, quam diu Polonia inter celeberrima Regna totius Europæ numerabitur, de affectu hujus præsidij testabitur.

De Topicis vero quid faciendum, accipe pauca & innocua quidem , sed doloribus sccommodatissima , quid enim farraginem remediorum quærimus cum paucis & approprietatis contenti esse debeamus? viator enim multis lapidibus onerari debet qui pro singulis latrantibus canibus lapidem unum projicere deliberat: si appareat calor, rubedo, & sentiantur dolores, incipiendum à levibus Topicis, ut pote linteolis mollibus madefactis in aqua sperniolæ, per quam prius fuerat factum lixivium super cineres fraxini, vel si desit

desit aqua sperniolæ, sumatur aqua ranarum viventium, aqua plantaginis & similium, accipiatur in defectu aliorum remediorum urina ipsius ægri, quod si deveniendum erit ad majora, utendum erit seratis, ex quorum numero tale erit.

℞ Olei rosarum ℥ij, salis plumbi sive Saturni ʒj, aquæ sperniolæ aut similis ℥j, oleum seu potius aqua albuminum duorum ovorum, per agitationem albedinis facti, oleum ovorum per ignis expressionem factum, unciam unam, agitentur omnia in mortareo marmoreo, quousque apparuerint omnia in consistentia unguenti & cerati, & cum hoc cerato liniantur loca dolorifica, & superponatur linteum cum aquis istis supra nominatis: interea si urgeant dolores, ita ut æger noctes insomnes ducat, recurrendum erit sicut ad sacram anchoram, ad usum laudani: si vero non apparuerit rubedo nec calor, sequentia erunt admovenda.

℞ Mirrhæ & Alois ad ℥ij, contundantur in mortario, super quæ in vase aliquo vitreo affundi debet lib. 1. Spiritus vini, & post infusionem 24. horarum madefiant lintea, & applicentur loco affecto usque ad sedationem doloris: si autem pertinacior videatur esse dolor, applicentur sequentia.

℞ Salis Saturni ℥ij, dissolve in mortario cum ℥iij Spiritus vini, addetur de pinguedine ranarum aut viperarum ℥ijß, reducantur in consistentiam unguenti, & applicentur locis affectis: si non poterint facilè reperiri pinguedines istæ, sumatur oleum ranarum per ebullitionem in oleo vulgari olivarũ, aut oleo vermium: his si non responderit effectus, & dolores atroces perseveraverint,

℞ Pastam ex farina ex aceto factam, & extende super linteum aliquod longitudinis & latitudinis duorum vel trium digitorum, super quo extende pastam & superficiei consperge ʒj, pulveris muscarum cantharidarum pulverisatarum, & admove parti affectæ, ligando per noctem, die sequenti verò mane auferantur omnia; & forficibus scindantur omnes vesicæ, & auferatur pulvis, & vesicæ istæ illinientur butyro recenti mane, & vespere sedabuntur dolores.

Multa hic adferrem remedia, tum etiam aquam balnei Regis, sed nimiæ observationes & cautelæ tyronem absterrerent, & forsan deciperent: si sit ingeniosus & in chemicis æquè versatus ac versutus, facilè absque revelatione quod sit illud balneum addiscet.

## *De colicis doloribus.*

INter colicos dolores primarium locum tenent colica biliosa , quæ nihil aliud est, quam dispositio inflammatoria intestinorum, neque differt humor ille causans dispositionem inflammatoriam in intestinis, ab humore causante Arthryticos dolores, nisi loco tantum, & sicut Arthritici dolores fiunt alij aliis vehementiores, habita ratione humoris agentis, eodem pacto & colici dolores habent ascendentia , extrema symptomatum pernicie commixta, sive fuerint isti humores tartarei, vitriolati, nitrosi, aluminosi, urticosi, napellosi, & juxta naturam & acredinem humoris colici dolores fiunt, ita ut usque ad Lipothimiam frequentem premant, vomitionibus, crebris ructibus & stomachi erosione stipata. Hic affectus omnes timidiusculos medicos, aut parum in magnis hoc est metallicis remediis versatos, usque ad stuporem perterrefacit ut ultra clysterem, quinque forsan granis Anisi conditum, vix alia præsidia quærere percipiuntur: tribus tamen remediis cura hujus affectus perficitur, venæ sectione primo præmissa, usq; ad tertiam vicē si juvenis fuerit, & sæpius si aderunt indicationes, à cujus tamen benigno secursu, multi propter terrifica symptomata absterrentur. Post venæ sectionem properandum erit ad vomitoria quæ susque deque humorem peccantem ejicere, & dejicere possint, sed quia multa sunt vomitoria in hoc casu minus apta, imo potius deleteria , vomitorium illud, quod semper usui meo fæliciter successit, proponam.

## *De vitro Butyri Antimonij.*

BUtyri Antimonij quantumvis super affunde aquam absq; mensura, quantum nempe volueris, & videbis pulverem album præcipitatum in fundo vasis: auferatur aqua & edulcoretur pulvis crebris lotionibus , quousque dulcerationes insipidæ appareant, exsiccetur pulvis edulcoratus, tunc pone in tigillo parvo inter carbones, & dando ignem fusionis, maneant omnia in igne per quadrantem horæ, & tunc ex baculo ferreo in aerem exposito, apparebit vitrificatio: auferatur igitur tigillum, & materia vitrificata projicietur in pelvim, & servabitur pro usu, si per infusionem datur ex tribus ℥. vini albi quantitas granorum septem, quod si vero in substantia pulverisatur vitrum & datur sive ex jusculo, sive ex cerevisia, sive cum syrupo aliquo quatuor

tuor

tuor vel quinque granorum pondere,est remedium, quod usque ad stuporem colicos affectus radicitus evellicat: solet aliquando vel tres, vel quatuor vomitus excitare, totidem ejectiones per inferiora, sed omnia cum Euphoria: tamen vix sufficiet prima exhibitio, sed cogimur ad tertiam ascendere exhibitionem, haud neglectis intercalaribus vicibus, ænematibus crebris & acutis: his peractis pacandus erit tumultuans inimicus, dosi una vel altera exhibita laudani supra memorati, imo sæpius, si opus fuerit,imo etiam aliquando in initio,sed in parva dosi,ut aptior sit æger in admittendis fortioribus remediis.

## *De colica Neupritide sive venali.*

EJusmodi colici dolores mentiuntur colicam biliosam, quamvis pauca habeant cum ipsa communia, præterquam crebros vomitus, sed differunt in hoc quod colicam neuphritim concomitantur, dolor lumborum & renum, stuporem femoris reni affecti adjacentis, attractio etiam testiculi lateris affecti ad peritonæum, stranguria etiam & urinæ omnimoda prohibitio: his casibus sequentia remedia erunt adhibenda. Primo fiat clyster ad quam conficiendum ♃ Malvæ Bismalvæ, Parietariæ, Violariæ, solani manipulum unum,fiat decoctio,& in libra una decocti dissolve Terebentinæ Venetæ ℥ß, dissolutæ in vitello ovi,mellis & saccari ℥ij, fiat enema injiciendum tempore doloris: interea præparetur cataplasma ex magmate clysteris cocto cum pauco butyro recenti,& aqua.Cataplasma hoc contundi debet in mortario& extendi super lintea, & applicari regioni renum tota nocte, quo usque exaruerit: eo tempore, nisi affectus fuerit nimis gravis obdormit æger & expergiscitur cum integra sanitate, si secus evenerit, recurrendum erit post venæ sectionem ad Laudanum Gagatinum, cujus descriptio sequitur.

## *Descriptio Laudani Gagatini.*

GAgatis optimi & pellucidi ℥vij, succini albi ℥iiij,pulverisentur subtiliter, & ponatur in matraceo cum collo longo,affundatur spiritus vini granorum Halitacabi, & seminis urticæ,ad eminentiam quatuor digitorum: maneant in digestione in loco aliquo frigido, ad duos vel tres dies, ea conditione ut ter aut quater moveatur materia in dies: tunc auferatur spiritus

vini tinctus, & reponatur in alio vase per se, & de novo affundatur spiritus vini ad eandem eminentiam, & ita repetendum, quousque spiritus vini nil amplius extrahere possit, & omnes istos spiritus tinctos servabis per se: tunc accipe castorei ℥j. Croci desiccati & Mumiæ transmarinæ ad ℥ij. Diarhodonis Abatis & Priasantali singulorum ℥ß, quæ poni debent in simili menstruo nempe spiritu vini ad extrahendas tincturas: tunc ♃. Opij ʒij, præparati ut dictum fuit in Laudano Opiato, ejusque tincturas filtrabis & evaporabis usque ad pelliculam, postea incipies evaporare menstruum spiritus vini, & antequam venerit ad pelliculam, misceri debet opio, mistis sequentia adde salis juniperi & clavicularum fraxini, hoc est seminum, cum longiusculis crescentium capsulis ad ʒij, Salis succini ℥j, evaporentur omnia simul, & reducantur ad perfectam consistentiam, in exhibitione adde dosi exhibendæ lacrymulam unam olei gagatis, & ita habebis perfectissimum laudanum gagatis omnibus Diarheticis affectibus aptissimum.

Quod si vero perseveraverit stranguria, uti vix faciet, veniendum erit ad sal succini, oleum succini, oleum gagatinum, imo & ad substantiam ipsam gagatis exhibitam ʒj. quod si vero stranguria ista fuerit à calculo in uretere retento exploretur cathetere.

## *De Hydrope.*

Dictum fuit supra omnes morbos sive cœlestes sive terrestres, juxta vires & trium principiorum proprietatem, alios Saturninos esse, alios Martiales, alios Joviales, alios Venereos, alios Mercuriales, & inter Saturninos magna est latitudo signaturarum, diversis proprietatibus discreta, neque enim omnes stellæ Saturninæ ejusdem sunt naturæ, neque herbæ omnes Saturninæ, vel mineralia iisdem proprietatibus trium principiorum insigniuntur, sed latitudo est quæ tamen speciei limites non excedit. Ita Hydropis species quamvis omnes sint Saturninæ, magna tamen signaturarum varietate discernuntur: itaque tres species hydropis animadvertimus; nempe timpanitidem, Leucophlegmasiam, & Ascitem, quæ quidem species distinguuntur inter se, ratione diversitatis humorum tympanitidem procurantium: idem dicendum erit de reliquis speciebus: diversificantur enim illi humores, sive dicantur Melancholici, Phlegmatici, vel biliosi, quatenus ex diverso Sale & Mercurio componantur, aut ex diversis individuis, diverso quoque

quoque vitriolo, nitro, ſcaligemmæ. Itaque ingenioſus medicus explorare debet ex quibus individuis ex animalium, vegetabilium & mineralium genere conſtent, & juxta iſtas ſpecies individuas medicamenta eradicantia præparare: multa & varia remedia inventa ſunt in hoc affectu, tam à ſenioribus quam à junioribus medicis, ſed ut verè fatear, querelæ ægrorum & aſſiſtentium, quam ſint inania iſta præſidia, ſatis ſuperque teſtantur, quantum inter medicos exaltantur, cucumer agreſtis, Soldonela, Sal. Kali, Tapſia, Colocinthis, Agaricus, radix Mechoocanæ, Radices Jalapi, cryſtalla lunæ, gummi gutta, Helleborus niger, Brionia, eſula minor: ſed ut verè fatear quidquid dicant Authores, Hydrops omnia iſta remedia ſpernere videtur, cum non tantum exhibitione remediorum aquas ducentium non curetur, quam bona victus ratione obſervata, qua ſola, ſi velit æger, plus proficere poteſt quam omnibus præſidiis orbis terrarum. Solet aliquando hydrops ſubito in quibuſdam apparere, alia ſolet acutis morbis ſuccedere, ſed in quocunque caſu, qui poterit ſuæ gulæ moderari, dominus & victor erit ſui affectus; ſupra omnia igitur à crapulis abſtineat, imo imperet ſibi ita in communi Dieta, ne unquam plus bibat quam per urinas reddere percipit: ſi urina prorſus reſtiterit aut manſerit infra liquorem potus, retinendus erit omnis potus, & cibandus læviſſimo & parco cibo, ſed liquido, hoc eſt tantum cibi utendum erit, quantum ad ſuſtendandam vitam opus erit: ſi autem velit aliquis fidulus remediorum, uſui ſeſe ſubmittere, ſuadeo ne fidat multis vulgaribus medicinis, ſed ſi velit aliquibus uti, ſuadeo ut retineat ſe cum ſambuco & ebulo, aut gratiola. Partes autem ebuli, quæ magis conſpicuè reperiuntur, pro purgando iſto humore aqueo, ſunt ſemina ebuli, quæ poſſunt exhiberi è vino aut cereviſia contundendo leviter in mortario à Dragma una ad Dragmas duas, ſed ſi quis delicatior velit ſe liberare ab inutilibus ſiliquis & arillis, per contuſionem in mortario educetur interior medulla ſeperata ab iſtis ſiliquis, & exhibeatur per ſe cum vino aut cereviſia, ſumat uno die, & per duos dies requieſcat, & diebus iſtis intercallaribus ſumet ℥j, ſyrupi ſequentis.

## *Deſcriptio ſyrupi.*

ACcipe naſcentes gemmas Sambuci, primo vere turgentes libras aliquot, elice ſuccũ & ſerva, & tempore florum ſumantur florum ſambucæ lib. 20.

medianæ corticis lib. 5. ex quibus optimè contusis eliciatur aqua usque ad siccitatem florum è balneo Mariæ : aquam illam super alios flores novos distilla, & ita facies quousque bonam quantitatem aquæ habueris tunc accipe baccarum sambuci lib. 3, & cum aqua priori exprime succum, & pro tribus libris succi adde saccari lib. 2. ut fiat syrupus ; coque omnia lento igne è duplici vase : si quis velit etiam ulterius progredi, non minus mihi approbata erit gratiola herba satis nota , pulvis foliorum desiccatorum in umbra exhibetur ad ℈j, & sæpius egregium percepi eventum: si quis tamen ex aliis hydroticis velit sibi aliquam eligere, postea à me jam commemorata poterit uti, non Jalapo in substantia nec infusione , sed resina Jalapi quæ exhiberi solet dosi decem vel 12. granorum : modum faciendi resinam istam, quamvis sit jam ab omnibus nota, quia paucis verbis describi potest , hoc in loco exponam.

## *Descriptio Resinæ Ialapi.*

IAlapi pulverisati quantumvis affunde spiritum vini ad eminentiam quatuor digitorum, pone per octiduum in digestione, postea filtra, & spiritum vini ad medietatem destilla, & cum aqua rosarū præcipita, & resina in fundum cadet, quam desicca : si quis interea velit ad usum metallicorum purgantium inclinare, habebit lunam catharticam , quam tamen in effectibus externis magis probarem.

## *De Epilepsia.*

POstquam Author in quatuor ordines omnem morborum seriem diviserat, parascevasticè occurrit objectioni illorum , qui individuas morborum species prolixa nominum & syntomatum varietate definitas multitudinis à fastidio ac infinitatis abysso inclusas accusant : dicendo ardores vel orexes ventriculi, colicos dolores intestinorum, dysurias, strangurias, neuphritides, cephalalgias, Cephaleas, hemicranias, arthrytides , Podagras, Ischiaticos dolores, genugras, chiragras, dentium dolores : & multos hujusmodi morbos ex dolorosa syntomatum vehementia denominatos , ad unam eandemque familiam reducentes, profitemur ex iisdem seminibus & trium principiorum proprietatibus generari , ventriculorum solum sive agrorum diversitate distingui : sic Diarrheam, Gonorhæam, Catharros: sic febres

febres ventriculi, hepatis, renum, sanguinis, synoviæ, cerebri: sic Epilepsias ventriculi, uteri, sinoviæ, sanguinis, viscerum: sic hydropes ventriculi, uteri, testium, capitis , ab Hippocrate etiam animadversas, pulmonis quoque & cordis, ex quibus asthmatis & palpitationis mirabiles species: Sic dissenteriam intestinorum, ventriculi, gulæ, renum, vesicæ, uteri, pulmonum & similes morbos, diversis plurimisque nominibus insignitos, à multitudine ad unitatem revocamus, radicum & proprietatum similitudine declaramus, curationum communes leges & indicationes adjungimus: analogiam locorum ac exaltationem seminum proprietatumque tam in syntomatum considerationе, quam in remediorum administratione, ubique conservantes, Hypocratem quoque si hoc aliquid ad laudem facit, testem adducimus, ita enim scribit in libro de flatibus: morborum omnium modus idem est, scilicet qui ex iisdem seminibus & radicibus proficiscuntur. Nequaquam enim specificas morborum differentias neglexit Hypocrates , quamvis ad unam eandemque Ideam omnes qui ex semine nascuntur, reduxerit, locorum vero & Anatomiarum diversitas, officiis, proprietatibus ac subtilitatibus Mechanicorum spirituum diffidens , discrimen facit. Et sicuti dicit Author unam esse Epilepsiam, sed multorum locorum varietate differre, ita non est morbus in corpore humano , qui plura habet inutilia remedia appropriata quam Epilepsia. Proinde gravi farragine remediorum Antiepilepticorum hoc in loco producere , opus non statuo , sed ea duntaxat quæ experientiæ meæ congruunt, & inter alia primum locum tenebit Sulphur narcoticum.

## *Descriptio Sulphuris Narcotici vitrioli, unde fit Laudanum Antiepilepticum & Antihistericum.*

℞ Libram unam limaturæ, chalybis bene mundati, vitrioli Ciprini tantundem, pulverisentur ista duo simul, & misceantur exactè, & ponantur in disculo terreo vitreato, affunde tantum aceti destillati , quantum satis erit ut redigantur in pastam, admoveatur discolus igni , unde sequetur magna effervescentia: quam cito verò consumetur acetum, reponatur de novo acetum sed in majora quantitate , & in tota ista operatione requiritur vasculum satis amplum, & tunc ponatur vasculum super ignem, & moveatur semper materia ferreâ spatulâ quousque acquisiverit colorem cuprinum , tunc

aufer

aufer materiam ex isto terraceo, & pone in cucurbita vitrea, & affunde materiæ quatuor pintas aceti distillati optimi, ponatur cucurbita super balneo arenæ, spacio octo dierum, removendo sæpius, tunc absque motione inclinetur vasculum,& affundatur acetum per inclinationem absque agitatione. Acetum tinctum variiis ligulis filtrabis, filtratum servabis, & novum menstruum affundes eo usque quo vitriolum & chalybs nil amplius tincturæ reddere possint, affundendo & effundendo, & relinquendo pro spatio super determinato, & ita faciendo habebis viginti aut triginta libras tincturæ bene filtratæ: tunc tincturas istas omnes præcipitabis oleo tartari,& relinques quousque distinctè discernere possis liquorem clarum supernatantem à materia subsedente in fundo, materiæ autem subsedenti affunde tantum aquæ fluviatilis & nitidæ, quousque materia fuerit edulcorata : tunc desiccabis lento igne,& habebis Sulphur Antimonij , sed quia hanc compositionem ingreditur Cinabaris Antimonij, antequam ulterius progrediar, descriptionem Cinaberis Antimonij apponam.

## *Cinaberis Antimonij descriptio.*

℞ Reguli Antimonij partem unam , Mercurij sublimitati partes duas, misce, & pone in retorta, & extrahe butyrum Antimonij, in fine urgendus erit ignis, etiam suppressionis , & in collo retortæ colligetur cinaberis duplo magis quam cum Antimonio crudo vulgari modò extracto,& quò plus fuerit sublimati quam Antimonij, eò plus reperietur Cinaberis.

## *Descriptio Laudani Antipileptici & Antihisterici.*

HAc igitur operatione peractâ reliqua quæ maxima ex parte ex vegetabilibus & animalibus constant, via sequenti expedientur, sumendo medullæ testiculorum Castorei ℥iij. Succini ℥iiij. Gagatis optimi ʒvj, visci quercini, cranij hominis violenta morte perempti , santali rubri & citrini singulorum ℥ß. Diarhodonis abbatis ℥j, jecora ranarum viventium desiccata lento calore Clibani & pulverisata ℥jß, seminis Peoniæ maris ʒvj. florum Tiliæ & Peoniæ maris, singulorum tria pugilla, croci orientalis & stercoris Pavonis albi, singulorum unciam unam, assæ fætidæ ʒj, his adde macis, Galangæ, piperis nigri, piperis longi, & mumiæ Ægyptiacæ singulorum ʒiij.

card-

carddonomi majoris & minoris singulorum ℥ij, omnia ista simul pulverisata in amplissimo terraceo imponi debent superfuso spiritu vini, ut extrahi debeat tinctura, tincturam filtrato simplici filtro, & evapora lentè è balneo Mariæ, usque ad consumptionem medietatis menstrui, & tandem admiscebis salis perlarum & corallorum singulorum ℥j, & evaporentur omnia usque ad consistentiam mellis, sed ante evaporationem ultimi gradus evaporationis ℞ Sulphuris Narcotici ℥iij, confectionis Hiacinthinæ ℥iij. Cinaberis nativi mineralis Hispanici ℨj, cineberis antimonij ℥ß, solve in ℥vi, aquæ cinamomi, ex aqua sola pura & è refrigerio distillata, & hoc dissolutum misce debito tempore, antequam priora spiscescant in consistentiam mellis, & longa agitatione incorporentur bene sicut sal incorporatur aquæ, & ita habebis excellentissimum antidotum Epilepsiæ & omnium histericorum affectuum supremum eradicativum.

## *De modo utendi.*

℞ Hujus extracti ℈ß adde guttam unam olei gagatini & totidem olei Camphoræ veræ, unde formetur pillula, & quia cuilibet non est præ manibus oleum Camphoræ, aut de vera præparatione non constat, idcirco inferius præparationem collige.

## *Præcepta exhibitionis.*

ALiquando monentur Epileptici aut suffocati ab utero signo aliquo advenientis Paroxismi, & in hoc casu debent illico deglutire unam pillulam, adstantes autem in ipso insultu divaricatis dentibus, instrumento aliquo ferreo, debent introducere secundam dosim dissolutam in spiritu Theriacali Camphorato, tertiam autem in exitu, & ita faciendum semper, quando suspicatur malum esse in procinctu: præterea singulis diebus mane surgendo debet sumere unam, & vespere aliam, si velit optatam metam attingere æger, & quamvis alias habeant indicationes morbi, qui sub familia Epilepsiæ referuntur, tamen si non iisdem remediis, tamen similibus curari possunt. Inter Catharros multæ & diversæ sunt species, quæ hoc in loco recensere longum esset, præcipuè catarrosi illi affectus qui tussim habent concomitantem, neque enim suaderem alicui laboranti catharro hoc remedio

antiepileptico & antihisterico uti, non quod credam obesse posse, cum habeat hoc præsidium multa etiam conniventia, catharrosis etiam, sed quia prxstantiora præscribi possunt quæ virtutem habent incrassandi & coquendi tenues humores, qui utplurimum tussim siccam coucomitantur, eorum numero sunt, laudana varia, ut fuit hactenes laudanum opiatum, laudanum gagatis, laudanum succini.

## *Observatio.*

QUia supra dictum fuerat de Cinaberi Antimonij, & cum bene fiat ex regulo Antimonij, hic exponam viam, quo pacto possit haberi in maxima quantitate. Quantitas autem reguli ita habebitur.

Accipe Antimonij & limaturæ martialis lib. 1. misce, pone in crucibulo, & maneant per horam in fluxu, & reperietur lib. ß. reguli.

## *De laudano succini.*

LAudanum autem succini idem est, atque laudanum gagatis, nisi quod dosis succini fieri debeat, juxta dosim laudani opiati & dosis gagatis, sicut opium in laudano gagatino: quod si catharrus fuerit suffocativus, aut successerit sputo sanguinis, tunc recommendatur usus lactis, sulphuris, & laudani cum crystallis nitri præparati.

Sed quia deest descriptio vera olei camphoræ, hoc in loco facere illam volui.

## *Descriptio veri olei Camphoræ.*

ACcipe Camphoræ quantumvis, contunde in pulverem, quantum contundi possit, postea adde terræ figulineæ rubræ partes sex, misce optimè omnia triturando, pone in retortam, vitream, lutatam, & per arenam distilla per gradus, tunc primo acida aqua exibit, deinde oleì butiracei, quod cum carbone fundi debet: interea urgeatur ignis tam diu, quousque tota camphora exiverit & nihil extiterit in retorta nisi terra nigra, quam ut inutilem projicies, postea eundem processum cum pari quantitate terræ ut supra, reitera, mixtæ camphoræ, hactenus è retorta in recipiens pulsæ, & ita repetendum per tres vices, & pellendo tertia vel quarta vice loco camphoræ, si benè

benè operatus fueris, verum oleum camphoræ veniet, terra nigra & inutilis reperietur in fundo vasis.

Usus hujus olei Camphoræ est optatissimus in pluribus affectibus, sed præcipuè in præservatione à peste & in colicis doloribus.

## De Paralysi.

DE Paralysi usus Pillularum mearum de septem granis, cujus descriptio reperitur in tractatu de febribus, multis etiam nominibus & dosi & operatione tum affectu antecellit, usum pillularum de Hiera tam à Galeno laudatum, nec sine causa, sed quia in Paralysi, ut plurimum relinquuntur membra Paralytica & ad omnem motum inepta, sequentia Topica debent esse in usu. Ego plurima numerabo, ut à sagaci Medico eligantur utiliora, ex quorum numero erit oleum succini, oleum gagatis, oleum laterinum, oleum therebentinæ, æthereum, oleum ex ossibus equorum mortuorum, cui affunditur oleum olivarum. Oleum ex medulla ossium equorum, spiritus vini & similia quæ satis nota sunt in communi praxi: si sit paraliticus homo obesus & frigidi temperamenti, evocentur ipsi sudores per spiritum tartari rectificatum, aut ejus loco utendum Diaphoretico Paracelsi quod alias dicitur mixtum simplex andernaci, aut mixtura de tribus, seu mixtura vitriolata: hoc Diaphoretico dicitur Paracelsum usum fuisse in morbis paralyticis, ejus tamen usum nec probo nec improbo, inter biliosos enim homines quales sunt Galli, vix respondere pro bono eventu velim, sed pro obesis illis & frigidis Germanis Spiritum & animam forsan inflarent, ut experientia testatur in frigidis Regionibus: hoc remedium frequenti esse & fælici usu scio, & præcipuè in peste, febri Petechiali, & quibuscunque contagiosis affectibus.

## Descriptio Mixturæ de tribus.

SPiritus Theriacalis Caphorati ℥xv. Spiritus tartari rectificati ℥vj. Spiritus vitrioli rectificati ℥ij. Hi spiritus misceantur invicem & stent per aliquot septimanas in digestione in vitro angustioris orificij, vel in balneo, vel in hypocausto calido, postea transcollantur, & usui reserventur, dosis in adultioribus ʒj, vel ℈iiij, cum aqua hordei scorsoneri, vel cardui Benedicti: in junioribus ʒß, vel ℈ij, plus minusve pro ætatis ratione: extemporaneum au-

tem si quis expetat dosim, talem instituere potest. Spiritus Theriacalis camphoratæ ℈ß. Spiritus tartari rectificati ℈j, spiritus vitrioli guttas duas vel tres si sit fortis, misceantur & dentur una vice in vehiculo specifico, sed quia deficit hic descriptio Spiritus Theriacalis Camphoratæ, illam hoc in loco consulto pono.

## *Descriptio Spiritus Theriacalis Camphoratæ.*

℞ Theriacæ Andromachi ℥v, myrrhæ rubræ ʒiijß, croci orientalis ʒß, seminis scorsoneræ Hispanicæ ℥j. Camphoræ ʒiij. Spiritus vini rectificati quantum satis, indantur omnia cucurbitæ erectæ præter camphoram & crocum, qui imponantur limbis alembici, clausisque cautè juncturis, stent in balneo per dies quatuor, ita tamen ut nihil destillet, postea lento primum deinde fortiori igne distillentur, distillatum materiæ iterum affundatur, ut fiat cohobatio & deinceps distillatio, & habebis spiritum Theriacalem subtilissimum & penetrantissimum, qui in aqua cardui benedicti aut scordij ad miraculum sudorem prolicit: præterea expurgat caput, & reliqua corporis membra, illaque confortat, ac in pristinum statum reducit. Sanguinem mundificat, omnibus speciebus febrium multum opitulatur, modo à prudenti medico exhibeatur: in Epilepsia, Apoplexia, cæterisque cerebri affectibus, multum conducit, sed animadvertendum in febribus hunc spiritum prodesse antequam febrilis aut capitis dolor nimis urgeat, alioqui à sagaci medico tempus erit eligendum. Pro palpitatione cordis cochleare unum in aqua Cinamomi, cum gutta una vel altera olei camphoræ exhibetur in paroxismo. Sed quia desideratur quotidianus usus talis remedij quod respondere potest causis primariis cor efficientibus, sive per Idiopathiam, sive Sympathiam, eligatur remedium sequens, quod affectum hunc tollere potest.

## *Descriptio Tincturæ Corallorum.*

℞ Tartari lib.I. vitrioli inter album & rubrum calcinati lib.II. misceantur & per retortam terream non vitream destillentur spiritus, violentissimo igne, & simul rectificentur, habita semper ratione ablationis olei fœtidi per chartam bibulam: habito igitur hoc menstruo.

℞ Corallorum rubrorum integrorum ℥v, superaffunde spiritus istos rectifica-

exficatos ad eminentiam trium vel quatuor digitorum, pone in arena calida ad digestionem per septimanam, & menstruum tingetur instar sanguinis, evaporatur menstruum tinctum, usque quo ad pulverem deventum fuerit: si primis vicibus tinctura non fuerit sufficienter extracta, tunc similiter ut prius procedendum, quousque coralla apparuerint alba, menstruum filtratum evapora ad siccitatem, & spiritum vini super relicto affunde, & tincturam extrahe, quam usque ad tertiam partem & ultra suaviter in balneo evapora, & remanebit tinctura in consistentia balsami: dosis hujus balsami erit ad quinque grana ex aqua Cinamomi, utile etiam erit in magnis alterationibus, aut calidis affectibus, uti spiritu vitrioli coagulato.

## *Descriptio spiritus vitrioli coagulati.*

℞ Lapidis Prunellæ pulverisati ℥iiij. Spiritus vitrioli duplum, primo pone lapidem prunellæ pulverisatum, & affunde spiritum vitrioli optimum, & ita destillentur in arena usque ad siccitatem, & ita habebis spiritum vitrioli coagulatum, cujus usus debet esse in decocto hordei vel Julapo ad grana quinque.

## *Contra Melancholiam syrupus sequens.*

QUæ ab aliis bene tradita fuere, frustra esset hoc in loco repetere, proinde in quacunque Melancholiæ specie syrupus sequens omnem cogitationem superabit. ℞ Circa Calendas Januarij aut Februarij in regionibus, calidioribus, ubi Helleborus niger flore purpureo florescit, emittit teneros surculos antequam è terra se exerat, inter quos, flos adhuc non expansus reperitur, hos omnes surculos tenerrimos scinde parum super radice in bona quantitate, ex quibus succum exprime, & pro libra una succi adde succum unius citri & saccari optimi ℥ix, coque lento igne ad consistentiam syrupi, habebis syrupum in omnibus Melancholiæ speciebus, incubo, succubo, Epilepsia, viribus auri potabilis nullo modo inferiorem. Sed quia dosis ejus non excedit ℨj, & datus in majori dosi incendium adferret, utilissime datur in decocto Epithymi, sennæ, tartari crudi, & nitri præparati, non omissis balneis universalibus, venæ sectione ex poplite.

Ut impleatur pagina vacua ne dedignetur lector sequentia etiam sibi necessaria aliis adjicere.

## *Descriptio Reguli Martis pro eliciendo Mercurio Antimonij.*

ACcipe Antimonij pulverisati & limaturæ martis libram unam, misce & pone in tigilo, ut maneant in fluxu per horam, tunc ablatis ab igne maneant parum, & tunc separabuntur scoriæ à regulo, & reperietur ℔. ß reguli probo existente Antimonio, aliàs non respondeo, debet tale Antimonium esse non solum siccatum, sed & colorem iridis referre.

## *De Mercurio Antimonij.*

ACcipe istius Reguli, salis Ammomaci & sublimati corrosivi singulorum unciam unam & dimidiam, pulverisentur & ponantur in Phiola, quæ paulatim super carbones ardentes teneantur, quousque materia fluat instar aquæ: tunc fiat edulcoratio in tepore, & Mercurius separabitur ab aqua, & pulvis manebit in fundo, qui desiccari debet & conglobari cum quantitate proportionali tartari crudi, & calce viva, in æquali portione, & ex farina & albumine ovorum fiat pasta, ut fiant globuli indendi in retortam luto obductam, & igne aperto urgendus ignis, admovendo receptaculum aqua plenũ.

Potest ex uncia sublimati haberi uncia mercurij ex globulis tantum Mercurij quantum prius. Postquam igitur cum Authore semina & radices, tum quatuor ordinum morborum & universa remedia notavi, jam posse judico receptui canere, & finem hisce adumbrationibus festinare, quas ego ut fatear abortivi potius quam peperi, ne hic tractatus in molem ampliorem contra meum institutum assurgat: contraham igitur hoc in loco vela, & cum exercitationibus finiam, dicendo loco perorationis aut Epilogismi, præcepta hæc prægressa, tam in Theoria quam praxi esse pauca.

Tamen si cum Methodo percepta quis discusserit, altioreque animo recondiderit, non erit deinceps opus, quod in arte Physiologica, quæ totius medicinæ basis est, vel crassioris ignorantiæ tenebras, vel sophistarum scopulos & præcipitia amplius extimescat aliquis, nihil enim à veri ipsius orbita compendiose dimovebit, nactus enim erit doctrinam in qua ordinis rationem à Synthesi ad Analysin, ut ab Analysi & Synthesi, & media via divolventem conspiciet, quæ numine quodam, velut anima, quemlibet in arduissimis dubitationibus, ab omni errore & dubitatione liberabit; habetur enim hic methodus, quæ veri investigandi via compendiaria est, cujus vis,

in

in inſtrumentorum ordinibus conſiſtit: nihil enim aliud eſt Methodus niſi expedita rationis ſeu ordinis ſuccincta via, per quam quaſi per inſtrumenta quatuor ad cauſæ indaginem requiſita devenietur, & ſunt elementa Methodi ſimpliciſſima, vel inſtrumenta à dialecticis mutata, ut ſunt reſolutio, diviſio, definitio, demonſtratio, quorum tria ſunt capita, Syntheſis, Analyſis & συμπεριφορία. Ad inventionem & exercitationem artium Analyſis pertinet; ad traditionem ſcientiarum ſive affectionum pertinet ſyntheſis: Dividitur ut genus in ſpecies, à quibus inchoamur, & à fine vel à forma vel materia vel efficiente à fine ut ſpeculemur, ut practicemus, à forma ut cognoſcamus eſſentiam, à materia ut habeamus principium aliquod ſenſibile reſolutorium, definitorium, diviſorium, demonſtrativum: ab efficiente Metaphyſica, rationali Phyſica à forma ſimplici vel compoſita, Analytica, Synthetica, circulari ſeu endeictica: dividitur etiam in ſuas partes integritatem abſolventes, ἔνδειξις enim ſeu indicatio eſt proportio media, atque Analogiæ ſignificatio, inter extrema affinia vel repugnantia, & hæc Methodus vocatur endeictica, ſive Aytiologiſtica, & prima erit Analytica, quæ circa Praxin verſatur, ſecunda circa res problematicas, tertia de rebus abſtractis: ſyntagma vero ſyntheticum, fit via prorſus oppoſita: eſt igitur formalis ratio habitudinis eſſentialis unius ad alterum, unde & parens omnis cognitionis, atque memoriæ omnis, inventionis atque judicij, in rebus quoque naturæ univerſis primarium vinculum, connexa diſtinguens, diſperſa copulans, in veritate, eſſentia, bonitate, & pulchritudine. Nam per ordinem ſunt res in mente divina: per eundem genitæ ab eodem in ſympathia mutua colligantur, aluntur, permanent, atque æternitatis demum compotes fiunt. Ordo eſt qui diſtinguit ſuprema ab infimis, corporea ab incorporeis, dextera à ſiniſtris, qui nunc diſpeſcit in contenta, continentia & horum media, qui partem ſenſibilem univerſi in cœlum, ætherem, elementa: inſenſibilem alteram in Deum, angelos, animam rationalem: imo abſque ordine nulla haberi poteſt rerum ſcientia: ordo per pulchritudinis legem, res unas in multitudinem diſtribuit. Analogia atque proportio per conſenſionis Ideam diſperſa revocat rurſus in unitatem tandem, nam ordo eſt cunctorum cognoſcibilium præſes, ſeu quæ res videre præſentes doceat, ſeu præteritorum meminiſſe, ſeu demum de impendentibus augurari: ubique enim, ut ait Plotinus, ordo omnis intelligentiæ ſignum & Dux, & prora & puppis exiſtit. Proinde in initio propoſui lectori propoſitionem 18. elementorum Procli, ut fundamenta aityologica primo jaceret, antequam ulterius ad profundiora addi-

ſcenda

ſcenda contendat; continet enim manſionem cauſati in cauſa , progreſſum cauſati in infinita potentia , uſque ad terminos à fine deſtinatos , & denuo connectionem cauſati ad cauſam, qua poſt explicationem poteſtatum & virium quaſi fœtuum prius in cauſa prima & aliis tam mediatis latentium converti demonſtratur, denuo ad cauſam, ut cum causâ congrediatur , ut ejus à causâ diſceſſus rationem addiſceret , & denuo inſtabiles ſtabilium ſuorum exemplarium imagines, quaſi novas ſoboles, adminiculo finis quaſi ſeminarij tertij & magni Dæmonis amoris , qui paſſivum principium ad activum reducit, & hæc manſio, progreſſio , & converſio unius eſt rationis atque illa quæ maris cum fæmina, ad generationem prolis , quæ rurſus duorum quorumvis ſeminum ad productionem tertij ſive unius compoſiti,quod ex duobus principiis utriuſque imaginem & formam unicam repræſentet, ita enim hoc appetitu exæſtuant omnia , ut nihil ſe fœlix vel fortunatum putet, niſi cum ſuæ ſpeciei paſſivo principio , ad primi opificis inſtar exemplares patriret, ac ſobolem creet, per quam uniri ſe velle videantur, quæ mundi violentia fatorumque ſæva tyrannide ſint ſeparata. Atqui ſicut in rebus naturæ oſtendimus, ſemina duo, & his commune alterum ſeminarium, quod rationem utriuſque in ſé contineat, cujus intuitu Analogòn agens & patiens , ad actionem inſtigèntur , fætumque perficiat,in quo jam ſpecies ſit actu diſtincta à ſpeciebus cæteris, & ſi unitis antea in ratione exemplari , ſic & in arte Metaphyſica & Phyſica propter demonſtrationis certitudinem , velut pulcherrimam ſobolem cum quæſtione occulta luctatur animus rationalis, dum rerum veritate & perfectione ſui ſine ſcientia potiatur , propter quam aſſiſtit proximè diſcurſus iſtius ratio , quæ partim naturam diſcurrentis animi circularem obſervat, partim & quæſtionum ordines,rerumque omnium quæ penes ulteriorem ſimilitudinem raptumque opificis primi in orbem perpetuum agitantur. Infælix igitur anima teſte Mercurio , quæ abſque liberis hanc vitam mortalem deſerit, cum ea vel juxta ſententiam conditoris noſtri ac ſalvatoris Chriſti cremanda ſit, ignibus fermentorum inutilium ritu, quæ nihil ad vitam præter onus infeſtum , & fundi ariditatem majorem contulerunt; pateat igitur, quam ineptè illi , qui optimum eſſe doctrinæ genus cenſent , per quod librati ſemper in utramvis partem ambiguè pendeant,talis enim demonſtratio omnis in ſuſpenſam Epochen deſinit nullo pœnitus cum fructu, ſed perpetua quadam incertitudine , cujus reſpectu logicam multi definiunt ut de re qualibet probabiliter diſputantem , quum tamen non ſit ille diſputanti primarius ſcopus,ſed omnes ad certam ſcientiam,

quaſi

quaſi fœtum amore nobis ingenito contendant, quare cum per Logicam hanc minime conſequamur, ſed inſtrumenta duntaxat, in quorum uſu dexterrimo & applicandi artificis, rei potiſſimum abſtruſa veritas deliteſcit: artem idcirco quæ methodum tractat univerſalem, ante ſcientias, artes, & facultates cæteras veneremur, relictiſque infrugiferis pædagogis inter problemata, inter opinionum perpetuos fluctus ad demonſtrationis arcem firmiſſimam aſcendamus, & hac ratione ab impoſturis ſophiſtarum letiferis liberabimur, & abundè patebit, quantum non modo ad veram ſcientiam cauſarum cognitio conferat; ſed ut & ſyrtes & ſophiſtarum laquei promptius evitentur, quorum locos ſophyſticos habemus in dictione quidem, ut accentum vitiatum, æquivocam vocem, amphibologiam, figuram dictionis, compoſitionem ineptam, vel diviſionem in contextu, rurſus fallaciam accidentis à dicto: Secundum quid addictum ſimpliciter, à non cauſa ut cauſa, præter conſimiles alios locos, qui tamen univerſim non tam à rebus exiſtentibus trahi ſolent, quam quatenus tales apparent, vel conſecutionem in animo naturæ conſentaneam facere falſo videantur: omnes profecto ad cauſæ effectuſque habitudinem rationalem potius quam naturalem ſunt reducendi, ſed propter errorem ſobolem, eo duntaxat, ſive à ſcientiæ amatoribus ſunt excutiendi, quo venenata medicamina medico, ut vitiorum natura Theologo ac Juriſperito, non ut ſequamur, ſcilicet, ſed cauſâ effectuque cognito temere ne impingamus, dum opponentis animum more venatici canis exploremus, ſed duro nodo durus quærendus erit cuneus, & quod diſſolvi non poteſt, ut nodus Gordius diſcindi protinus debet. Itaque contra ſophiſtam vel rem clamoribus tranſigendum, & movenda cepta ſurſum deorſumque perturbet ſingula, quemadmodum fieri in concertantium pulvere ſolet, ut is qui audiat, nec finis in diſputatione propoſiti, nec principij meminiſſe poſſit: Hujus illi ſunt ferè ſolutionum Antiſophyſtici modi, uti vel regerant gravius quiddam, cum inſtantia & exceptione, ut vocant, quales in libellis Apologeticis paſſim ſunt obviæ, vel ut cum riſu excipiant, & tanquam impertinenter abjecta rejiciant, extenuantque ubi magnum eſt acrioris linguæ, lapidei frontis, atque omnis impudentiæ pondus: vel poſtremo uti digreſſus à quæſtione præſenti aliarum rerum commemoratione tenebras ingerat, quo vel inſtituti penitus obliviſcatur, vel argumento cæteri ſatisfactum putent: plus itaque in diſputando plectrum oris volubile, audacia & pernix animus faciunt, quam ſæpè vel omnis induſtria, vel parta multis ſudoribus eruditio, præſertim quando quæratur (ut hodie paſſim) non

tam quid verè ſit quiſque, quam qualis appareat, & inter hominum ora verſetur. Hac igitur munitus arte propoſitiones quaſdam more Euclideo demonſtratas frontiſpicio ſeptem entium radicalium præpoſui, quibus ſedulus hujus ſtudij cultor ex qualibet Metaphyſica aut Phyſica dubitatione, propoſita abſtruſæ alicujus veritatis terminum attingere poſſit: quorum demonſtrationes διοτι quare ſint quæ in opere (cujus titulus eſt Philoſophiæ Pirotechnica, Synthetica methodo inſtructa) aperiuntur, ſicut quod ſint ποτι Analytica ſegregatione per Chemicam reſolutionem oſtenduntur, ita duo extrema intellectus & ſenſus, per rationis cribrum examinata veritatem in propatulo nobis exponunt: intellectus quidem ſuperior anima noſtra excurſu ad ſimilia gaudens, ſpecies ac notiones primum intelligibiles concipit, ſenſui è directo oppoſitas, radium tamen dimittunt in facultates ordine inferiores: hæc deinde excipiens rationis facultas ſe ninaria ambigua inter extremas (quippe quæ ſpectris inſtabilibus notiones ſtabiles jungat) imaginationi velut manus tradit, eoque demum paſſioni obnoxia, magnitudinem jungit, & qualitatem, figuras, ſitus, habitus, colores, odores, ſapores, tempus & locum: eſtque eadem animalibus brutis, velut œconomiæ totius apex & regula. Converſum rurſus à ſenſibus ſumpto initio, vis animi Phantaſtica ſenſibilium rerum ſimulachris agitata, alarum ſuarum explicatu, ſe ſe per ſublime tollit, cui mens ſuprema oppoſita per Diametrum radium divinæ lucis immittit, quorũ concurſus accipiens ratio, quæ natura ſua poteſt, ad quemcunque velit, diverſus, talibus inter ſe afflatibus cuncta dividit atque componit, & compoſitio tranſcurrit à puncto ad lineam, ut ab uno nempè ad unitatem & unitates, ſeu multitudines unitati conformes, in longitudinem, & quatenus habitudo mutua cauſæ & effectus, in ea conſideratur, motum rationis in ſe continet, & per conſequens in compoſitione actum ſemper includit, & ſui explicationem ex potentia defert: rurſus quæ de compoſitione dicta ſunt, pari ratione de reſolutione etiam in longitudinem dici poſſunt, nempe cur rationis motum in ſe contineat, paſſionem & ſui implicationem, ſive converſionem in cauſa etiam includere cenſetur, & rationis ille motus habet ſcientiam ſuæ cauſæ, quam ſecum è cauſa progrediens, diſpergit in Heterogenea uſque quo finis infinitæ potentiæ terminum, quam materiam vocamus, conſtituat, quibus in unum colligendis inferiora & paſſiva, nempe materiam ſuperioribus, nempe enti nectit, paſſiva activis copulat, ut meritò hic motus rationis aut proportionis dici poſſit, & ens illud inter elementa, ſive entia ſeptem Metaphyſica, quod medium locum in longi-

longitudinem obtinet, entis qnippe & materiæ, merito intellectus nomine condecoratur. Similiter ut in latitudinem transferamur, quæ superficiei vultum præse ferre videtur, & quæ neque incorporum neque corpus est, sed incorporeum corpus, & corpus incorporeum, spiritus, Aster, semen, & vinculum incorpororum & corporum invisibilium & visibilium, ab Authore nostro vocatur, & hanc etiam à motu rationis Synthetica tum Analytica arte intelligimus produci, & regi, primò longitudinis sui ordinis habita ratione, componendo à spatio infinito in atomos resolvendo, ab atomis denuo in spatium finitum, & horum proportionale medium erit lumen primævum inter spatium finitum, lucem & splendorem, tum calorem primævum, scintillam sulphuris fixi & atomos, in latitudinis vero rationem motus ille rationis, quem Author noster Mechanicos spiritus vocat, in seminibus ab Analytica in Syntheticam rationem reductus, medium proportionale seminarium constituit, & forma longitudinis activæ entis, nempe essentiæ, vitæ, tum latitudinis, nempe spatij finiti, lucis & splendoris; materia vero passiva entis, anima nempe movens corpora natura, quæ & forma participans seu spiritus dicitur, tum materia synthæseos, ratione recollecta, & per latitudinem seminariam dispersa cum tribus activis tum passivis seminariarum rationum principiis, per intellectum, & lumen primævum collecta, longitudinis & latitudinis rationes rerum incorporearum & corporum constituit, rerum indistantium distantes, rerum mobilium immobiles, rerum immortalium mortales ubique designans, ut incorpoream denique molem producendo ipsa corpora appareant, dum Spiritus illi Mechanici seu motus ille rationis aut proportionis tandem in longitudinem, latitudinem, & profunditatē profusi, tria principia Hypostatica, fluorē, ignem, & aerem, activa tum passiva principia seu elementa concreta corporum, sulphur, terram & aquam beneficio salis illorum Spirituum Mechanicorum, intellectus & luminis primævi, videlicet imaginis & velaminis; per quas actiones, societates, & commercia omnia corporum perpetrantur, de quibus omnibus sparsim, sed de instituto in iis quæ de Tabula elementorum radicalium tractantur, diffusè reperientur, & talem extremorum nexum cum Tertio, si non dissimulasset Aristoteles, ut mentem suam alienam à Platone explicaret, obscuritatem tam insignem non affectasset, ut mentem Platonis præceptoris reticeret, primo formam & materiam dilatasset, & per plures ordines Metaphysicos, nempe per ens, essentiam, vitam, intellectum, formam suam, nempe per animam, formam seu spiritum & materiam, etiam suam materiam

exposuisset, sunt enim ista principia Metaphysica, quæ scire tenetur, quisquis Physicam aggredi velit, nec enim unquam ad cognitionem materiæ & formæ perveniet studiosus, nisi prius quid sit ens, essentia, vita, & intellectus, nisi prius ex veterum Philosophorum principiis didicerit, & si hoc fecisset Aristoteles, aut illi qui Physicam è Scholis vulgaribus docent, tunc tam profundâ obscuritate doctrina Physica labefactata non fuisset: & hic nexus, si sit legitimus ex primis & veris entibus radicalibus, veram præstat sui scientiam, si tantum probabilis opinionem duntaxat sui præstabit, si spurius aut apparens, aut apparentem speciem duntaxat gignit; & circa hos duos extremos, materiam nempe & formam peccatur, ut plurimum non tribuendo affectum causæ cui debetur, omnis enim error & doctrina sophystica, fit per causæ ignorantiam, vel affectus vel Analogiæ, quæ inter utrumque est, & inter causam & effectum spectatur error, primo pro ut in animis nostris ad formam & motum rationis refertur ad causam & effectum, verum magis ad materiam, & hujus errores solent esse fædi & infiniti: ita in hac materia erravit turpiter in meteoris Aristoteles ex vera Analyseos Chemicæ ignavia, dum causam subsidentiæ in aqua Ebenno attribuit propter terrestreitatis abundantiam, suberis autem innatantium à terrestreitatis defectu, quæ quam sint ista vera, consulendus erit aliquis destillator Chemicus, & contrarium prorsus demonstrabit, & causam rejiciet in veram causam, & non sicut vulgus in non causam: simile quid etiam in Medicina accidere solet; nam si medicus circa morbi principium accersitus in febre acutâ usque ad septimum diem cuncta cum ratione perficiat, nil proficiat tamen quin morbus alternis, vel ante dies criticos exacerbetur. Has tempestates reciprocas imperitum vulgus nequaquam in temporis rejicit rationem, unde mox alius sequitur longè deterior error, priori tamen ista assidue copulatus, ut non re ipsa, sed ratione ac mutua tantum vicissitudine dirimantur, id est quod statim effectum rejiciant in non causam, velut causam. Nam si per crisim à septimo die morbus repentè profligetur, quamvis ea industria medici plurimum adjuvarit, soli id tamen naturæ vel fortunæ sæpius acceptum ferent, vel si fortè ob ipsum septimum diem circumforaneus quispiam, vel anus nugigerula inops consilij ad promittendum larga & liberalis maximè supervenerit, unguentum pectori jubeat illiniri, radices manibus, periapta collo, columbas aut turtures pedibus alligari, verba denique & absurdas orationes admurmuret, sequente sub noctem sudore valido, an nè omnis curationis gloria in scraptam scrupedem mulierculam, vel hunc sterculeum impo-

impostorem à non intelligentibus deferetur? interim ille qui prius novaverit operam strenuam, extraque sophysticen omnem, & vires ægri servarit, hactenus & morbi potentiam sub primos impetus labefactarit, is miserè ringitur, quippe admirandæ hujus Gnathonicæ artis ignarus, quam nisi præ cæteris colas.

*Heu magnum alterius frustra spectabis acervum,*
*Concussaque famem in sylvis solabere quercu.*

Et ista extrema ad exemplar & imaginem referre possunt, ut & notio & seminalis ratio, sed exemplar ad causæ agentis rationem propius spectat imago ad patientis conditionem, unde & mutuo sunt correlativa: est enim exemplar imaginis exemplar, imago autem exemplaris imago, sed notionis vocabulum magis ad cognitionem est referendum, ad effectionem vero virtus aut seminalis ratio, & juxta istam partitionem dicitur talem habitudinem mentis primæ creatæ ad Deum, hoc est ad Ens increatum existere, qualem deinceps rerum quarumcunque inferiorum ad superioris ordinis vitam, utque in hoc mundo materiali, omnes omnium materiæ in unam tandem intimamque materiam confluunt, multo magis in mundo formali, formæ omnes in unam principem ac velut apicem summam totius Theatri necessario reducuntur: omnis enim vita (Teste Fiscino) prolem sibi prius penes se ipsam generat, quam seorsim, & quo præstantior parens, eo & interiorem sibimetipsi generat prolem. Oportet enim prolem ejusmodi quam Orpheus (Palladem vocat, tanquam Jovis capite natam) Deo interiorem existere, quam sit Angelica notio menti Angelicæ. Nam in Angelo cum sit esse aliud quam intelligere, notio quæ in ipso per intellectus actum generatur, aliud est quam Angeli ipsius essentia; in Deo contra esse & intelligere unum sunt, ac notio quam Deus ex intellectus sui in se ipsum reflexione producit, tanquam sui imaginem & scientiam vividiorem idem est, atque ipse Deus: in hac autem Dei prole intima seu mundi semine universali, insunt membrorum omnium semina propria, quæ in hoc mundo prole ejus externa gignuntur. Atqui hæc eadem essentia inter se coeunt, ne Deus sit substantia multiplex, ratione differunt, ne quidquid in mundo subsistit varietatis ac pulchritudinis expers esse videatur: rursus eædem rationes seminales, quanto ad vitam superiorem referuntur, tanto magis & universales

 unitæ,

unitæ, atque à materiei conditionibus sunt alienæ, quin summo bono non omnes tantum omnium rerum formæ, se se per modum unius insigunt, verum & cunctorum animæ illuc tanquam lineæ ad commune quoddam circuli centrum referuntur. Quod vero ad modum pullulationis pertinet, quo primum ab intellectu superiore exemplaria ista producantur, Plotino visum est naturam entis veri fætam unitatibus, velut seminibus rerum earundem, parare, rationes eas deinceps ordine, numeris majoribus, minoribusve componens. Nam & Pithagoræ nil est aliud numerus, nisi actus seminalium rationum in unitate regnantium, aut est specierum species, exemplar idearum omnium, numeros reliquos, & particulares rerum rationes in se complexa. Et ista unitas primam continebat unitatem, & omnes unitates, in primum ens creatum explicandas, quod debuit esse omnium à se manentium participatum, & primam essentiam participatam, & omnes essentias participantes, & primam vitam participatam, & omnes vitas participantes, & primum intellectum participatum, & omnes intellectus participantes, & primam animam participatam, & omnes animas participantes, & primam formam participatam, & omnes formas reliquas participantes, & primam materiam participatam, & omnes materias participantes, in se continebat, & istæ unitates habebant artificis scientiam Mechanicam, quam diffudit unitas, artifex, & à radice per omnes ordines rerum creandarum explicuit, & ita ab invisibili & generico semine, rationibus seminariis, singularum specierum fæcundo; fecit semina tot signaturis corporeis & corporum involucris ornata, & virtute lucis multiplicativâ fæcundata, quod primum creatum à verbo, dixit regularum, mensurarum, numerorum & ponderum notiones pro rebus intelligibilibus, & seminarias rationes pro corporibus explicandis acceperat, & quamvis in prima creatione rerum in statu innocentiæ omnia perfecta, pulchra valdè & bona fuerant in suis speciebus, tamen post lapsum mutatus fuerat rerum ordo, & ista mutatio maledictioni divinæ successit, nam sicut peccatum introivit in mundum per unum hominem, & ante hoc in statu innocentiæ constitutum immunem à morte reddiderat, cum ipsum peccato postea deformatum, morbis & morti obnoxium, non primæ duntaxat reddidit, sed & secundæ, tum omnia quæ pro se facta fuere per ordinis inversionem maledictioni etiam erant subjecta, & ita seminibus puris inimicæ tincturæ corporum destructioni per ætatem & morbos congruentes supervenerunt; & istas tincturas vegetabilium, & mineralium in ordines vegetabilium & animalium introductionem per lapsum acceperunt,

& per

& per confusionem Babylonicæ linguæ similes pænas luerunt, nam quum nutrioni humanæ inconvenientia corporum alimenta exhibita fuere, nempe salsa, acria, acerba, æruginosa, vitriolata, aluminosa, nitrosa, similium seminum fructus, nempe cancros, dissenterias, febres, apoplexias, hydropes, paralyses, & mortem accersunt primam; sed homo omnium creaturarum miserrimus non solum mortis corporei cum cæteris reatum, sed per animæ æternam damnationem, quasi mortem secundam pænas luere debebat, nisi plastes universi misertus, saluberrimam mortis æternæ, hoc est secundæ medicinam in ipso delicti vestibulo homini per Deum hominem obtulisset: itaque sicut à corruptione Deitas, humanæ naturæ Hypostaticè unita resistendi morti secundæ vires abundè præbuit, ita quod per unum hominem peccatum & morbus intraverunt in mundum, & eum æternæ mortis reum condemnavit, sic eundem etiam per applicationem meritorum saluberrimi sanguinis, unius illius medici, Dei hominis, morte prima perpessa, mortem secundam obliteravit: non absimili ratione quum corpus humanum in statu innocentiæ constitutum ἀθάνατον creatum fuerat, (si liceat ex parvis magna componere) ita omnia quæ corpus destruere apta fuerant (ut sunt mineralium spiritus) ab ordine nutritrio negata fuerant, ut corpus æternum puræ animæ consentaneum nancisceretur, sed lapso homine, & superveniente maledictione adjuncta fuerant vegetabilibus & animalibus mineralia, & ita ut salvata fuit anima, per Hypostaticam corporis & animæ unionem in Salvatore, ita perire debet corpus per mineralium additionem, quæ viventi labores, dolores, morbos, & corporis destructionem inducunt, qua in ipsis, ut in radicibus insunt amarum, salsum, acre, acerbum, insipidum omnigenum, quæ sunt mortis & morborum semina, & sicut carnem nostram induerat Salvator, ut animæ secundæ morti obnoxiæ mederetur, sic nutritioni humanæ fortissimos mineralium spiritus addidit, ut morti primæ & morbis obnoxium præstaret corpus, sed ea quæ discuntur per modum hominis, qui ea discit & apprehendere debet, discuntur & apprehenduntur, sic ut nuper demonstratum fuit, ex Diagrammate isto Mathematico à me expresso, sic nisi quis causam qualis est cognitio, elementorum radicalium, aut causarum participantium ordines, quales sunt essentia, vita, intellectus, & anima, rectè prius perspexerit, profecto neque scientiæ, nec apprehensionis viam, modumque seminum morbificorum, ullo pacto unquam consequeretur: nam intellectus & anima qui sunt subordinatæ essentiæ & vitæ, habent in se & produnt extra se ratione seminaria, omnes facultates seminarias,

rias, tam sanitatis quam morbi quas producunt: dicitur autem intellectus, actus circa immobilia immobilis, & immutabilis: dividitur in communem, qui forma substantialis est, & eum qui proprius est unicuique, & communi subordinatur: quid autem fuerat communis, satis ad nauseam allatum est; proprius autem in agentem & passivum, intellectum communem participantes dividitur, & sic intelligi debet, eandem esse debere proportionem inter intellectum activum & passivum, qui noster est, ut nempe activus ita passivo adsit, atque externæ lucis oculus, coloribus ad visionem opponitur: est enim oculis nostris splendor quidam innatus, qualis potissimum animantium quadrupedum generi: circa amphiblistroidem tunicam & ingressum nervi optici in ipsa uvea tunica illustris apparet, ubi sanè omnium colorum penè vel ad sensum apparent, temperatæ invicem, atque commistæ seminales rationes, ex quarum congerie animali Spiritus immutatus proprium fit visionis instrumentum: parere igitur rationes seminarias rerum faciendarum, est producere effectum uniuscunque unitatis similem exemplaribus, quæ quidem exemplaria per scientiam productoris, hoc est per scientiam, quæ fuerat à primis veris & causis conclusionis, per motum rationis deducta: itaque unitates acceperant rationes seminarias ab unitate, & unitas ab uno, quod unum patrem Platonici nominant, unitatem vero potentiam, seu sapientiam patris, & unitates nempe δεμιυεργον operarium ex utrisque promanantem: fecit enim, ut Christiano more loquamur, Deus omnia per sui scientiam & voluntatem, hoc est per patris scientiam & voluntatem, hoc est per patris sapientiam quæ filius fuit, & spiritum amoris ab utroque promanente: & quamvis hæc universa pullulatio varia sit & in diversos ordines distributa, alij enim in tres distribuunt, in intellectualem nempe partem, & sensibilem, tum utriusque medium: alij in duos, in formam nempe & materiam, ut Aristoteles, qui data opera obscuritatem cum sepia affectabat, ut ait Patricius, atramento suo lympidas aquas turbando, ne à piscatoribus videretur: alij distinctius in quatuor, ut Plotinus, & eum sequutus Marsilius Fiscinus, nempe in mentem, Animam, naturam, & materiam, tamen quum sub mentis essentia tot non contineantur quam quæ non nisi obscurè naturam intelligibilium exprimere poterant, rectius videntur illi distribuisse, qui diffusius adhuc mentis essentiam ad omnem delendam obscuritatem in ens creatum, essentiam & vitam explicarunt, quam distributionem in toto hoc tractatu usum fuisse videmus Authorem nostrum, ita ut convenire aptissimè possit Ternariæ divisioni, ut sub nomine Radicalium entium essentiarum,

tiarum, & vitarum ratio, ſtabilium & æternorum, ordines comprehendi poſſint, quaſi in rerum ſtabilium unitate, animæ vero naturæ & materiæ, Imaginum & rerum inſtabilium ſubjectum & promptuarium cenſebitur; quorum ut incorpororum, inviſibilium & inſenſibilium, incorporeorum corporum, corporumque incorporeorum, & tandem corporum rationes & notiones duntaxat in unum vincire, ligare & nectere poſſit, & ita intellectus communis nominatus, quia utrorumque ſcientiam habet, ſuperiorum nempe exemplari ratione, & quaſi ipſius exemplar; inferiorum, ut ipſius imaginis, ſuperiorum, ut ſtabilium, inferiorum vero ut inſtabilium: ita hoc medium erit utrorumque medium, ſuperiorum enimvero participans, inferiorum vero participatum, ſuperiorum enim gerit imagines, inferiorum vero exemplaria, & ita utrorumque commune vinculum, & quamvis quam plurimi Ordines aut Claſſes ab ente increato pullulantes pro humani ingenii facultate, tenuitate aut potius explicandi difficultate conſtitui poſſunt, videntur tamen Platonici, prout unusquiſque ingenio valebat, in plures aut pauciores Ordines, quaſi Circulos circa Deum, à Deo & in eundem ſeſe ordine longè pulcherrimo reflectentes diſtinguere: Deum enim Circulo comparabant, quibus centrum ubique videbatur, circumferentia vero nuſquam apparebat, & circa quem tot orbes aſſiduè revolvi ſtatuebant in quot pullulationum ordines, ideas, & exemplaria prima rerum emergere imaginabantur: quorum interiores, & Deo proximos fuiſſe exiſtimabant, qui ab ipſo per finem, & infinitam potentiam (ut ſæpius à Socrate in Timeo infertur) in ens primum creatum omnium actionum & paſſionum genus generaliſſimum, ſeminarium fœcundiſſimum, & ad ſingularitates producendas ſubjectum aptiſſimum, & ut materiam Metaphyſicam profluere ſtatuebant, in qua omnia cauſata, in eſſentia ſimul coeuntia manere ut in cauſa implicata, ut ſeſe conſervent, in ſuo eſſe ſtatuuntur, progredi aut explicari ſe tandem in cauſatum, hoc eſt in ratione diſcreta aut differente, ne pulchritudinis & varietatis prolificum mundi ſeminarium, expers eſſe multitudinis videretur, convertere ſe denuo ad cauſam, & cum cauſa coire, ut cognitionem è cauſa veram deinceps rerum ſuſcipiendarum, quaſi Dei prole intima, ſeu mundi ſeminario univerſali hauriat: tum omnium membrorum totius mundi ſemina propria, quæ in mundo hoc prole ejus extra gignuntur explicans, ut demonſtratum fuerat propoſitione decima octava de vita. Secundus vero ordo & qui primo enti creato proximior eſt, & qui per manſionem in cauſa, per progreſſionem à cauſa in cauſatum pro-

fluit, & à causato in causam denuo reflectitur, & essentiæ nomen obtinuit, quasi esset entis prima explicatio, & ista prima explicatio habuit terminum, à quo permansionem in potentia causæ, ut in Seminario masculo, aut activo, ad quem verò, per progressionem in causatum, ut semine fœmineo & passivo, tum conversione in causam qua, ut communi seminario & vinculo obstetricantem facultatem nectente, utrique impertit, nempe vitam quam prius penes seipsam generaverat antequam extra produxerat, vitam nempe, quæ tertium entium, ut vocantur, radicalium constituit Ordinem, quæ à parente nempe entis & primæ causæ indole, in actum suum erumpens, à matris vero in passionem ab essentiæ effervescentia originem demonstrans; & circa hoc ens tertium, nimirum vitam, occurrunt. Quarto Ordine rationes intellectuales & propagantur, & hinc reflexæ iterum in intellectum convertuntur. Quintus Ordo erit animarius, & versatur circa ea quæ se movent, & movent corpora, & per hunc Ordinem res omnes dicuntur animatæ, quæ circa animum perpetuo volitant, à qua demum in naturam, formam seu Spiritum, quem producunt lapsæ, hinc pro virili rursus in animam attolluntur. Sextus Ordo censebitur formarum Spirituum, seu naturæ, quos formales appellamus, circa formam, seu naturam quam ipsi propagant, assiduè circumducti, à quibus demum in materiam lapsi huc pro virili rursus in naturam attolluntur. Itaque Divinus ille radius à Sole æterno in Orbem continuo manens, per essentiam, vitam, intellectum, animam, formam, seu Spiritum, atque materiam transit, in quam tandem fingit extremas quasdam, atque umbratiles tantum similitudines, ut lumen, colorum imagines, in objecto Speculo repræsentatæ, & infinitam potentiam Divini illius radii, quasi per finem terminat in materia, dum ex puris paulatim impuræ fiunt, dum à contrariis inquinantur, unde & ex unitis dissipatæ, & universalibus singulares, ex stabilibus planè instabiles, atque caducæ, donec in pristinam recurrant puritatem, atque ex humili in altum raptu illius magni Dæmonis, sive amoris, quantum in ipsis situm est, rursus emergunt. Porro intellectuales notiones, quanquam actu perpetuo in unitate vigeant, respectu tamen potentiarum inferiorum, quibus se vinciendum tradidit intellectus, nunc per potentiæ nomen à priore quadam Indole degenerasse abundè ex monumentis Platonicis constat, actu enim subsistit in nobis, actuque à mente superiore formatur, sed ad eundem respectum obtinet sempiternum, sed (uti diximus supra) actionis suæ radium non actu semper ad inferiora demittit. Unde & respectu animæ inferioris tantum

tantum in potentia dicitur, donec per animorum ascensus rursum excitetur, ut omne hoc nostrum scire, sit verum reminisci, ac rectè Socrates, non tam scientiarum sese promum apud adolescentes, quam obstetricem prædicaret, nam & sensus rationem, & ratio vicissim prægnantem notionibus intellectum obstetricatur, non quod proinde species intellectuales nascantur propriæ, uti ex verbis Platonicis male colligebant Epicurei, cum potius hæc productio specierum istarum, sit rationis motus quidam, in rationali parte coruscatio, per quam mentis species antea coarctatæ florescunt latius, ut per intelligentiam essentiæ rerum definiantur, per rationem componantur essentiæ definitæ, & argumentationes conficiantur. Veras etenim definitiones essentiarum non potest mens per accidentalia rerum simulacra formare, sed eas construit per infusas ab origine notiones, cum in Syndromi accidentali sola descriptio quædam lateat, definitionis umbra & rudimentum imperfectum, ad veras illas essentiæ notiones, ceu manu nos perducens. Quemadmodum igitur natura non recipit quicquam, nisi ex semine ortum trahat, quin potius quodcunque procreatur seminis, secum similitudinem deferat, ut homo hominis, atque arboris arbor: Sic & animus, si veritatem intelligat, necesse est veri seminis fœtuum rationes exhibere, postquam fuerit excitatus, quæ quidem (ut Tirii verbis utar) & sint, & semper sint, & substantiæ veræ, atque immortales: quare cum sui ipsius doctor sit animus, ipsi profecto, si fuerit defæcatior, exiguo principiorum haustu ad intelligentiam est opus, nam talis sponte ex seipso principium capiens, viam ingreditur, naturæ Opificis similitudine fabricatam, incedit que ad mentis illa spectacula, quæ & mente dextera protinus haurit, atque hausta tenaci memoriæ mandat: si quis vero quæ de actu & potentia diximus probè vix assequatur, multas in hoc mundo sensibili istorum similitudines, vel passim obvias deprehendet: vide imprimis colorum seminales rationes in oculo, quæ ab externo lumine in actum provocantur, de quibus supra vide, & virtutem seminalem in animalibus, plantis, & mineralibus, quorum angusto spacio conclusæ rationes non prius in apertum sese oculis proferunt, neque sensibilem ullam, fibrarum, fructuum, foliorum distinctionem obtinent, priusquam illas calor externus aliquis, vel Solis, terræ, aut animalis alterius excitarit, & sicut excitantur corpora à rebus corporeis, & corporea ab incorporeis, sic ipsa incorpora à superioribus Ordinibus, magis vel minus ad causas primas approximantia excitantur, & ad explicationem provocantur: ita potestates & scientiæ activæ, quæ sunt in

primis Ordinibus Elementorum radicalium, quum corporum societate, ut in subjecto passivo perfici debeant, inter media proportione egent, quæ partim ab activo principio, partim cum passivo colligari debent, & in untam multitudinem contendere, ut demonstrabitur sequenti Diagrammate.

## *Diagrammatis Distructio.*

SIt Circulus A. B. C. Ortum spatii finiti in superficiei concava infiniti designans, è cujus puncto aliquo seu Apice ducantur duo latera æqualia A. P. & A. T. super Basi P. T. ut fiat triangulum Isoscheles A. P. T. Sit Apex, seu causa continens actum & potentiam septem Elementorum radicalium A. Dico A. P. T. reliquas nempe partes, seu Ordines illius Apicis mansisse in Apicis puncto, seu centro A. progressas fuisse ad Basim P. T. primo in longitudinem per B C. D. E. F. G. H. tum in latitudine suprema. I. T. lineæ B. usque ad P. Q R. S. T. infima, tum per easdem vias in latum & longum rediisse in apicem seu causam A. ut demonstratum fuit in fronte hujus Operis Propositione decima octava de vita. Sit Apex, seu centrum activum principium Metaphysicum nempe A. & quia unitatem suorum exemplarium æmulari debet, ex necessitate tota virtus, potentia & actio, quæ in ista Apice esse intelligitur, incorpora debet esse. Et proinde à dimensionum legibus absoluta, ut possit tantam seminum principiorum corporis & corporeorum multitudinem continere, hoc est, in scientia Architectonica, seu Mechanica rerum faciendarum, quæ ab aliis entibus radicalibus post ipsam apicem in naturam seminariam diffusa erant, de qua observatione dignissimum est, quod scribit Proclus Commentario primo in Euclidem. *Cunctæ res Mathematicæ*, inquit, *primum in ipsa anima sunt, & ante numeros, numeri, qui per se moventur, & ante apparentes figuras, figuræ vitales, & antea ea quæ concinata sunt, harmonicæ rationes, & ante corpora quæ circulariter moventur, invisibiles Circuli producti fuere: horumque omnium ubertas, ipsa anima est, & iste ornatus alius est, qui seipsum producit, & à proprio producitur principio, & vita seipsam explet, & ab Opifice absque corpore, ac sine dimensione expletur, & quando suas promit rationes, tunc patefacit suas scientias atque virtutes, his itaque formis anima induit suam essentiam; nec est numerus in ipsa multitudine unitatem existimandus; neque eorum quæ cum dimensione sunt. Idea, corporaliter est intelligenda,*

*sed*

*sed vitaliter & intelligenter, omnia apparentium, numerorum, figurarum, rationum & motuum exempla sunt supponenda*: In hoc ergo magnitudines proportiones, figuræ, numeri, colores, sapores, odores, corporaturæ, tum reliquæ signaturæ fundantur, & si in scientia illa continentur, otiosa utique non erunt, sed vitalia, potestate plena, proportiones ordinatas in progressionibus explicantia, docentiaque pondere, mensura & ordine, creata esse omnia. Itaque nihil est in universo, quod Ordinem effugit, quod non proportione ad harmoniam unitatemque redigatur, & quanquam huic, aut alteri dissonum videatur, aliis tamen confestim consonabit: tales consonantiæ in natura *singulis momentis absolvuntur*. Semina enim in generationibus ab unitate in essentiam, vitam, mentem, animam & naturam labentia, partes tanquam numeros & sonos, ordinata progressione producunt. Elementa, corporum principia, numeros, antea in scientia definita constituunt, quæ si consentanea fuerint, harmoniam mixtionem, proportionem, & consonantiam efficient: consonantiam dico ex tribus debitè confluentibus constare, scilicet seminali tinctura, corporum principiis, & elementis concretis: corporum principia appello principia Hypostatica, Mercurium, ignem, & aerem, sale & sulphure vestita; hoc est, signaturis suis ordinata: tum elementa concreta, terram & aquam, principiis illis Hypostaticis consentanea: & quamvis cogor in hoc Diagrammate divisione corporea uti in entibus radicalibus designandis, tamen ut rectè dixit Proclus, illorum idea corporaliter non est intelligenda, sed de iis quæ inde producuntur: quia sunt explicationes priorum entium, non ita sentiendum, sed incorporea partim corporea ratione sunt singula distinguenda, itaque quidquid per spatia aut intervalla triangulorum & linearum septem entium radicalium, ordines designantia, quamvis corporea, dimensione oculis objiciatur, illud omne vitaliter tamen & intellectualiter intelligendum, & in solo centro aut puncto imaginandum, sed spatia ista non desinunt explicare fœtus elementorum radicalium, seminarias quippe virtutes, sive incorporea corpora, & corpora incorporea, quæ sunt nexus, & vincula incorpororum, sive radicalium elementorum, in centro conceptorum cum corporibus, sive elementis concretis, in passivo triangulo depictis: itaque dicemus ex spacio infinito, ab infinita potentia promanare entia radicalia, & per illorum diffusionem, aut explicationem à potentia in actum produci istas seminarias virtutes in spatio finito, terminato per finem: itaque spatium finitum repræsentabit ens, & repræsentabitur à fluore primo principio Hypostatico, per B. passi-

passivi & inferioris trianguli designati, lux subprimæva, secunda virtus seminaria, repræsentabit essentiam, & repræsentabitur ab igne secundo principio hypostatico per C. in inferiore, seu passivo depicto, splendor primævus repræsentabit vitam, & repræsentabitur ab aere, tertio principio hypostatico signato D. in passivo lumen primævum repræsentabit intellectum, & repræsentabitur à sale primo corpore hypostatico per literam E. calor innatus repræsentabit animam, & repræsentabitur à sulphure corpore hypostatico F. scintilla sulphuris fixi repræsentabit formam, naturam seu spiritum, & repræsentabitur ab arena, seu terra notata G. Atomi repræsentabunt materiam, & repræsentabuntur ab aqua, elemento concreto, per H in inferiori triangulo.

## *Illustratio per demonstrationem Æitiologisticam continentis & contenti.*

Sit igitur superior agens quodlibet, inferior autem rei passibilis loco; A. quidem utrobique supremus apex, & angulus formæ, sit indivisæ, quæ tamen progressu sit divisibilis. Primo. Secundum longitudinis radium in B. enti se communicabit in C. essentiæ, in D. vitæ, in E. intellectui, in F. animæ, in G. formæ seu naturæ, in H. materiæ, juxtaque hanc habitudinem proportio simplex est penitus A. superioris ad A. inferioris: similiter B. ad B. & C. ad C. & D. ad D. & E. ad E. & F. ad F. & G. ad G. & H. ad H. totius denique trianguli unius ad alterum totum: sed si nunc & latitudinem seces P. T. in partes proportionales utrinque P. Q. R. S. T. ut P. & Q. sint à sinistris cujuscunque principii, S. & T. sint à dextris positæ, R autem in medio, mox & totius syndromis totius spiritus atque materiæ, distinctæ formæ distinctas efficient proportionum species in V. X. Y. Z. juxta radiorum occursus ab uno in multitudinem dissectam, ordine confluentium: unde si A. angulo prioris trigoni æqualis fuerat A. postremi, & lineæ continentes angulum A. erunt æquales, juxta doctrinam Theorematis tertii libri prim. Euclidis: conversim, si partes P Q. Q R. quæq; deinceps fuerint, mutuo correspondeant, correspondebit & tota Basis P. T. superioris & activæ trianguli P. T. alterius ut passivæ trianguli, quare si utrinq; accesserit æqualitas unius lateris A. P. ad A.P. latus alterius, & A.Q. unius ad A.Q. alterius trigoni latus, confestim per propositionem octavam pri. Euclidis respondebit, & A. angulus superioris

ris Trigoni, cum A. secundi, unde videtur ubique formam, sequi materiam, & è converso, materiam, formam, proportionemque unius proportionem alterius Principii, ut si materia tota unius, alterius toti responderit, non erit necesse aliam à forma Analogiam quærere, vel ab ipso spiritu, quod fuerat demonstrandum. Hinc sequetur, quod quidquid accepit Ens ex infinito spacio, ab infinita potentia, è spatio inquam infinito limitato per finem, hoc idem accipiet essentia ab ente, ut causa continente, hocque idem producet essentia in vitam, in intellectum; intellectus in animam, anima & natura in materiam, & sicut in uno quoque triangulo continente est virtus activa, quamvis latens seu in potentia, sic in contento est virtus passiva, & in actum productura: & sicut hæc dicuntur de Entibus radicalibus & Spiritibus Mechanicis virtute implicita, in ipsis radicibus implicatis, ita & in progressu Metaphysico quem fovet æquivoca quædam relatio causarum, effectuumque mutua consequentia, à fine per media ad causas, videbis à primo semper ad ultimum formarum ordinem infinitum, quæ modo affectus vel finis, modo relatæ ad consequentiam effectivi principii induant rationem: Sic tamen ut forma effectione posterior intra prioris ambitum sit comprehensa. Solus enim Trigonus A. P. T. Trigonum entis repræsentans continet cæteros omnes, & non continentur ab alio: contra triangulus P. G. T. repræsentans materiam, situs est intra priores omnes, & aliam non comprehendit: mediæ autem, qui tum subjectos trigonos continent, tum à superioribus comprehenduntur: interim licet si superioris anguli sit illa potestas, ut inferiores quilibet suam vim omnem, velut ex unitate collectam habeant, est tamen & inferioris cujuscunque Trigoni ea potestas conversim indita, ut propter angustiorem Basim superiorum ideas aut exemplaria in se recipiant promptè, nihilque possit superius quodlibet, absque eo, ut per proportionales partes infernæ Basis, sive Trianguli non transfundatur, unde neque ab A. dimanat quippiam quod fugiat lineam P. T. nec in T. P. facultas est aliqua ab A. non comprehensa, sed omnia quæ hactenus dicta sunt, de hoc triangulo activo, non materialiter, nec corporaliter erunt intelligenda, sed ut ait Proclus *ante numeros sunt numeri, qui per se moventur, & ante apparentes figuras, figura vitales, & ante ea quæ moventur, invisibiles circuli producti fuere, horumque omnium ubertas ipsa anima est*. Simili modo dico antequam fiant incorporea corpora & corpora incorporea, quæ ambigunt inter naturam incorporam & corpus, (parcent mihi & Grammatici, præferendæ sunt Musæ Syrenibus in sermone Philosophico) fuerunt producta incorporea in activo principio, & inde producta incorporea corpora, & corpora incorporea,

porea, quæ sunt seminariæ rationes rerum, ex quibus tandem ipsa corpora producuntur: itaque necessum est, ut quoties ad effectionem rei ejusdem speciei confluant, diversa duo principia masculum & fæmineum, vel utrique vel semini particulari, vel activæ passivæque conditionis principio, ut commune semineum semper assistat, velut exemplaris forma, cujus virtute particulare quodlibet agens vel patiens se mutuo complectatur; ac dimanationes utrinque in occursum mutuæ fiant: tum per affluxum corporeum, sensibilem, vel insensibilem, tum exhalationem illi conjunctam, spirituum, qualitatum, atque formarum, donec per eandem Ideam communem rursus, ex forma multiplici in actum, vel speciem simplicem, in formam unius compositi ex inde finitam materiæ potestate cuncta conveniant: sed neque commodius, nec verius istorum ratio intelligi debet, quam per figuras Geometricas, per quas ipsa rebus paulisper abstracta Mathemata, percipi possint: hanc autem cognoscere imprimis est operæ prætium, quod hujus demonstrationis adminiculo, omnium fermè qua sunt in universo proprietates occultæ, vel facultates abditæ, tanquam uno ex fonte promantur: peregrina hæc in rebus medicis non nihil apparent, & quasi supra ejus limites constituta, illis tamen non omittenda, quotquot scientiam solidam petunt, & ne duntaxat rerum proximas rationes, sed & rationum rationes, usque ad extrema principia, quorum gratia discenda est Medico, non tantum facultas naturalis cum Physico, sed & elementa Geometrica cum Astronomis, ut plenum ingressus scientiæ circulum, Homericum illud Epithetum rectè mereatur.

Ανδρῶν αυτάξιος ἀϑλῶν.

## *Illustratio per Demonstrationem Rationum Seminalium, seu Mediorum proportionalium.*

CUm enim omnis actionis & passionis ratio sit in Triangulis posita, in quibus per angulum forma, nempe indivisibile punctum anguli forma indivisibilis, per aream Spiritus magis, sed superficialis corporearum rerum ratio, quæ in seminibus viget, per Basim & latera, corpus atque corporea qualitas assignetur, fit uti per angulornm contactus, vel laterum proportiones, totæ inter Triangulos plures emergunt, ita & agentis ac passi Analogiam mutuam deprehendamus, per anguli unius & continentium laterum, universalem rationem, in circumfuso exemplar. Detur autem Triangulus rectangulus figurarum

rarum omnium elementum primum ut A. R. S. quidem, in actione naturali activum principium signet. Secundus Triangulus erit H. Q. R. priorem contingens ad angulum rectum H. sit loco passibilis rei, at tertius triangulus A. Q. R. utriusque prioris contingens angulum rectum in H. commune illud exemplar referat, producta prius Q. A. linea sustensa angulo recto H. ab extremitate lateris H. Q. trianguli H. A. Q. juncti triangulo. A. H. S. quæ rectum angulum intra se comprehendant, producam rursus Q. I. lineam ad angulos rectos supra lineam A. Q. eidem subtensæ Q. A. æqualem, & connexam utrasque per A. I. lineam subtensam angulo recto A. Q. I. trianguli majoris & quarti dicti compositi naturalis per S. signati, dicam postremo quod per exemplar trianguli A. Q. R. utriusque trianguli A. H. S. & H. Q. R. activi nempe & passivi principii, talis sit necessitudo mutua, ut cum uterque in uno latere, & commuui angulo H. communicet: actum utrique Trianguli A. R. S; & H. Q. R. passivi principii sit mutua necessitudo, latere & communi angulo H. habeat & suas subtensas Analogas A. S. activi, & Q. H passivi ad subtensam communis trianguli A. Q. R. & per consequens trianguli fabricati super A. S. & Q. H. latera continentia angulum rectum H. erunt æquales triangulo, qui juxta prædictam rationem erectus est super lineam R. Q. quandoquidem triangulorum singuli medium ambientes medietatem quadrati constituunt, quorum duo, quæ sunt à lateribus medii trianguli continentibus angulum rectum, æqualia demonstrantur quadrato, quod super lineam consistit subtensam angulo recto, per penultimam primi Elementi Euclidis: quod autem ille quadratis tribuit, ego & triangulis illorum Orthogonis assigno, qui fiunt quadrato per dimetientem intersecto, unde nasci per dissolutionem æquales utrinque rectangulos trigonos sit necessarium, si autem ab æqualibus demantur æqualia, & ea quæ remanent, sunt æqualia: itaque ut ad naturam demonstratio propius referatur, quia Basis Q. A. communis seminarii Ideam mundi corpoream & divisibilem maxime repræsentat H. Q. latera & A. H. spiritalem maxime H. formam omniparem, in qua rationes formarum sint omnium, adhuc unitæ, actu distinctæ, secundum potentiam, quia & Sectione facta ejusdem trianguli totius in partes proportionales quotlibet, à quibus recta, & transversim ad angulos rectos productæ lineæ per utriusque annexi trianguli planum, in iisdem quoque & segmentorum omnium rationem Analogam præstet, ita necesse est penitus, ut cum corpus corpori coit proportione media, jungantur mox spiritus & qualitates utriusque, tandem & forma universa.

## *Illustratio per Analysin & Synthesin mixti, & per demonstrationem Diagrammatis succedentis.*

SUmatur Ebennus pro exemplo Illustrationis Methodæ Analyticæ, resolvatur in Elementa concreta, Hypostatica principia, in passivo principio contenta, & explicata, per signaturas corporum, in scientia radicum, sive elementorum incorpororum & radicalium, & in Apice, sive puncto trianguli activi impliciti, vel à potentiori contentas, adminiculo virtutum Seminariorum, seu Mechanicorum spirituum, ab infinita potentia elementorum radicalium ex infinito spatio provenientium, & primam rationem seminariorum nempe spatium finitum constituentium, in quo, ut seminario primo concipitur esse lux primæva, splendor primævus, lumen primævum, scintilla sulphuris fixi, calidum innatum, & Atomi, quæ omnia sunt incorporea corpora, & media proportionalia nectentia invisibiles rationes, entis, essentiæ, vitæ, intellectus, animæ, naturæ, vel formæ, & materiæ, in corpora principia, asomata: accipe ligni Ebenni aridi libras tres, quam fieri possit scindatur in minutissima frustula, ponatur in retorta vitrea adaptato recipiente satis amplo, juncturis bene clausis, ne quid perdatur, admoto igne, ut artis est, primò lento, deinde fortiori, & specta processum totius operationis, primo videbis humiditatem quandam, aut exsudationem circa parietes recipientis, hanc sequetur effumatio quædam, quæ tandem carente exitu, replebit vasculum, recipiens fumo quodam albo in initio, sed in progressu flavescente, & nubes albas Cœli repræsentante, sed quæ paulatim in liquorem guttatim in fundo recipientis decidunt, tandem ultimæ nubes crassiores erunt & guttulas multas crassas & nigrescentis liquoris emittunt, & tunc disparent nubes, & recipiens clarificatur, & totus hic processus perficitur, si ad amussim operatus fueris spatio sex horarum: refrigeratis igitur vasis aufertur recipiens è retorta, & aufertur liquor in fundo recipientis repertus, examinatur, & videtur materia crassa in fundo liquoris, admovetur pars quædam illius liquoris flammæ, & videmus materiam istam esse ex genere sulphureo & inflammabilium, & cum inflammabilia habeant in se lucem, splendorem & lumen, quasi incorporea corpora, dicimus principia seminaria illius corporis inflammabilis non aliundè, quam ab istis tribus seminariis habuisse originem: sed cum etiam omnis flamma urat, nonne inde con-

concludendum, calidum ibi esse innatum, & sulphuri isto inflammabili esse nativum: præterea fumus ille seu nubes disgregatæ, & in liquorem tandem collectæ, nonne ibi testatur fuisse plures atamos in fluores tandem conversos, ex quibus primum principium Hypostaticum, spiritus seu Mercurius producitur: examinanda tamen erunt reliqua, separato omni liquore inflammabili, invenitur tandem liquor homogeneus, quo ad sensum visus, sed examine facto, heterogeneus: consulendus igitur erit gustus, qui nobis indicabit in liquore isto esse aliquid acre, vergens parum ad aciditatem: examinandus ergo erit iste liquor ulterius, ponitur in cucurbita satis alta, applicato alembico, & recipiente juncturis benè clausis, admotoque lento igne, ascendent tenuissimi vapores, qui visu vix discerni possunt, priusque in roridam materiam circum parietes alembici apparebunt, qui tandem in recipiens delapsi, & sensu gustus examinati, reperiuntur esse aqua insipida, ultima materia Syntheticæ compositionis, & prima materia Analyticæ: hanc materiam vocant veri Philosophici aquam, sive elementum aquæ: ponderatur ista aqua, ut videamus quam proportionem gravitatis, aut quantitatem molis obtinuerit in mixto: ponderantur denique illa quæ inveniuntur fixiora, & quæ adhuc remanserunt in fundo cucurbitæ, acidulum nempè liquorem, quem pari ratione cum pondere suo destinamus ad ulterius examen, ut videamus quid habeat heterogeneitatis: etsi exactè omnia fuerunt facta, reperietur materia acida, corpus simplex, & in nullo alio subjecto corpore separabile, præterquam in sale & aqua, utpote corpora fluorem, seu Mercurium vestientia, deinde ad oleum, sive sulphur hoc examinandum, properamus, in eum finem retortæ includimus, ut sæpius destilletur, & post varias vicissitudines destillationum clarescit, & ex nigro liquore inflavescentem parum mutabitur, relinquendo in fundo materiam nigricantem & fuliginosam, quam à terrestreitate sulphuri vicina contraxerat, imbutam: hoc oleum autem, dico esse purum & homogeneum, corpus simplex, & purum elementatum, quod nullo modo in aliam naturam ulla arte transmutari possit: examinatis igitur exacta trutina diversis istis liquoribus ex Ebenno extractis, veniendum ad ea, quæ in retorta fuerunt remansa, ut pari ratione sensibus nostri objiciantur, in retorta enim reperiuntur carbones qui ponderandi erunt, ut sciamus quantum deficiant phlegma & oleum hactenus extracta, pondere, ab istis carbonibus, quantum enim & illud quod deficit, est eadem, quæ in destillatione sulphuris apparuit, materia nempè fuliginosa, quæ affinita-

tem maximam habet, cum fixiore ſulphure, tum leviore terreſtreitate: jam ad cineres veniendum, quæ poſt calcinationem carbonum inveniuntur: & quia Tyrones non alloquor, ſed homines in arte provectos, non hic hæreo, ut doceam vias iſtas ſeparationis, ſed repetam duntaxat, quæ alias diffusè à me tractata fuerunt, in opere à me edito, cujus titulus erat Philoſophia Pyrotechnica, capite de vitro Antimonii, hoc fundamento niſus, quod, quidquid admovetur igni, vel fugere videmus ignem, aut avolare, aut exſpectare vim ignis: quæ fugiunt, vocantur volatilia, quæ exſpectant vim ignis, fixa: ut examen ergo verum faciamus de iſtis cineribus num conſtent, natura homogenea, an heterogenea, cum ignis examen hoc præſtare non poteſt, ad examen aquæ veniendum erit, nam ſicut ignis ſeparat fixum à volatili, ſic aqua ſeparat fixum à fixo, ex cineribus enim iſtis faciendum erit lixivium, quod cum ſentiamus eſſe ſalſum, ſeparamus per evaporationem, aquam inſulſam, & materia relicta ſalſa erit, & ipſum ſal, quod quamvis nullies examinaret aliquis, alterabit quidem, ſed ſalis naturam nunquam exuet: jam ad materiam relictam à lixivio veniendum, & apponendum igni, quum, aquæ non reſpondeat, & videbimus nullam induere alterationem, præterquam quam arenæ, vel terræ impertit, nempe vitrificatoriam: ſingulis iſtis igitur obſervatis, & ponderibus ſuis libratis invenientur, heterogenarum partium pondus, numerus & menſura, qui prius fuerant in Ebenno, ex qua Analyſi reclamante tota Schola Peripathetica conſtat non reperiri in rerum natura, plura nec pauciora his ſimplicibus corporibus elementa, duo fixa, nempè arena ex quo fit vitrum, ſeu vera terra, & ſal, aqua & ſulphur volatilia, tum tria Hypoſtatica principia, fluorem nempe, ignem & aerem, quæ ſunt ultima elementa in quæ compoſita omnia corpora reſolvuntur, & ex quibus omne compoſitum conſtat, & viſibilia & ſenſibilia corpora ſunt, quibus induuntur inviſibilia: & hæc ſunt corpora quæ partim Phyſicè, partim Metaphyſicè, alia ex aliis ordine deducuntur, ſpiritus ſeu Mercurius, aere & igne, quæ ſunt inviſibilia elementa; corporibus elementorum inferiorum veſtitur aer, igne veſtitur, ut corpore incorporeo, ignis in fluore, ſive Mercurio, fluor in Atomos, Atomi in calidum innatum, hoc in ſcintillam ſulphuris, illa in lumen primævum, illud in ſplendorem primævum, ille in lucem primævam, illa in ſpatium finitum, hoc in materiam primam Phyſicam, illa in formam, ſeu naturam, aut ſpiritum, forma ſeu natura in animam, illa in intellectum, hic in vitam, hæc in eſſentiam, eſſentia in Ens, ſeu primam materiam Metaphy-

taphysicam, & hæc est Analysis Chemica, Physica & Metaphysica, quam si rectè examinasset Senertus, & perpendisset Platonem, aut Proclum legisset, non tam sinistrè, nec Thomas Erastus, nec ille Libavius, tam insulè de mente Severini Dani circa primam materiam, circa formam & elementa judicassent, neque de formis, Seminibus & Astris tam vana & ridicula blaterassent: legit forsan Senertus vir alioqui doctus, aliquot Platonicos, sed ex fructu satis percipietur, nunquam ad cognitionem pervenisse optimorum Platonicorum, sed hæsisse in limite, & ex Titulo Libri solum de mente Authoris judicium fecisse, expetebat Libavius, ut ex multis quæ dixerat Author aliquid probaret, sed quæ ipse potuit noluit, ne perlas porcis projiceret: ecce ego ex Abysso & Orco (ut ait Hippocrates) invisibilium entium ex infinito spatio divinæ & infinitæ potentiæ rerum origines deduco.

*Hæc scribebam & pingebam 25. die Junii Anni 1659. Poloniæ in Aula splendidissima Illustrissimi Principis Domini GEORGII LUBOMIERSKI, Generalis Exercitus, tum Regni Mareschalli, Principis Consilii simul & operum dexteritate præstantissimi, cujus Divina prudentia in rebus Politicis expeditissimæ praxeos, simul altissimæque Theoriæ individua syngamia, aliarum multarum, quamvis Heroicarum actionum nomen longè obscurare videtur.*

Campus Si- ve Veritatis infinitum
Spatium
Elementa radicalia seu ἀσώματα
ENS. ESSENTIA. VITA. INTELLECTUS. ANIMA. NATURA. MATERIA.
FLAM- MAN- TIA MOE- NIA MUN- DI
Spatium finitum
Actus Compositi Naturalis
Actus Idealis seu Seminalis
Actus activi Principij
Actus Passivi Principij
Lux subprimæva, seu Essentiæ lux.
Splendor subprimævus, seu vitæ splendor.
Lumen subprimævum, seu Intellectus lumen.
Calor subprimævus, seu Animæ calor.
Scintilla Sulphuris fixè seu Naturæ scintilla.
Atomi, seu primus humor Materiæ
Elementa seminaria, seu incorporea Corpora.
Spatium finitum
Aqua.
Terra.
Sulphur.
Sal.
Aër.
Ignis
Fluor, seu Mercurius
Elementa Concreta seu Corpora
Diagramma

## *Exercitatio & usus hujus Doctrinæ in Praxi Physiologica, circa elementa & corporum principia.*

IN omni Praxi in propositione qualibet, in quovis composito naturali, pro fine operam damus, ut scientiam rerum adipiscamur. Scientia autem per rerum causas fit, tum proximas, tum remotas, usque ad prima elementa Metaphysica Analyticè ascendendo, nempe ens & usque ad elementa Physica Syntheticè, nempe ad finitum spacium, & tales ultimæ resolutionis & compositionis termini, à Severino Dano dicuntur elementa, loca & matrices, includentia effectus, mediamque rationem per circuitum nunc resolvendo, nunc componendo, ascendendo, descendendo, ut ex utrisque medium componant: erunt igitur duo extrema, unum Metaphysicum per quod causarum causas & principiorum principia inquirimus, usque ad elementa Physica, corpora nempe composita ex Metaphysicis. Exemplum hujus, usque ad Nauseam exibuimus in Metaphysica contemplatione, ubi ab uno, & unitate, ad multitudinem Physicam dilapsi fuimus. Et hæc extrema veram & primam scientiam rerum nobis suppeditant: alterum autem extremum est hujus umbra & imago, in qua nulla est præterquam umbratilis scientia, nisi sit ex Synthetica ratione derivata, & hoc modo si à perito Medico tractetur, Chemiam Analyticam constituit, & ab artificibus & destillatoribus distinguit, & hæc ars dum compositum omne in elementa Physica resolvit, multitudinem denuo in unitatem colligit, unum extremorum descendit componendo, alterum vero ascendit disgregando, medium autem utrumque confirmat, nunc ascendendo, nunc descendendo, ut rerum causas effectibus suis vinciat, & colligat, & in hoc medio proportio collocatur, per proportionem indicatio, per indicationem Ætiologismus absolvitur, in quo scientia demum animæque summa perfectio ponitur, quo rerum veritas, prius naturæ demersa penetralibus efflorescit, quo scientiæ & potestates animi, quæ corporum societate perficiuntur, explicantur, generationis & corruptionis leges constituuntur, & in illis elementa & corporum principia consentanea, à radicibus, hoc est veris substantiis & seminalium rerum principiis, hoc est semi substantiis ordinantur, proinde semen, seu illud proportionale medium, quod fœcundum est, elementa habere debet corporum principiis insignita, & juxta radicis scientiam, hoc est per scientiam activi sui principii, nempè Metaphysici ornatum, per corporum autem

autem principia intelligitur principium passivum, ubi sunt elementa concreta, & in hoc loco quando loquitur Author noster de semine fœcundo, non intelligit seminarias rationes, sive medium proportionale, aut semen quod capsulis suis & siliquis includitur, sed hoc corpus nempe salis, sulphuris, terræ & aquæ, quod est ipsum, quod ab invisibili semine fœcundatum est, & virtus ista quæ dispensatrix est, scientia illius radicis, & infinitæ potentiæ, primus & proximus effectus est, quem Author noster in pluribus locis spiritus Mechanicos appellat, quia Mechanica Bezeleelis arte, hoc est spiritu Dei instruuntur, & quæ faciunt ea, quæ in prima creatione facere ipsis jussa suut, de quibus videatur Cap. XI. Authoris nostri in subjecto ab ipsis radicibus producto, & hic spiritus elementa concreta & corporum principia domestica sibi assiscit, qualia prædestinationibus, officiis aut scientiis talium corporum respondere possunt, ex quibus spiritualia primum fiunt corpora, ex quibus mixtis corporea & corpora producuntur, ventriculus coquit, quia spiritalia ejusmodi corpora obtinet: scientiis salis & sulphuris & Mercurii ornatus, quorum tamen signaturæ prius in alimentis latebant: proinde asserit Author, & rectè, temperamentum corporis non esse nisi ex mixtione, salis, sulphuris & Mercurii inter se, & aliis elementis, scientiis & prædestinationibus prædictorum principiorum, & ipsius radicis ordinatum: ita Officia earum partium, quæ elementis superioris Globi, nempe igni & aeri inserviunt, inquirere debent: quid autem intelligat Author per istos Globos, ex præcedentibus patet, quia cor ex tali sale, sulphure & Mercurio constituitur, in quibus scientiæ vitalium motuum vigent, in aliis quoque rebus exaltatis, id est per spiritus Mechanicos in actum reductos: idem apparet, dicit enim nitrosa & sulphurea, ubi exaltantur, astris, (hoc est spiritibus excitatis) motus similes ostendunt, sed momentaneos, quia radicem non habent continuam, unde pulsuum fundamenta pati debent, corporei autem sunt illi spiritus Mechanici, à quibus Officia corporibus proxima proficiscuntur, multum deficientes ab integritate spirituum vitalium & principiorum, in quibus scientia, vita, potestas vigent, & in quibus continentur & gubernantur illi spiritus corporei, tum ipsa corpora: itaque cum tam vicino coujugio corporum teneantur, corporeas quoque affectiones sustinent, locaque postulant, radices & fundamenta, in quibus actionum fontes ac fructuum thesauros constituant: hoc pacto partes corporis sunt matrices, radices, penuria, astra, in quibus concentrantur virtutes spirituum per totam Anatomiam dispersæ, & tales corporis

poris partes, sunt cor, jecur, cerebrum, uterus, testes, sensus & motus, imaginationes, memoriæ, quæ à spiritibus corporeis perficiuntur. Hæc testantur insomnia, sed spiritus, donis, scientiis, prædestinationibus, & signaturis his respondentes inter se differunt, certè nisi omnia cæco impetu ferantur, sanguini locus erit destinatus, scientia attributa, cujus ductu obtemperans, in propriis diversoriis Officia destinata, absque aliorum injuria absolvet. Obscurior continuitas spirituum, quæ sub carnium & ossium compagine continetur, ita spirituum vinculis extrema infimis, remota remotis conjunguntur, imo sanguini etiam locus est relictus, & scientia tributa, est enim elementum aqueum, Astris mineralium, differentibus tincturis ornatum, imo & sua astra habet, definitis temporibus orientia, vitalibusque paroxismis, vitæ testimonia demonstrans, nam in carnibus Martis potestati subjectis fructus edunt Martiales, Veneris vero Venereos, & ita in toto corpore, ordines varii sunt.

Primus Ordo partium est earum, quæ actionibus elementorum inferioris Globi inserviunt, hoc est, quæ sunt sub Diagrammate, ut venter, hæpar, lien, æsophagus, sanguis enim ipsum elementum est, & partium dignitatem transcendit, quæ autem actionibus superioris Globi inserviunt, hoc est, qui supra Diaphragma sunt, cor, pulmones, spiritus etiam vitalis elementum est.

Secundus Ordo est, ubi continentur ea, quæ Officiis sensuum & motuum accommodatæ sunt, ut cerebrum, oculi, aures, nares, lingua.

Tertius partibus generationi dicatis.

Quartus Ordo erit earum, quarum mysterio ligantur & conspirant universa, quæ vincula sunt corporeæ continuitatis.

Sunt propria etiam elementa in singulis particulis, quæ ab universalibus sustinentur, & foventur exemplo urticæ, quæ quamvis propria habeat elementa, tamen ab universalium fructibus assidue fovetur & nutritur.

## De coctione.

Alimenta stomacho accepta, virtute spirituum Mechanicorum, resolvuntur, sunt enim in ventriculo scientiæ, sulphuris, salis & Mercurii, quæ tales actiones adere possunt, in ipso etiam alimento, elementa ac principia istis actionibus obtemperantia.



21

## *Exercitatio & usus hujus doctrinæ in Praxi Therapeutica.*

ANtequam ad rem ipſam veniam, ſunt in medicina communes leges atque ab origine nobis incitæ notiones, quarum intuitu particulares canones fabricantur: ſexcenta millia in monumentis Veterum exſtant, quod idcirco hic lubentius recenſeo, quod ea vel ſola ſufficient, accedente rerum uſu & Methodo, ut particulares leges in arte qualibet pro loci temporis naturæque differentia, vel ſuſcitari de novo poſſint, cujus conſtitutionis illud quoque præcipuum axioma eſt, & rebus omnibus atque negotiis conſiderandum, protinus regionem, & tempus, & affectionum genera, & conſuetudines ipſas, in quibus conveniant nec ne, & patrios cultus, habituſque locorum & quid quæque ferat regio, quid quæque recuſet.

Non aufferri effectum niſi ſublata cauſa.

Omnem curationem fieri adjectiône & ſubtractione

Affectum omnis intemperantiæ, vel in aſtrictione nimia, vel fluore, verſari in exceſſu vel defectu nimio.

Contraria curari contrariis, ſed non hoſtilibus, nam

*Concors diſcordia fætibus apta*, ut ait Lucretius.

Similia ſimilibus conſervari.

Fluxum fluxu provocari & è contra.

Parva incendia magnas vires neglecta ſæpè aſſumunt, & idcirco malorum principiis occurrendum.

Remedia pro ratione naturæ atque affectus ipſius variè temperanda.

Turpe reſcindendum, ne pars ſyncera trahatur in conſenſum.

Orta principii indolem præ ſe ferre, & è contrario.

Extremis morbis extrema remedia convenire.

Nullum violentum perpetuum, moderata perdurare.

Si quod cum ratione ſuſcipitur, non ſtatim proderit, non illico mutanda remedia.

Omnem mutationem ſubitam, ad contraria maximè periculoſam.

Bonum eſſe contrariis aſſuefieri ſi paulatim fiat.

Omnium rerum viciſſitudinem eſſe.

Habitum fœlicem, cum in ſupremo conſtiterit, maximè periculoſum.

Gene-

Generationem unius esse corruptionem alterius.
Qui admodum crassi sint, citius perire quam qui graciles.
Cum morbi inchoant, si quid movendum, movere oportet, in statu melius est quiescant:
Concocta medicari non cruda oportere.
Impura quo magis nutries, magis lædes.
Si qualia purgari oportet, purges, confert, & facilè ferent, non, sin minus.
Medicationes non tam quantitate quam qualitate sunt æstimanda.
Quæ judicata sunt integrè; movere non oportet.
Quæ relinquuntur à morbis, tollenda, ne recidivam pariant, aut quoquo modo sunt reprimenda.
Ex duobus contrariis optimum quandoque temperamentum fieri.
Duorum malorum eligendum quod sit potissimum.
Omnia quæ modum excedunt, mala.
Curandum ubique tutâ maximè viâ, celeri, jucundâ.

Ut Medicus fines rectè consequatur, ad duo duntaxat capita collimare debet, ægroti indolem pro negotio Medico, & affectus rationem, sic sanè ab ægri viribus & morbi magnitudine, de salute deque interitu præsagium instituit. Sic rursus pro partis natura vel ægri totius proque affectus noxij statu, varias remediorum differentias adhibet, consentientes passim, formarum potissimum essentialium ratione, deinde & accidentium cæterorum, ut modi, magnitudinis, numeri, loci & temporis: quemadmodum vero inventionis gratia, itum est Analytica via, à fine scilicet ad causas, atque principia, nunc contra ubique ferè Syntheticè progredi decet, ab ipsis principiis, ad effectus eorundem: cautione interim habita juxta affectionum, & rei affectæ postulata. Multi sunt hujus loci merè praticulares canones vix à prædictis aliter quam usus ordine differentes, quorum tamen paucos & ante signanos repetam.

Primo, ut hæc tibi per classes endeicticas & consultationis & Praxeos collecta capita, præ oculis statuas, quæ sunt agenda, qualia, quanta, ubi, quando, quomodo, & quo ordine, hæc enim sunt ferè quæ Galenus enumerat.

Secundo, ut vel pugnante indicationum agmine, vel effectuum & causarum inter se circulo quodam, ejus quod violentius urget habeatur ratio prior. Reliquis interim, si fieri possit, non omnino neglectis, quod pulchrè Galenus exemplo in Hydrope docuit quoties hæc febribus complicatur.

Tertio, curandum est rursus, ut quæ afflictæ primario fuerint, vel per se prius tractentur, illis, quæ ex consensu, vel per accidens, nisi minus ex morbo, quam ipso Symptomate periculum videatur.

Quarto, si quæ proposita in actionem, adversa obstacula remorentur, illa dimoveas prius quam ad rerum consecutionem annitaris.

Quinto, quod si una, eademque opera, vel telo simplici victoriam duorum hostium, vel plurium, possis adipisci, idem præ cæteris magis est eligendum.

Sexto, si rursus currenti ad propositam metam ex eo quod primum cœperis majus impendeat malum, relegendum potius est iter universum, quam ulterius absque spe fructus & gloriæ veliteris.

Septimo, notabis denique in omnibus malè affectæ particulæ, curationem una cum benè affectæ Prophilactica permisceri, quod copiosè Galenus in Libris Therapeuticis, seu de medendi Methodo demonstravit, dum ulcus curandum ita proponit, ut omnes illius differentiæ exiccationem pro remedio postulent. Nam cum alia aliis sint humidiora, partes quoque affectæ secundum humidi, vel sicci gradus plurimum differant, idcirco & quatuor universim conjugationes insinuat, vel ulceris siccioris, cum partis natura sicca, vel siccioris ulceris cum parte humida, vel humidi ad humidiorem quampiam. Erunt ergo & indicationum quadruplices Syngamiæ, nam cum affectus præter naturam contraria mandet partis natura, ad sui conservationem similia, cum ulcus humidum fuerit, pars autem sicca, jam duplici nomine vehementer est exiccandum: contra, si pars est humida, ulcus vehementer siccum, in cæteris complexuum generibus mista est indicationum ratio, unde & medicamenta mediocri modo se gerant, in exsiccando & molliendo, est necessarium.

Multa insuper alia in contemplationem cadunt, ut num morbus sit simplex, an compositus: num affectus inesse, an in fieri tantum, & si sub permanentium genere est, num causa efficiens agere jam desierit. Ex horum intuitu curationum modos plurimos occasionesque poteris exspicari, quæ omnia ad Analogiæ regulas potius sunt referenda. Potissimum vero in tribus versatur curationis gloria, sive dexteritas, ut viâ restiruas tutâ, ut brevi atque jucundâ; quod si inflammatione cerebri doceri denuo, velut exemplo placet, cogita tibi effectus ultimos & maximè sensibus occurrentes, facultatis cognitricis, læsionem, vigilias, febres, nunquam intermissuras: horum Symptomatum causa est morbus ipse, Phlegmonæ cerebri, scilicet quandoque & membranarum, vel partium eminus consentientium inflammatio, unde in forma-

rum

rum ordine, inflammatio fit à putredine: sæpè putredo ab obstructione, hæc postremo à cibo, potuque crassiore, & id genus causis extrinsecis. In materiei dissolutione, cerebrum à membranis afficitur, membranæ à venis, atque arteriis, undique circumfusis, hæ rursus ab hepate, corde, & ventriculi tunicis, rursum in singulis substantia similaris continens à contentis afficitur, humor proximus ab influente, influens ab eo qui paratus est influere, humores interni omnes à cibo, potu atque exterioribus elementis: quare ut causa cujusque effectus inventa est, ordine resolutorio effectus sublatio per internecionem causæ ordine compositorio suscipi debet, non enim aufertur incendium, nisi oppressa putredine; nec putredo dimovetur, nisi aperiantur obstructa, quemadmodum facilè semper recurrit, nisi obstructioni cibus, vel potus obstruens interdicatur. Ita si capiti probè consultum voles, venis primum atque arteriis ut consulatur, vide, quin prius interdum & hepati, ventri, cordi, cæterisque partibus ordine colligatis, nequicquam adeo id, quod influxit eruimus, nisi influentem simul materiam refrænemus, nisi vel tempestatum semina, vel sero ventura fluxio caveatur: in hoc negotio difficultas ea præcipua est, quod Ordo Syntheticus licet semper respuat causam remotissimam, ut prius quiddam sæpè tamen, non ab extremis usque causis ad effectus ultimos proficiscatur, sed interdum à causis proximis, tantum à continentibus, & maximè necessariis, interdum quoque inversa penitus ratione, ab effectu progredi videatur, ad ipsam causam, quoties effectus vel gravioris causæ, ad effectum alterum speciem repræsentat, vel cum per circulum, idem effectus alicujus causæ, fit causæ ejusdem, à quo primum dimanaret; quemadmodum de glacie sub ænigmate fertur, *Mater me genuit, eadem mox gignitur ex me*: ab istis scrupulis, ut te compendio liberem, imprimis aliam paulo in docendo, aliam in agendo Synthesim in pluribus exspectabis: quod enim ad traditionem pertinet, ibi Ordo Syntheticus ferè semper est inconcussus à primis per media usque ad postrema, quemadmodum Analytica series à compositissimis atque postremis per media ad simplicissima rerum elementa processit, unde in medicina exactionibus inventæ sunt facultates, & actionum opifices formæ, ex instrumentorum sectione majorum minores ordine: ex similarium substantia humorum orta cognitio est, ex humoribus elementorum externorum; exempli causa in actione inflammatoria, fit tristis loci sensus, demonstrans actionem, hanc concomitatur Syndromes accidentaria, ut est calor, frigus, rigor adest, rubedo, lancinatio, pulsatio, febris

febris à similibus istis actionibus inveniendæ erunt facultates & earum opifices formæ, omnis enim actio à viribus, vires ab essentia rei, hoc est à substantia, dolor autem in substantia similarium partium affectarũ, quæ ex doloris indole percipitur, acutus enim dolor ex acutis humoribus provenit, acuti humores ab acutis elemẽtis, nitro sulphureis inibi cõtentis proveniunt, itaque qui dicit istos acutos dolores fieri ex bile, nihil explicat, bilis enim est locus, est penuarium, est matrix, est domicilium variorum aliorum humorum acrium, amarorum, acutorum, nitrosorum, vitriolatorum, aluminosorum, acidorum, salgemmeorum, & omnes isti humores subalterni agunt in substantiam similarem: quæ ex alimentis contrahuntur, & alimenta ista ex elementis similibus originem ducunt, sive sint elementa Hypostatica, fluor, ignis & aer, sive corpora ipsa Hypostatica, sulphur & sal, in quorum sinu resident Hypostatica & invisibilia elementa, & per corpora, quorum proximi effectus, dolores nempe, labores, & similia Symptomata eduntur, agunt igitur isti humores, non quatenus calidi, humidi, frigidi, aut sicci sunt, qui quidem sunt accidentia omni actione orbata, sed quatenus explicantur, ex dunamicis facultatibus per humores, exaltationes & infaustas separationes in actum reducuntur, itaque qualitates istas ideo rectè vocat Author inutiles, nullas vires habentes, sed signaturæ sunt qualitatum internarum, nempe dunamicarum, quæ proximè ab essentia mediantibus elementis radicalibus & seminariis rationibus fluere probantur.

## *Observatio Practica.*

IN tali casu Diætam naturæ congruam instituere debemus, clistere emolliente alvinam regionem eluere, sanguinem quam primum emittere, & quamdiu necessarium erit reiterare, ut impediri possit phlegma aut erisipelas, in initio usu crebro, & deinceps laudani meæ præparationis, dolores sedare, temperare accidentia calida, usu crebro nitri præparati, tam ex jusculis, quam ex Ptisana, tunc veterascenti affectu, miti Pharmaco materiæ morbificæ copiam ad exclusionem præparare, ut à Ptisana sequenti.

℞. Tartari purificati & absque atte crystallisati ℥i. dissolve per effervescentiam in aquæ fontanæ libris sex, adde nitri præparati ℈iiii. Radicum glycirrisæ ʒiii. remotis ab igne, adde foliorum sennæ ℥ß. clauso vase, reponantur in loco tepido, & die sequenti mane colaturam fac sex unicarum, & exhibe hora sexta matutina in lecto, ut si fuerit inclinatio ad

ad somnum, dormire possit æger; hora octava repetatur eadem dosis, hora decima tertia dosis, prandeat æger hora duodecima, si alvus fuerit ante quartam subducta abstineat à quarta dosi, alioqui reiteretur hora quarta: die sequenti idem ordo in Phisana hac exhibenda instituendus erit.

Post duorum vel trium dierum intervallum progrediendum ad fortiora remedia, ut contumacior materia exludatur, deinde revellentibus, diureticis utendum, fovenda est pars afflicta corroborantibus, & tandem lætiori victu omnia erunt committenda: sed in traditione artis contra ab elementis ad humores, ab his paulatim ad naturam partium, & facultatum, atque actionum descendimus: in actione tamen subinde occurrit quædam præpostera Methodus, non tam in rei naturam talis, quam in artificis animo propter inversam faciem & nominis commixtionem, ex habitudine sola, vel effectus, vel causæ. Ita in dolore colico & nephrytico, cum dolor sit tantum effectus morbi, sive symptoma, dolori tamen interdum prius occurritur, quam morbo, propter inflammationis, vel hypothimiæ pericula, quæ ex doloris acerbitate proficiscuntur, adeo ut & narcotica Galenus non semper dissuadeat, in affectibus istiusmodi, licet hæc ipsa morbi quoque fomitem non nihil adaugere ab aliquibus satis inclusè (nescientibus usum) censeatur. Duum enim malorum cum alterum evitari non possit, id eligendum sentiunt, quod minus est malum, quod si vividius paulo in rebus politicis dari exemplum exspectat aliquis pro hac Philosophia non solum ad artem medicam, sed ad ipsius quoque prudentiæ & sapientiæ munia præ cæteris necessaria, demonstrentur illustria exempla, tum in generibus causæ formalis, tum materialis inveniet, nam in formarum ordine, effectus ultimi videntur esse quasi morborum symptomata, ruinas Principum, causas continentes esse fortunæ labefactionem, quam & jactura vitæ comitatur. Causæ præcedentes sunt linguæ, libertas, has præcedit corruptorum judicum oppressio, hanc iterum, querelæ populares, inde bella domestica, quum & in materiali genere licebit matricem causam proximè in populo constituere, præcedentem in Principibus & Magistratu, donec ad Reges, ut omnium capita pervenitur, constituere. Sed falluntur, & à fine aberrant quam plurimi, qui istam convenientiam in rebus politicis expetunt, propter fortunæ violentiam & rerum extrinsecus occurrendarum Ataxiam; quæ neque à passibilis rei vi, neque ab agentis arbitrio, sed ex insidentium infinita varietate dependet, quæ quidem in opere Medico rarius usu veniunt, at in civilibus quam sæpissimè propter causarum, ut dixi, diversitatem

& materiei discontinuæ Ataxiam. Hinc sanè meritorum omnium vel benè, vel malè iniquus est arbiter populus, dum plagiarium ferè pro Medico probo, præstantem alterum pro Tortore, vel imperito ducit, dum Reges suos pro tyrannis illico, mediatores palam pro perfidis judicat, in secundis assentatur, in rebus afflictis accusat temerè, & criminibus gravat, (Chameleontis ritu) virtutum denique absentem quærit sedulo, præsentem minimè fert, proindè dicere possim cum Lyrico *Odi profanum Vulgus.* O verè *plebs bellua multiceps*, verumque esse illud è Tragico censeo:

*Humida vallis, Raros patitur.*
*Fulminis ictus, Tremuit telo,*
*Jovis altisono, Caucasus ingens.*

Hæc cum mecum reputo, non possum illud non sæpius usurpare cum animo meo,

*Crede mihi bene qui latuit, bene vixit, & intra*
*Fortunam debet quisque manere suam.*
*Sic quoque formida nimium sublimia semper,*
*Propositique, precor, contrahe vela tui.*

Et si fortassis ea sententia generosis pectoribus minus sit inferenda, idque sit Nobis curandum potius, ut pro periculis tantis Regi & Principibus viris grati perpetuo simus, benè gestorum memores auræ fallaci fidem temere non habeamus, quod sanè futurum est optimè, si cogitemus illud perpetuò, quod Regibus indignè pressis res afflictas sæpius in melius mutatas fuisse. Videatur exemplum Regni Portugalliæ, ut multorum aliorum, quod post quam plurimos fortunæ anfractus ad primum Regem & regnandi sub Regibus suis legem redierat. Similè etiam quid ante quinque annos accidisse vidi Serenissimo Regi JOANNI CASIMIRO per Dei gratiam Regi Poloniæ, tum Sueciæ Hereditario, Domino meo clementissimo. Is enim dum se in firmissima pace cum vicinis, sed speciatim cum Sueco quantum per tractatum publicos, & mediationes & sponsiones potentissimorum Principum totius Europæ sperari potuit, constitutum crederet: Ecce Carolus Gustavus Rex Suecus, Cosacorum rebellium (Tartaris fœdere junctorum) & in Poloniam ferro, igne, spoliis, & numerosorum Captivorum deprædatione vastantium arrepta occasione, tacitum fœdus cum Mosco, Transylvano & maxima parte implacatorum Nobilium, qui propter privatas & indigestas querelas, inter se, non contra Serenissimum Regem, nec datas, nec acceptas manus facilè externis inimicis dederunt. Itaque

anno

anno 1655. circa initium Junii, Carolo Gustavo tam Prussiam, quam magnam Poloniam cum potentissimo Exercitu triginta millium non solum aditus erat datus, sed numeroso etiam milite Polono auctus, urbes præsidiariæ Magnæ Poloniæ, tum Prussiæ (excepta Dantiscanæ quæ firmiter semper à partibus Serenissimi Regis stetit) portas primo aperiente inimico aperuerunt; sed quod magis, totus Exercitus Polonicus relicto Rege Serenissimo, quanquam optimè de Regno & Republica merito) usque ad ulteriores Regni oras paucissimo milite concomitatum prosequuti sunt: interea Moscus Magnum Ducatum Lithuaniæ aggreditur, cum Exercitu centum millium hominum, in saccum & cineres omnia redigens. Cosacus etiam partibus suis non defuit. Transylvanus etiam cum sexaginta millibus armatorum, non otiatur, sed ferro & igne omnia consumunt, quibus Ate, ut & ipsa Pandoræ pixis, & omnes diræ, atque infernales furiæ terris immissæ viderentur:

*Impiaque ut æternam trepidarent sæcula noctem.*

Interea Serenissimi Regis justicia summæ juncta clementiæ, tanta fuit, ut nullus se malè affectum, aut verbo, aut facto contra tam injustos inimicos cognoverit, omnem injuriam voluntati Divinæ vindicandam relinquens, & ita prudentia, temperantia cum fortitudine summa, in rebus afflictis emicuit, ut res suas & subditorum suorum per injustum ipsi & suo Regno, à Rege Sueco illatum bellum, dispersas, tandem in unitatem composuerit, & de Civibus & Republica ita meritus, ut in rebus sic ulceratis & perturbatis strenuum semper sese monstraverit, dictis placidis, & promissis fideliter observatis, paulo iniquiores primo sibi devinxerit, temperarit, & ita necessitati obsequens, dum liberandi Regni via sese offerret, moram gessit: in qua & alternis æstubus, & ancipite tempestate, gubernatoris animus, & virtus inclyta sese manifestare percipiuntur: interea Deus exercituum, pro ipso ita bellum gessit, ut ante annum maxima inimicorum suorum pars, aut armis, aut morte inopinata sublata fuerit: interea Exercitus Polonicus Suecum reliquit, & ad suum Regem revertitur, cum quo inimicos aggreditur, quibus fugatis, Regni habenas cum maximo suorum applausu denuo suscepit, sed nec mediocrem ex istis angustiis emergendi opem contribuit Serenissimæ Reginalis Majestatis prudentia, & supra omnem imaginationem ad demerendam Polonorum gratiam proclivitas, & ad sublevandam & liberandam ferro, peste, fame, & igne, divastatam Poloniam activitas, & eo usque, ut supra sexus conditionem, non solum verbo & consilio, & facultatibus suis; sed & actu inertiores milites tempore prœlii animabat, & stimulabat, imo & posthabito omni periculi timore,

more, tormenta die prœlii ad certiorem inimicorum ruinam procurandam ad commodiora loca, transferri curat, quibus etiam flammam admovere non metuebat, dum Sereniſſimus ex altera parte hoſtem invadens, inimicos ad fugam ſæpius redegerat, ſed ſupra omnia, de ipſa, quod de paucis Chriſtianæ Orbis Heroinis dici poſſit, merito prædicari poteſt, quod ſcilicet ſicut illam decora pulchritudine & temperamento corporis fœliciſſimo natura decoraverit, ſic Divinus Plaſtes animam pietate & charitate, religioſa modeſtia, cum effabilitate exemplari ornaverit: nam ſi quis harum rerum æquus perſcrutator velit eſſe, inquirat quot pauperculos infantes, parentibus orbos, in ſterquilinia projectos alat & educat, & ex maribus quum ad maturam ætatem pervenerint, aptiora ingenia literis applicare facit, inertiora ad diſcendas artes cum artificibus collocat, Virgines vero, Religioſis Virginibus ad eum uſum, ut ſcribere, legere, conſuere, & domeſtica negotia peragere diſcant, traduntur, & quando ad ætatem maturam venerint, ſi religioſam eligere vitam velint, Monialibus traduntur, ſi vero Civilem pro ratione mariti offerentis, dos proportionalis ſolvitur, imo quod magis eſt, tempore peſtis Varſavienſis curabat alimenta lintea infectis adminiſtrari, domicilia ſuppeditare, mortuos ſepelire, & tempore quo porci & canes in cadavera mortuorum in plateis ipſis relicta ſæviebant. Hæ ſunt virtutes Heroicæ non tacendæ, ſed literis aureis notandæ, ut omnes, ſed præſertim Reges, Principes & Magnates ejus exemplo diſcant, levem aliquam duntaxat bonorum partem, quæ ſuper aulicas vanitates profusè divaſtant, in operibus charitatis expendere, & iram Dei propter contemptum pauperum, à Subditis, qui ut plurimum propter peccata Regum & Principum plectuntur, divertere: nec quiſquam credat me hæc divulgare, ut favorem mihi in pietate ſimili divulganda acquirerem, quum tanto magis ſciam, quam vili habeantur abblandiatores apud Sereniſſimam Suam Majeſtatem prætio, ſed hæc meo motu & ſolo veritatis nutu innifus expando, quum tam impium eſſe judicem opera iſta charitatis (quæ quam plurimis ædificationi eſſe poſſint) ab aliis benè merentibus practicata celare, quam ſi de me ipſo in ſimili occaſione Phariſaicè glorificari contenderem: nec piiſſimis his operibus defuit merces, nam ab aliquot diebus Deum oculo miſericordiæ afflictam Poloniam reſpicere videmus, & conſilia bona Sereniſſimo REGI inſpiraſſe, quibus ſibi & deſolatæ Suæ Reipublicæ reſpirium aliquod ſuppeditare poſſit, nam omni rerum uſu, rem ſuam ita temperat, ut inter utroſque Tyrannos potentiſſimos, ſpem quippè & metum, mediam ſortem moderari
cen-

censeatur: in quibus rectè sese dirigere, non solum Principis est circumspecti tantum, sed ut supra affectionem omnem penitus constituti, quippè instar Herois Semidei, ut supra elementarem sortem, & Sublunares turbines afflictis rebus & passim turbatis consulat; ipse in tranquillo positus, extra anni solisque vias, neque amore privati boni, neque unius odio, vel alterius, vel vindictæ studio, propter offensam levem in Civitate aut regno, quicquam instituat, quod vel ab æquitatis publicæ, vel clementiæ moderatione recedat. Uno enim inconveniente dato, plurima consequuntur, eademque passim est finis ratio, & eorum quæ ad finem diriguntur, sunt autem & spes & metus tyranni potentissimi, teste Luciano, quibus ferè subjicitur Orbis hic universus. Quibus omnis calamitas primum, omnisque concussæ calamitatis cardo versatur. Nam horum impulsu & in arte Medica imposturæ maximæ, tanquam capitibus continentur, propter hac ipsa dissolvitur unitas omnis in multitudinem, & ab uno rectè instituta Principe, inter inferiores Ordines aliqui ad suum privatum commodum sæpè divellunt, ut horum nomine, cum ad particularia maximè devenitur, id quod in unitate optimum fuit, non æquè bonum fit singulis, nec justum perpetuo videatur: fiunt itaque propter spem & metum rerum omnium infandæ vicissitudines, legum judiciorumque plurimæ corruptelæ, & ex privati quæstus, vel commodi studio, calamitates publicæ, præsertim si vel à capite, vel à præcipuis visceribus morbus incipiat, fitque postremo, ut qui vel Asiæ totius, vel Europæ, vel Africæ victorem olim sint celebrati (testantur vitæ Pompei M. Antonii Scyllæ, Neronis & ejus generis sine nomine turba) afflicti tamen miserrimè diffidiis intercutaneis, & ab hoste domestico obsessi, graviter se ipsos vincere non potuerunt, unde evecti subito, & in fœlicitatis velut fastigio collocati, postquam amplius sui non meminerunt, delapsi turpiter & citius quam conscenderant, vitam deinceps miseram in tenebris luctuque traxerunt: hæc sunt in viris Principibus exercendæ Philautiæ Corollaria, sed memorabilius exemplum in Serenissimi Regis Magni Britanniæ fato apparet, & mirabilius adhuc in Serenissimi Regis Filii sui Caroli II. integra restitutione apparebit, nam sicut tota Europa bello atrocissimo (excepta magna Britannia) detinebatur, eo tempore, quo contra vitam Serenissimi defuncti Patris injustè conspiratum fuit, sic componentur tandem lites omnes, & immanes discordiæ Regum & Principum, & in istos Plebejos serio animadvertetur, ut ne vix in toto mundo locum invenient, in quo pedem figere audeant, & ita restitui Regem tunc quoque posse puto,

 nam

nam in belli confusione distrahebantur Reges & Principes, neque poterant causam justissimam defuncti Regis, ut propriam ulcisci, nec jure communi ipsorum Regum jus defendere, & ita quum totus mundus causam Regiam agi perciperet, & nil minus quam conniventiam capitum coronatorum in simili causâ exspectaret, ecce Hispaniarum Rex Parlamentum Anglicanum primus recognovit, & dum ultro occasioni inserviret, & ut truculentis istis Sicariis magis magisque ablandiretur, ut ultores & vindices etiam Austriacæ essent causæ contra Potentissimum Galliarum Regem adhuc in minoritate constitutum, declarationem impetravit, positaque ex adversa parte tali conditione, ut Serenissimum Carolum II. Magnæ Brittanniæ Regis defuncti Filium, cujus Serenissimi Filii defunctus parens amicitias omnium Regum Vicinorum ablegavit (ut ejus partes contra totum Orbem tueretur) & non solnm pro inimico declarato teneret, sed & totæ Regiæ domui mansurum hostem æternum & communibus armis infestandum turpiter consentiit, & per fas & nefas omnia se facturum contra ejus & omnium Regum jura pollicetur, modo armis communibus Galliam etiam invaderent, & illorum commercium per initia Civilis belli, satis hactenus turbatum impedirent, & bella domestica suscitarent, imo vel turpissima quæque etiam contra Regum jura annuit: nam Metamorphosin Regni Magnæ Brittanniæ in Rempublicam primus agnovit, unde pontem quasi super ejus primùm, deinde Regum omnium colla & Principum; in quem fæx Plebis prophana deinceps incedere deberet, magno omnium coronatorum Capitum dedecore construxit, sed præcipuè summo damno Serenissimi Carol II. legitimi Successoris & Filii parentavit, quamvis ejus Parens martyrisatus fortitudine, tum magnanimitate inaudita, causam Regum contra Rebelles aliquot subditos, in ipsis orsi faucibus ita sustinuerat, ut nullo alio responso ad illorum insolentia interrogata usum fuisse ferrur, quam hoc solo, non respondebo, nisi dicatis prius quis vobis potestatem dedit interrogatis vestris me premere. Ita quum potentissima & inclyta Gallia Civilibus bellis incipientibus tum temporis vexata, tum bello in domum Austriacam, per plures annos protracto interrupta & enervata penè videbatur, cœpit è longinquo intentionem domus Austriacæ in propositionibus quibusdam populo Anglicano proponendis, in detrimentum certissimum, tam Status Gallici, tum Serenissimi Caroli II. percipere, ita ut cogitare cœperit an causæ quam Symptomati utilius esset, in hoc casu occurrere, nam ex duobus malis illud quod minus malum fuerat in hoc

casu eligendum fuisse censuit, quousque ad causæ profligationem redire cum lucro licuerit, nam alioquin in æqualibus viribus, ad causæ profligationem accedere, esset, non solum statum proprium pessundare; sed totam spem Status Serenissimi Regis Magnæ Brittanniæ, qui tunc in ejus auxilii spe stabat, profligare. Tutius igitur & utilius videbatur, utrisque latere, & Symptomati occurrere, quousque causæ rationem habere licuerit: sapienter igitur artibus Hispanicis, artem eandem opposuit sapientissimum consilium Gallicum, Hispanicisque artibus detectis, iisdem proportionibus & conditionibus subscribere non dubitavit, nam ut potenti inimico occasionem destruendi præproperam eriperet, cessit tempori, non autem à causæ Regiæ vindicta secessit, ut uterque quando Deus ipsos firma pace beaverit, in immanes istos Regum & Regnorum trucidatores, non solum illi, sed omnes Reges & Principes totius Orbis, tum Nobiles ipsius Regni Anglicani, arma sua jungent, ut insanos istos in ordinem redigant: qui non solum Regem, sed Monarchiam destruxerunt, typisque publicis commiserunt, se Regem Regiumque jus publico supplicio, ut exemplum aliis fieret affecisse: imo & post mortem, ut ferocem & Plebeam illorum indolem testarentur, omni humanitatis genere deposito, risui Cadaver Regis exposuerunt, in quibus si aliquod veræ & magnanimæ nobilitatis vestigium in rustica ista plebe militari latuisset, victo tanti nominis inimico putatitio, cadaveri saltem pepercissent, & cum leone ferociam deposuissent, ipsis Scythis & ferocibus animalibus contemnendam: Corpora enim magnanimo, ut est apud Ovidium:

*Satis est prostrasse leoni,*
*Pugna suum finem cum jacet hostis habet,*
*At lupus & turpes instant morientibus ursi,*
*Et quæcunque minor nobilitate fera est.*

Non igitur leonis iræ, sed ipse leo, turpi istorum animalium furori in prædam datus est, & quamvis bruta animalia aliquem pro Rege observant, illi tamen respuunt. Apes nonne pro Rege castella muniunt: pro Rege excubias agunt, & pulchram petunt per vulnera mortem: sunt rursus in singulis supremi, medii, & infimi ordinis, sed horum omnium unus quidem consensus, una virtus & pulchritudo ad salutem Regni totius Regisque gloriam prospicientes, quo sanè spectare videtur istud Propheticum pro Galliarum Nobilium erga Reges suos, fortitudine, audacia, & affectu, plusqam Heroico, Georgicorum quarto forsan auguratum, nam sicut Apes

Regem, Ducem habent, sic Nobiles Galliæ Regem, Ducem habent cui bello adstant, & cum summa veneratione contemplantur, & inter se quis primum insultum sustinere pro Rege contra hostem debet, contendunt: & ego vidi filios magnatum alios aliis successisse ad decem numero, & vitam pro gloria Regis expendisse, pro quo mori gloriosum æstimant: enimvero

*Ille operum custos, illum admirantur & omnes*
*Circumstant fremitu denso, stipantque frequentes,*
*Et sæpè attollunt humeris, & corpora bello*
*Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.*

Nec mirum quod inclita Galliæ Nobilitas palmam aliis Regionibus pro amore & respectu erga Reges eripiant, est enim inter ipsos purus Ordo Nobilium, neque unquam admittuntur Plebei ad gradum aliquem nobilitatis, nisi per infinitos annos & gradus fideles Regi & Regno sese præstiterint Nam alioquin ignobiles proprium illorum commodum honori Regis & Regni proferunt, de quibus rectè dici potest, illud quod de Sole & umbra adfert Ovidius:

*Utque Comes radius per Solis euntibus umbra est,*
*Cum latet hic pressus nubibus, illa fugit.*
*Mobilè sic sequitur fortunæ limina vulgus,*
*Quæ simul inducta nube teguntur abit.*

Nec malè cum Sole comparari potest Rex, cujus Regimen Deus supra omnia Regimina affectat, præstantissimum enim in singulis unum tantum existit, sed in Regio regimine est maximum secretum, Subditos suos plebejos potestate Nobilium assiduè subordinari, nam hoc ablato vinculo, insolescunt, & divitias acquirunt, non tam ut fœliciter vivant, quam ut gradum Nobilitatis acquirant, quo Regibus adstare primo, deinde & obstari etiam pro innata ferocitate queant: & utinam severius tempestiviusque animadversum in Magna Brittannia de similibus fuisset, talis confusio & libertas certo certius non fuisset subsecuta, unicuique plebejo & artifici pro libitu suo, titulo & emolumento Nobilitatis abuti, & cum ungula leonis, ut dicitur, ludere, sed unusquisque, ut ait Divus Paulus, superioribus potestatibus usque ad supremum Regem subjici debet, ignobile enim vulgus suum commodum sequitur, nam

*Dum juvat & vultu ridet fortuna sereno,*
*Indelibatas cuncta sequuntur opes.*

At

*At simul intonuit, fugiunt, nec noscitur ulli,*
*Agminibus comitum qui modo cinctus erat.*

Quæ omnia tam manifestè in fato Serenissimi Regis Magnæ Britanniæ apparuerunt, ut verè dici possit, multiplicitatem Nobilium spuriorum, quæ in competenti & limitato numero coerceri debebant, Serenissimi Regis jugulum petiisse, nil enim fuit magis commune quam mercatores & viles artifices, qui uno anno in deferendis mercibus, à foro in forum in Polonia occupati fuere, anno sequenti in patriam reversi, evectos eos in equites auratos videre summo omnium verorum Nobilium dedecore, & tales homines fuerunt, qui corrosas pecunias militibus insolentibus & Subditis rebellibus suppeditarunt, ut manus in Sacram Regiam Majestatem & Dominum illorum injicerent. In hoc casu contempletur totus Orbis terribilem Catastrophen, in optimum omnium hominum, ne dicam Regum, excussam, eamque non propter sua demerita, sed causas à me memoratas, tum propter ratam & à longo tempore per traducem prædestinatam sententiam, Regalem potestatem destruendi, & in illorum manus transplantandi: & idcirco dissimularunt aliquot sæculis intentionem, quousque bellua vicinorum regnorum conflagratio, suppetiarum omnium afferendarum spem & occasionem degeneraret, immo tam ipsis in isto scelere fortunatus fuerat exitus, ut Reges non sibi inimicos, sed è contra applaudientes, & eo usque conniventes invenerunt, ut Rex Hispaniarum illorum minas timens, per approbationem novi Regiminis in Regis vicini, & dum vixerat sibi amicissimi, & fratris cognati, non tantum actioni contra vitam Regis factæ, sed formæ & sequelæ formidabili subscripserit exemplo ipsius casus futuri, nisi in hoc prodigiosum hominum genus, post litium illorum compositionem animadvertatur: alioqui quando Subditi contra Reges rebellant, eodem jure approbabunt, Subditos potestatem habere ipsos accusandi, condemnandi, injuste Capite plectendi, sed etiam & jus regnandi Regibus & Hæredibus auferendi, imo jus Regium in Plebejos sub nomine Protectoris conferendi, & hæc omnia recte concludunt, si verum sit illud juris axioma, quod quantum quis juris statuit, aut approbat in alium, hoc in seipsum statuisse videatur: consentiit igitur Hispanus & approbavit Plebejorum hoc facinus, & meritò igitur talionis lege frui Hispano licebit: interea pactus isti mutui Parlamenti recognitiones, & emolumenta immensa, prætio totius Status Gallici, imo & ipsius Serenissimi Regis defuncti Hæredum empta: consilium potentissimi Regis Galliæ, qui tunc in minoritate con-

constitutus fuerat subscribere suasit, ut certæ Regni Galliæ, tum Serenissimi Regis Hæredis Angliæ ruinæ consuleret, proinde Symptomati huic occurrit, & ut Conditiones Plebeis istis ab Hispano allatas, inutiles redderet, sapienter tempori cessit, eademque in suum & Serenissimi Regis Caroli II. commodum tandem proventuras arripuit: sed hæc ego prolixius adfero, tum ut humanæ vitæ speculum in historiis, tum & Regum & Principum Conditionem incertam, instabilem & vacillantẽ, menti & oculis objiciam: in qua sola alias, si quis ad hunc usque diem inconcussam crediderit, illico, ut jam sunt tempora, multum falli, & à vero dilabi, utiq; judicabitur, quam enim si quis Regum & Principum hodiernum statum, & admirandam vicissitudinem ex illorum incuria, conniventia, silentio & tolerantia, nuperrimè prognatum, mente & oculis contemplare velit, ad recenter martyrisati Regis Magnæ Britaniæ tragædiam non solum sese conferat, sed ea præcipuè, quæ in ejus casu deinceps contigerant, meditetur; ubique Monarchici Status fundamenta prorsus dirui, & annihilari fatebitur. Ipsa enim capita coronata, quæ Deo solo & gladio, supremum regnandi jus sibi & Successoribus jure merito attribuebant, fanaticæ ut nunc Plebi inaudito exemplo appropriatum est, & deinde à jure hoc à Deo ipsis dato, turpiter & contra totius Orbis spem descivisse videbit, & hoc jus Regium à fæce Plebis imposterum non solum dependere, sed jus etiam in judicium vocandi innocentissimum Regem aut Principem condemnandi, infœlici hoc tolerantiæ exemplo modernorum Principum confirmari fatebitur, nisi promptè Deus, qui corda Regum & Principum regit, differentias illorum colligat, insolentias Subditorũ reprimat, qui per causas Nobis incognitas nefandi memor, & compensandæ virtutis & castigandorum scelerum, vel mille occasiones reperiet, ut sanè hac ratione, vel pessimi Dæmones bonorum sortiantur in universo locum, sitque homo vel homini Deus, vel lupus: verum ita comparatũ est hodie, ut omnes alterius vitia facilè judicemus, spectantes manticam, quæ in tergo alterius est, dum in nosmetipsos autem descendere minimè cogitemus. Fitque adeo ut nemo malorum sese Authorem existimet, unde nec sibi remedia quærant, nec adhibere salubria patiantur, quin cum in peccatis propriis sibi conniverant omnes, sibique ex affectu miserè blandiantur, causas Plebs in Principem rejicit, at in Plebem Princeps, vel Magistratus, hinc ultrò citroque jactis conviciis fit, uti dum mali causam inquirant, singuli ejusdem remedia vel nunquam, vel serius assequantur; postquam ex mora, scilicet pars ita non computruit, ut totum & universum una secum in præceps exitium trahat.

*Nam*

*Nam non ulla magis præsens fortuna laborum est,*
*Quam si quis ferro potuit rescindere summum*
*Vlceris os, alitur vitium, vivitque tegendo,*
*Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor*
*Abnegat & meliora Deos sedet omnia poscens.*

Ut rectè Poeta Maro, tunc enim ubi ad extrema perventum est, tunc sola vexatio (ut verbis sapientis utar) dat intellectum, tunc vel sero sapiunt Phryges: mihi tamen ea, tum per naturam, tum rationem infixa opinio est, etsi ipsum vulgus, ut in facie nævos, sic vitia magis declamet in Rege vel Principe, viro etiam optimè de Republica merito, & si à capite majorem piscis putredinem, velut usitato proverbio jactat, debere tamen nos omnes subditos, Principibus etiam absque causarum indagine graviter auscultare, interdum & justa simul, atque injusta imperia perpeti, præsertim, si ante gestorum ratio, virtutisque præteritæ gloria mentem in illis præclaram, ingenium pronum atque benevolum erga Rempublicam demonstrarunt. Nam quod ad causarum inventionem attinet, illarum cognitio quidem in rebus politicis est utilissima, sed longe tamen utilior medendi ratio, per causas inventas & exploratas: verum ipsa earum definitio confusa, in omnibus & intricata, usque adeo semper occurrit, ut iidem eventus nunc sibi mutuo causæ, nunc causæ unius effectus, nunc orta à causis pluribus vel quandoque contrariis videantur. In rebus tam dubiis quid remedii? nimirum ut quisque in se descendens, se ipsum nosse contendat, rationem Deo commendet, atque Principibus Viris ad illam confugiens Metaphysicam causam, quod Regis cor in manu altissimi, perpetuò velut commune principium pro rerum particularium necessitudine, susque deque versetur, undè, cum Platone teste Deum quendam in terris repræsentet, illud quoque perpetuo cogitemus, si bona susceperimus è manu Domini, mala cur non sustineamus? Etenim ut dictum est, semel a bono summo nil nisi bonū proficisci potest & si ex materiei spontanea corruptela, ut mala hæc eadem sibi quisque persuadeat temerè, ipsamq; divorum providentiam culpans, nō intelligat etiam iniqua judicia juxta particulares hominum potestates, occulto Dei & multo communiore judicio, ad æquabilitatem revocari; itaque simili fretus confidentia non dubito quin sicut

*Multa dies variusque labor mutabilis ævi*
*Retulit in melius.*
*Sic multos alterna revisens*
*Lusit & in solido rursus fortuna locavit.*

Sed quid hæreo? decreta Dei sunt imperscrutabilia,& ob causas nobis abditas inaccessa, nisi quando voluerit per viros Prophetiæ dono aliquando præditos, per somnia & revelationes aliquando clarè & dilucidé obscurius etiam aliquando detegere: ita fuit mors Serenissimi Regis magnæ Brittanniæ ante ejus nativitatis diem à Gallo quodam Nostro Damo dicto typis promulgata, quamvis nullus unquam suspicatus fuisset, ullos tales subditos tunc extitisse tam fæliciter & suaviter libertate, vah nimia forsan, gaudentes, qui Domino & Regi suo tam truculentas manus injicere voluerant, & sicut à posteriori solum, persona Serenissimi ab effectu detecta fuerat, non dubitatur illum Deo ita permittente, & nomen & tempus designare potuisse si voluisset: multæ tales Prophetiæ ex omnibus nationibus extiterunt, neque ex ipso mandato divino contemnendæ, & talis fuerat prædictio ab Agapo erga Sanctũ Paulum, quamvis minus ænigmaticè revelata, & sicut nulla est natio quæ suas prædictiones tam faustas quam infaustas non habeat, ita & ego Puer adhuc existens inter Socios, fatum Sex Regum Angliæ, Chartæ gerulo meo recreationis gratia inscribebam, quamvis de sensu quis esset, aut quid futurum esset parum tunc curaverim, ineunte autem æstate didici, Henricum octavum Angliæ Regem, de exitu ejus hæredum curiositate multa fuisse perfusum, & propterea legato suo (qui tunc apud Aulam Romanam commorabatur, necessitatem inquirendi, de homine quodam Ecclesiastico Romano imposuisse, qui donum Prophetiæ habuisse tenebatur, ut de ejus stirpe quid futurum esset prædiceret: quum igitur inter ipsos ita conventum esset, ut in suburbiis Romanis in Palatio quodam, à cætu hominum vacuo, soli foribus clausis convenirent, & ut ibi ita sese gereret legatus ne strepitum ullum faceret, neque quid spectaret pœna vitæ commussitaret, sed dato calamo conscriberet, itaque conclusis ostiis, tam anteriori quam anticameræ, pulsasse Prophetam ter pede dicebatur, quo audito apertæ videbantur anticameræ fores, ex qua, Regem Henricum Octavum Dominum suum veste Alcea indutum, coronam capite gerentem, & in Camera tot vices in ambulantem conspexit, quot annos regnaturum fuisse judicabatur à Propheta, inde vero unde venerat, rediens impetu, occlusæ fores conspiciebantur: tunc pulsante ter ut prius pede, Eduartus puer coronatus apertis foribus successit, & toties in camera inambulans quot annos regnare judicabatur, tunc illico ut pater regressus, & ut brevibus reliquorum fata constringam, Eduardum sequuta est Maria, sub Alectæ nomine, sed sparsis comis, quasi anguibus coronata: eam sequuta est Virgo Elisabetha, quæ comis ornatis coronam gerans & placide per plures vices inambulabat, eam sequu-

sequutus est Jacobus Scotiæ Rex coronatus, dictus Vulpes, is pallio super ore diducto cogitabundus, huc atque illuc quasi insidias timens introspiciens, tandem in faciem legati oculos convertit, ubi non multum aberat, quin timore perculsus exclamasset; sed à Propheta monitus abstinuit. Jacobum sequutus est Carolus Marterisatus, etiam coronatus, & Leo dictus, qui etiam placide diu inambulans, tandem quasi ira consitus cum summa jactatione egrediendo coronam è capite decidere passus est, unde fracta corona in duas partes, unam partem in cubiculo reliquit, alteram vero è camera egrediens secum tulit, & relictam alteram partem filio repetendam concredidit, & quamvis crederem personas istis diversis actibus repræsentatas non fuisse Phantasticos, sed veros homines, à Propheta isto ad istam actionem aut scenam repræsentandam data opera forsam designatos; tamen quis credere desinet, Prophetam istum non fortuito, nec forsan artibus Diabolicis instructum, sed Prophetam istum Dei instinctu aut dono Prophetiæ, aut per veram Astrologiam hæc præscivisse, fuerat enim vir eruditus ille, & opera ejus astrologica testantur satis, se non habuisse opus ut prædictiones istas a Diabolo patre mendaciorum emendicaret, quum Deus per licitas vias hominibus patefacere plurima futura poterit, & illius Prophetæ nomen fuerat Lucius Gauricus, vir satis per sua celebris opera Astrologica notus, & Regis Hendrici nimis forsan curiosi legato retulisse, & sub personis realium hominum quasi super theatro representasse: talibus itaque peractis jussit legatum scribere quæ ita dictitavit.

*Rex, Puer, Alecto, Virgo, Vulpes, Leo, nullus.*

Rex Henricus, Puer Eduardus, Alecto Maria, Virgo Elisabetha, Vulpes Jacobus, Caroli hodierni pater, Leo ipse Carolus, qui jure justo sed interpellato Regnum Angliæ filio reliquit, sed Regnum Scotiæ consentientibus totius Regni proceribus habet & retinebit Serenissimus Carolus secundus, cujus fata dum revolvo, non possum quin natali meo solo adgemam, non solum propter avitam Scotorum per tantam Regum seriem probatam fidem, sed ut nunc propter famam olim sartam tectam, & à parentibus in posteros absque labe diffusam, nunc autem maleferiatorum, & alienorum bonorum, sub velo pietatis Pharisaicæ, & Hypocriticæ religionis paucorum hominum, alienorum bonorum eripiendorum occasioni inhiantium, dilaceratam: itaque de talibus verè dici potest, prophetiam fuisse completam, quæ olim à veteribus Prophetis augurabatur

*Scotia mæsta geme, propria jam perdita prole,*
*Regibus orba tuis, fraude subacta luis.*

Nec absque dolore possum dicere, Serenissimi Regis læthale exitium, excusationem, nec pallationem ullam admittere non posse, nam dum ab inimicis, sicut turtur ab accipitre fugiens, in sinu suorum aliquot Scotorum refugium sperans, latitaret, ecce nescio quo fato, aut potius qua Dei ira factum fuerat, ut paucula ista Scotorum militum, tunc rebellium, totius nationis nomen apud exteros induere debebat, cum perfida illorum actio, quamvis nulli probo Scoto approbata, tamen toti genti hucusque immerito tributa fuerat: imo scio satis, si priscis Scotis in tristem istam scenam redire licitum esset, oculos istis maleferiatis hominibus, ob istam labem genti inclytæ & fideli illatam, certo certius effoderent Scoticum nomen, quod prius apud exteros honorificum, propter fortitudinem, fidem & audaciam celebre fuit, nunc contemptibile evasit, propter paucorum avaritiam, qui forsan apud exteros nutriti, sceleratas istas consuetudines didicerunt, aut indignè ab illis per traducem acceperunt: utinam stipendia ista ab Anglis accepta fuissent ex argento fervido in cerebris illorum diffusa, tunc Patriotæ illorum inter peregrinos degentes, & qui nihil præterquam bonæ famæ participationem è patria detulerunt, sarcinam istam ab illorum sceleratis actionibus impositam non portarent, nam vilia & servilia ista pecora, multum à parentum splendore degenerata, tum turpi avaritiæ ut alienarum (quamvis veterum inimicorum) passionibus subministrarunt, totam gentem in delebili nævo & æterno subjectionis titulo defædarunt: talisne est fructus fœderis tam solenniter è juramento uniti? ut Regis vitam & honorem gloriosè protegerent, quam ut nunc eo pessundarunt, ut preces publicas pro ejus sicario jam effundant: ubi nunc fides pristina? ubi religio? ubi pietas? Rogaret curiosus aliquis, qui fuerant horum tumultuum proximi Authores? responderetur, notum esse à Plebe originem duxisse, qui per suscitationem tumultuosorum aliquot hominum vim Episcopis in ipsa Cathedra veritatis inferre voluerant: misera ista scintilla, quot flammas excitaverit inexstinguibiles toto mundo spectante testatur eventus. Rogaret aliquis denuo, qui fuerant istorum tumultuosorum hominum instigatores? non audeo præ pudore dicere, ministros aliquot fuisse ambitiosos & temerarios, non dico omnes sed aliquot, fuerant multi enim inter illos probi, pij & exemplaris vitæ homines, qui actiones istas nec fædus inter ipsos suſce-

ſceptum nunquam approbarunt, nec admiſerunt, imo paſſi ſunt potius à Cathedra prohiberi, quam contra conſcientiam, rem tam pernicioſam & periculi plenam aggredi: alij etiam fuerant inter illos, qui fædus etiam illud deteſtabantur, ſed qui forſan prius præpoſtero quodam zelo correpti Religionem Catholicam Chriſtianam (religionem intelligo reformatam) tutius & melius per Presbyterorum diſciplinam potuiſſe exerceri, quam per Epiſcopalem credebant, ſed nunc fatales caſus, nempè totius Monarchici ſtatus, Regiſque & regni ſubverſionem inde ſubortos dolent & lugent, alij etiam ambitioſi & temerarij nimis, qui dum abuſus Epiſcoporum in Sereniſſimum Regem continuis prædicationibus excudebant (non quod tam anxij pro Dei gloria promovenda fuerant, quam ut ſub iſta larvata facie, invidiæ, ſuperbiæ, & vindictæ, contra Sereniſſimum Regem & Dominum, quia fratres ſuos ſupra illorum erexerat ſatisfacerent) imo meis temporibus nil frequentius erat, quam tales homines in Cathedra audire contra Sereniſſimum Regem debachantes (& plebem ad innovationes & rebelliones ſatis pronam) propter creationem Epiſcoporum incitantes, & eo uſque ut tacito odio mentes audientium ſenſim nutrirent contra Sereniſſimum Regem, quaſi nil in animo magis fuerat, quam tacitè Eccleſiam Romanam in Regnum introducere: ſed nullus inter ſeveriores iſtos ipſos repertus eſt, qui oblatum Epiſcopatum illico non amplexus fuerit, & qui pallenodiam publicam non cecinerit: ſed dicent fortè, ſe talem eventum ſucceſſurum non ita credidiſſe: at ſapientis non eſt dicere, ſe non ita credidiſſe, neque miniſtrorum munus eſt ſæcularibus rebus ſe miſcere, neque publicè contra Reges in Cathedra invehere, ſed privatim monere, ne ſacras iſtas perſonas vilipendio plebis objiciantur: fruuntur ne tales nunc debitis fructibus fæderis? videntne, quam probe vitam Regis & Orthodoxam Religionem tuiti ſunt? nullumque illius fæderis articulum præterquam hoc ab illis confæderatis unum obſervatum fuiſſe, excepto nempè quo ſe proſequuturos uſque ad mortem teſtabantur omnes qui illorum fæderi, dicto, vel facto vel minimum obſtrepere viderentur: igitur jurare ſuper ſacra biblia, & plebem ſuper hoc juramento cogere, ſe ſe fædus illud ſanctum obſervaturos, illique ſubſcribere & tamen non obſervare, eſt ne hoc perjurium approbare, & toto cœlo aſpiciente in plebem innocentem pravam iſtam conſuetudinem aut potius inſciam introducere? eſt ne lupum rapacem in ovile Domini tacitè introducere? hanc ne habuit Cataſtrophen deſtructio diſciplinæ Epiſcopalis? certè nuſquam hoc de miniſtris ſperatum fuerat, imo ab ipſis qui Epiſco-

ſcopali gubernationi nimis adhærebant, nam inde evenit, ut in paucorum Epiſcoporum locum, qui forſan (ſi rebus civilibus & temporalibus abſtinuiſſent, & innovationibus in omni ſtatu Religionis jam dudum ſtabilitæ, metuendis, temperatiores fuiſſent) duplici debitoque honore forſan digni extitiſſent, quam in illorum paucorum defectum mille diverſos ſectarios ſtabilire; præſtabat illorum ſuperbiam & pompam mundanam, quæ à nimia bonorum affluentia regurgitabat, clamoribus in Deum, & crebris ſupplicationibus ad Sereniſſimum Regem & Dominum, per immenſorum proventuum, & ſtipendiorum diminutionem coercere, & non Hierarchiæ ſimul & Monarchiæ eodem momento cœcutienti tali zelo eradicationem promovere: denique conſultius fuiſſet oculum lippum relinquere quam eradicare, ſed quod miniſtris aliquot & plebi objici poteſt, non excuſat altioris ſortis homines, quis enim credet tales fuiſſe in mundo, qui propter metum non ſolvendorum ſtipendiorum, tam flebilem effectum producere potuiſſent, tamen fuiſſe illam veram cauſam traditio Sereniſſimi Regis in manus Angelorum toti mundo apparuit, & mors multorum illuſtrium familiarum, & Sereniſſimo Regi pro vita & fortuna addictarum confirmavit, & ſupremos exercitus illius Mercatores, non gregarios milites (qui crines è capite ſuper Regis traditionem eradicabant) propalavit: & introductio trucidatoris Sereniſſimi Regis in Scotiam, & ejus introitus & connivatio in arcem, & præcipuam urbem Scotię, & ſtricta amicitia innita cum ipſo, nonne ſatis teſtantur, è cujus officina iſta merces maledicta eventilata fuit? quis fuerat Illuſtriſſimi Marchionis Huntlei ex puriſſimo ſanguine Regis nati cædis cauſa, nonne turpiſſima avaritia, & bonorum ſuorum turpis appropriatio, & hæredum defraudatio, & timor, ne vel minimus qui ſceleratarum iſtarum actionum ultor ſuſpicaretur reſtaret, qui jugulum ejus peteret? Sed à riſu vix abſtinere poſſum audiendo tales inter ipſos fuiſſe, qui dum tam devotè pro ſingulis hauſtibus, quos in conviviis cum geniculatione in ſanitatem Sereniſſimi Regis celebrabant, eo ipſo tempore crines Sereniſſimi Regis tenebant, (hoc eſt cauſam quam illi bonam vocabant promovebant) dum ſicarij iſti caput Sereniſſimi Regis & Domini amputabant: utinam aliquot ex gente mea iſtius ſceleris non fuiſſent rei, quorum aliqui magis ſtulta credulitate, quam malitia affecti in laqueos malitioſorum inciderunt, altera vero pars, quam vicinorum bonorum ſtatus, & vaſtiſſimarum hæreditatum in confuſione legum periclitantium, occaſio & aviditas arripiendi invitabat, & omnia hæc præcibus & jejuniis fuerunt condita, & ſub velo fæderis, ſed

bonæ

bonæ causæ abscondita, ita non secus de aliquibus, qui facem ignavioribus præbebant objici debet, quam quod de Neronis matre dictum fuerat ab Astrologo, possessionem imperij pro filio suo augurante, se enim in imperium successurum ait, sed morte violenta periturum, cui respondere fertur, *pereat modo imperet*, ita pars hæc, aut potius illorum caput, dum more remigantium ad bona Marchionis Huntlei jam senio confecti, & ad pauperculorum Orphelinorum sibi proximè junctorum, & tutelæ suæ submissorum, tergum verteret; faciem ad Regis excidium sub umbra sancti fæderis converrit, dicendo, pereat tota Scotia, & pereat fædus modo amplissimis hæreditatibus Huntleorum imperem: & quamvis isti pauci, ut verum de ipsis dicam, multo minus alij ex Scotorum ordine Regis morti nunquam subscripserunt, tamen doleo ipsos ab acumine veterum Scotorum tam turpiter desciviffe, ut se tam stolidè ab adversa parte, quæ ipsis semper suspecta fuisse debuit, illud passi sint. Similiter miror inter innumeros quos beneficentiis, honoribus & divitiis ditaverat, tam Serenissimus Parens quam ipse Rex, nullum comparuisse qui vel aperto vel occulto marte sicarium istum aggredi voluerit: ita ne mundus turpi timore præoccupatur, ut à veteri generositate tantum declinare proposuerit, ut inultum tale facinus relinquere præ ignavat imiditate velit? hoc certe periculosum est aliis Regibus succedentibus præludium, & simul monitio, ut quibus bene faciant sciant, & prius an digni sint, nec ne experientur, nec malè Sycophantę illi aulici pediculis comparantur, qui dum vivit homo pelli proximè adhærent, & ex ejus sanguine vivunt, mortuos vero illico reliquunt: in hoc casu etiam non possum satis mirari mutationem in dolorem plurimarum nationum, quæ ab avita generositate tantum discesserunt, nam ante 45 annos, quo spatio ego ex natali meo solo in diversis Regionibus dilituerim, tam fuerat Gordonorum nomen numerosũm, ut ultra nobiles qui jure natalitio ex Huntlei nobilissima & vetustissima familia descenderunt, nulla propemodum Plebeiorum domus erat, in qua aut Dominus aut aliquis servus cognomine Gordono, qui quidem non ex sanguinis proximitate, sed adscitio, ut mos gentis est, hoc est factionis subdititii aut servituratus jure fruebatur, tanto Zelo Huntleorum familiam prosequebantur, ut eo tempore, quo contra Forbesiorum familiam veterem etiam & numerosam, capitales inimicitias multorum annorum protractas fovebant, ita fuerant Gordoni Duci familiæ addicti, ut si in publicis viis viator se Forbesium, Gordono præsente nominaret, aut Gordonum præsente Forbesio, quamvis sibi invicem ignotis, illico propter respectum Ducum suorum,

rum, ad manus pro vita ventum fuerat, tantus erat ardor & conservandæ tuendæque familiæ ambitio, jam autem incarcerato & ad mortem condemnato, & Capite in causa Regia plexo, pro Domino suo nullus inventus est Gordonns, qui vitæ aut fortunæ illius, qui contra eum insidiatus est, quamvis veterem sui & familiæ Gordonorum inimicum, ultorem præbere voluerat, imo & tanta est rerum inibi perversio, ut Plebei, si quæ Nobilium actionum vestigia ineunda appareant, quæ successione aut ex traduce non habeant, illa generosis actionibus & honorificis adimplere satagunt, nobiles vero è contra quamvis successione vana nobilitatis glorientur, actiones tamen ignobilium & ignavium animorum, ut plurimum jam prosequuntur: tanta insana hujus sæculi docti dementia & alienorum bonorum rapiendi aviditas, ut impossibile sit, quin tandem in Mercenariam vilitatem brevè degeneret, nec dubitatur Huntlei mortem insignem parti Regiæ attulisse cladem, cum numerosam & potentissimam haberet familiam, nam ultra provincias integras quas possidebat ab Oceano Occidentali ad Orientalem protractas, decem millia hominum colligere potuit ex suis subditis in Regis auxilium, ultra plus quam viginti veteres Barones & duos Comites, videlicet Southerlandiæ Comitem, tum Comitem Kemnorum, qui ex stirpe Gordoniorum descenderunt, & cognomine fruuntur, & Huntleum pro Capite agnoscunt: beata fuisset Scotia, si isto & insidiatore ejus monstro nascente canes ipsi viscera delacerassent, tunc ipse Serenissimus, tum Huntleus ambo superstites essent: sed ut ad prophetias redeam, licebit etiam mihi palam quid credam non prophetico sed veridico ore quasi viderem proferre, dicendo, Serenissimum Carolum Secundum, ejusque lineales successores in Serenissimi Patris Martyrisati solium, & cum summa potentia, laude & authoritate super paternos inimicos triumphaturum, neque hæc dico ex simplici conjectura, nam *nec avis præpes mihi penna, nec extas, Sed ratio augurium judiciumque docet*, neque mihi deficient priscorum Scotorum Prophetarum suffragia, quarum maxima jam pars veritatem in propatulo parentavit. Addam igitur Rythmos aliquot vetustate & authentica veritate magis, quam ornatu claros, qui Serenissimi defuncti Regis fata ita depingunt, ac si aliquis digito demonstraret: & certum est, istos Rythmos fuisse ante centum quinquaginta annos typis commissos, qui non solùm de fato Serenissimi Regis defuncti fidem faciunt, sed hæredibus suis & super antiquo suo Regno redintegratam potestatem pollicentur, & autumant. Sunt 48 numero, sed 32 duntaxat in medium adferam, qui Serenissimi Regis præ-
sentis

sentis restitutionem spectare videntur, ne pro gente mea panagyricum potius quam verum augurium designare videar: reliqua versus in libro prophetarum Scoticorum invenientur.

## Priscorum Scotorum Prophetici Rythmi.

*Scotica mæsta dole, propria jam perdita prole,*
*Regibus orba tuis, fraude subacta luis.*
*Proh dolor! ancilla sit libera, fraus perit illa,*
*Ignaræ sobolis gens perit ecce dolis.*
*Magnifici Regis funus, dolor omnibus unus.*
*Subdita non legi, dat male Regna Regi.*
*O gravis anxietas, sexus dolet omnis & ætas,*
*Quem fera mors rapuit, natio Scota luit.*
*Pridem terra ferax, gens Martia, natio verax,*
*Perdiderat gratum quem tenuere statum,*
*Duro conflictu, fortunæ mobilis ictu,*
*Sunt in deterius versa beata prius.*
*Sub juga venisti, quæ victrix ante fuisti,*
*Advena sceptra gerit, quæ velit, ense terit.*
*Hunc cecinere statum, *veterum præsagia Vatum,*
*Singula vovere, quæ cecinere ferè.*
*Sed ne desperes, quæ tantis luctibus hæres.*
*Non est perpetua plaga futura tua,*
*Credo licet sera, veterum præsagia vera.*
*In bonitate Dei, sit tibi cura spei.*
*Nam quæ tot pateris, quæ jam captiva videris,*
*Tandem solveris, imperialis eris.*
*Desuper eveniet tibi virtus Scotia, fiet*
*Vltima prosperior, quam tua vita prior.*
*Promittunt veteres, quod erit tibi bellicus hæres,*
*Qui sua jura novans regna juvabit ovans.*
*Stragibus immensis sudabit Scoticus ensis,*
*Rex perdet cunctos ultor ubique reos.*
*Irruet Angligena per eum gens non sine pœna,*
*Ense, situ, fletu, peste, tremore, metu,*

*Hostibus afflictis, stratis per prælia victis,*
*Scotia tuque tui placida pace frui.*

## De ulteriori Methodo applicandi Doctrinam Severini Dani Aitiologisticam Praxi Galenicæ.

QUum optima illa habeatur à Galeno curandi ratio, quæ fit à cognitione causæ, quid fuerat causæ, & quotuplex, quid fuerat effectus, vel in animo aut reliquis elementis radicalibus, quantumvè causæ nomen à principii vel elementi ratione dissidcat, satis profusè in Prolegomenibus actum fuerat, tamen quum Methodus erit instituenda, qua ad propriores causas accedere possimus, utilè duxi hoc in loco de causis primo Physicè, hoc est radicaliter disserere, antequam ad Medicas illorum propagines accedam, ut facilius methodum endeicticam, aut Aitiologicam constituam, per quam unusquisque causam morbificam rectè rimari possit, & inde morbum tollere.

## De causis Physicis quæ dicenda sunt, & quid causa, & quotuplex.

CAusa est ad cujus esse consequitur aliud. Item ex qua, per quam, à qua, vel propter quam aliquid fit, quæ definitio ejusdem species omnes, paucissimis in se còmprehendit, nam in materiem causa dividitur & formam, velut proximas atque internas maximè, quibus Peripatetici idcirco principii nomen assignant, deinde in exteriores alias, finem efficientem, quibus quintam speciem addidit Plato, causam exemplarem scilicet, quæ sanè & formæ prioris nomine comprehensa est, & eorum numerum in septem ordines elementorum radicalium deduximus. Quod si autem generibus singulis suas particulatim species voles educere, jam infinita ferme causarum series pullulascit, pro dividentis animi scilicet vel componentis varia ratione.

## Causa efficiens.

CAusa efficiens est, à qua primum fit motus, ut aliquid fiat, vel ut plurimum cujusque status aut mutationis auspicium. Logici hanc insufficientem & necessa-

cessariam subdividere consueverunt in primariam & secundiariam, seu coadjuvantem, in producentem, corrumpentem, & conservantem, præter partitiones alias communes cæteris causis, de quibus paulo post referetur: hujus velut axiomata prima sunt istius modi: posita causa efficiente quæ satisfaciat, ponitur & ejusdem effectus, ablata necessario tollitur: posito effectu ponitur & causa necessaria: sublato effectu aufertur & causa:

## *Causa Materies.*

MAteries est, ex qua aliquid fit, hanc in permanentem dividunt, & non permanentem, est enim permanens, ex qua aliquid eo fit pacto ut insit non permanens, quæ non manet in re affecta. Physici materiem, in primam & secundam dirimunt; in naturalem, & artificialem, in eam quoque ex qua aliquid fit, & circa quam artifex versatur: alteram cujus nomine, & morbi & accidentia cætera suam materiem habent, per catachresim quandam, etsi in consultationibus medicis ipsis accidentibus etiam vel morbis, materièm duplicem assignemus, ut illa sit, ex qua materies quæcunque substantiæ similaris illi ceu fomitem subministrat, materies circa quam magis particula continens vel locus affectus, quo prior materies illa seu morbi fomes & circumscriptus, argumentorumque hinc desumi possint. Principia ejusmodi hauriuntur. *Submota causa materiali permanente, submovetur effectus: positoque effectu causæ, materialis fluxæ, & instabilis, necesse est materiem extitisse.*

## *Causa formalis.*

CAusa formalis est, per quam aliquid fit, vel vel dat esse rei, cui inest: est species exemplar, & ratio, ut quid sit, hæc cum materie ingressa, compositum naturale ab ipso composito minime differt. Divisa est forma Analogicè in essentialem, sive intrinsecam, & non essentialem alteram, quæ subdividitur rursus in proprietatem ex essentia profluentem, & accidentariam: Accidentales iterum, vel sub unius qualitatis, sive syndromes accidentariæ nomine, velut umbram singularis essentiæ repræsentat, vel divisæ, ut mera sunt accidentia, habitus scilicet, dispositiones, potentiæ naturales, & impotentiæ, passibiles qualitates, situs atque figuræ, sub quibus artificialis forma continetur: sunt & formarum aliæ communes maximè, tanquam ideæ priores, vel exemplaria divisiva generum, constitutiva specierum subalternarum, sunt & spe-

ciebus infimis, proxumæ in minus patentem ambitum exporrectæ, causa formalis ea sunt axiomata, *ut passim effectus cum suo principio convertatur, utque se mutuo posita ponant, sublata è medio tollant, utque à causa formali rerum virtutes metiamur, tantumque his tribui natura vel actione possit, quantum earum forma permittit.*

## *Causa finalis.*

Causa finalis est propter quam, vel cujus gratia quippiam fit, vel ad quam, veluti scopum, res unaquæque dirigitur: sunt hujus generis priores alii, alii posteriores, ultimum & non multum. Logici vocaverunt, cujus causa finalis bona est, ipsum quoque bonum, cujus & finis improbus, ipsum minimè probum est æstimandum: ab effectu similiter ad causam finalem argumenta trahuntur.

## *De effectu.*

Effectus denique definitur quod ad esse ulterius sequitur, quodque vel ex aliquo, vel per aliquid, vel ab aliquo fit, vel alicujus gratia, quibus Categorematibus priori per relativam oppositionem respondens divisio continetur. Eorum quæ fiunt, alia fiunt, alia non fiunt alicujus gratia, alia cum electione rursus, alia præter hanc, unde effectus fortuiti, qui aliud deliberantibus nobis vel intentis aliò, rarò atque peraccidens oriuntur.

## *De causis Medicis.*

Causæ Medicæ juxta relationem ad effectus suos in proximas & continentes græcis συνκλικαὶ καὶ συνεχοντες vocantur remotiores, ut præcedentes προηγȣμέναι Græcis ita nominatæ, & pro-catarticas extrinsecas efficientes, remotissimas προκαταρχοντες καὶ προφασεις à Græcis merito nuncupatæ.

Concipiamus itaque exempli gratia in arte Medica, pro generaliori doctrina, primum, hæc ordine tria, symptomata, morbum, & morbificam causam: quod si accuratius voles subdividere: concipe & symptomatum symptomata, continua serie se invicem consequentia, causarum vero distinctionem unam in formam, atque materiam, & rursus materiæ in eam, quæ ex qua, vel quæ circa quam appellatur, occurrit enim in morbis locus effectus, primum seu subjectum inhæsionis, cujus partes potissimum tres, terminus à quo movetur, spatium

tium per quod movetur, & terminus ad quem altera materiei species iterum subdivisa est, in eam quæ influxit, & quæ parata est influere, & in humorum motu: alij actu morbum faciunt, alij tantum in via sunt, ut venturorum malorum seminaria.

## *Materialis causæ inventio.*

IN natura morbi investiganda sæpè materia se se offert, ex sensu potissimum distinguenda, per resolutionem maximè totius in partes, figura, situ, qualitate, quantitate, & ordine differentes: hujus autem cognitionis ductu, prius velut per nebulam procul conspecto Petro offert se se substantiæ notio, deinde corporis, paulatim vero animati atque sensibilis: & prius quæritur, quid sit substantia, antequam quid sit corpus, quam quid sit corpus humanum? deindè de corpore humano simpliciter tali est differendum, quam quatenus morbis aut sanitati obnoxium, sui curationem postulet. Prius denique de sanitate vel morbis in universum, quam de hujus aut illius affectione naturali, vel præter naturam: quin quod si à communissimis iter auspicaberis, ante omnia quæres, num res talis existat, ut si quæratur an sit corpus humanum? statim notiones communes suggerunt omnis scientiæ atque cognitionis principium à sensu esse, vel intellectu, & ubi sensus abunde testatur, mentis negotium est supervacaneum: at si de rebus insensibilibus quæstio fiat, statim per prius & posterius aliquod conclusio erit inferenda.

## *Exercitatio Practica exemplo Phrænitidis.*

SEcemus nunc ex præmissis sanitatem humani corporis, in materiam, & primam utramque in similarium, & instrumenta variarum partium symmetriam, & hujus gratia paulatim majora instrumenta in minora, donec ad minima per Anatomen devenietur. Similares etiam partes continentes in elimenta prima: ad inveniendam igitur materiam Phrænitidis, ita incedendum: divisum est humanum caput in ossa, musculos, cutem, membranas, cerebrum, nervos, venas, arterias: sunt autem in singulis sui spiritus Mechanici humores velut contentæ substantiæ: rursus connexum est cerebrum per venas hepati, per arterias cordi, per nervos ferè partibus corporis universis, ergo & per se laborare potest, pro partium similarium diversis locis, natura

turaque humorum, qui actu possunt incumbere, horum juxta Galenicorum mentem pituita pigrior, minus inflammationi obnoxia, sed juxta Authoris mentem non quatenus pituita minus est inflammationi obnoxia, sed quia in pituita, ut in loco, sunt nitrosæ, aluminosæ, berberisatæ, acetosæ substantiæ, & aliæ multæ qualitates non exaltatæ, nec in actum omnino reductæ, sed seminaria ratione dum amicis facultatibus inclusæ, & accersendæ inflammationi minus aptæ, calidior sanguis non quatenus sanguis, sed quia in eo sunt partes vitriolatæ, mucilaginosæ, solares, mercuriales, cicutosæ, & similis calidissima bilis, vel juxta Authorem, quia in bile continentur partes calidissimæ, nempe acerbæ, amaræ, calidæ, acutæ, centaureatæ, urticosæ, æruginosæ, viperinæ, plus aut minus in actum reductæ, præsertim si crassiori sanguini complicetur, unde & in vasis obstrui queat, paulatimque acriores partes à minus acribus separari, exaltari, & in actum explicari possint, & inde putrescere, & calorem peregrinum pro symptomate aut imagine rei calidæ inducere; per consensum similiter affici potest, facta à corde evaporatione, hepate, ventriculo, cæterisque partibus, simili modo colligatis, unde lædi potest actio mentis, ut ratio, memoria; præcedat deinde animorum intentio, vehemens labor, vigiliæ, & quæ vehementer excalefaciunt, conjuncta alia signa innumera, ut oculorum fulgor, præposteræ voces, sudor in vultum frigidus, maxillarum rubor, insomnia turbida, & clamitet æger ignem se se videre sæpius, pugnas, larvas, aut dæmones, erumpit sanguis è naribus biliosus, hoc est per catachresin locum pro locato designans, vel prius per os, & aures, & quia dictat similia facilè à similibus affici, præsertim quæ sibi affinitate loci, & temporis consentiunt: rursus si quid posito altero quovis sic ponatur, ut eo sublato una tolli sit necessarium: his igitur præmissis per Analysin & Synthesin examinandis restat indicationes Physiologicas, quam curativas contemplare: est autem ἔνδειξις seu indicatio demonstratio proportionum inter duo extrema: ita quotquot sint proportionum differentiæ, tot indicationes statuantur, sed tot sunt proportionum differentiæ, quot inter extrema agentia vel patientia comparationes: erunt igitur indicationum species variæ: primo juxta Analysin in quæstione practica, proportio quæritur inter agens nempè syndromen accidentariam variorum humorum, & patiens nempe loca affecta, fitque in horum examine continua quædam collatio materiæ ad materiam, formæ ad formam, efficientis ad effectricem causam, rursusque in singularum ordinibus, proximioribus causis, proximæ mediis, mediæ & remotiores, quæque remotio-

motioribus in arenam committuntur: deniq; pro minutissimis scrupulis spectabis tum loci in singulis, tū temporis adæquatas Analogias, ubique consensus dissensusque necessitudinem quærens, identitatis vel diversitatis nomine inter substantias æqualitatis, inæqualitatis, in qualitatis genere, similitudinis & dissimilitudinis, in qualitate conformis difformisvè naturæ, in generibus cæteris: quum & ipsa formæ essentialis resolutio, si amputari aut circumcidi negotium magis voles, cum passim licuerit formæ rationem in ipso constrictam materiæ, tacitè præterire ex prædictis. Ut materiam Phrenitidis inveniam, conjiciam illico ex illis infusis notionibus, partim ex sensibilibus signis morbi jam observati, materiam proximam esse ferventem sanguinem, crassum, atque inflammationibus opportunum, colligam & locum in ventriculis cerebri, vel in membranis proximis, vel in ipsa substantia: quod si materiam ex qua cum loco affecto junxeris, patet & obscure & morbi formalis ratio cerebri, vel membranorum ejusdem inflammatio à sanguine calido seu bilioso omnigenis humoribus, salsis, acribus, vitriolatis, amaris altius ingruente & ibidem vehementer obstructo, nec enim hoc aliter melius, quam per causarum concursus exprimi potest, à quibus nimirum sit comprehensa, & has causas docet Epilogus à sensu, Analogismus ab intellectu, visum est enim, in pluribus evacuato pure, vel sanguine calido, sive per artem seu naturæ beneficio continuo & morbum desiisse, illis autem perseverantibus, ægros vitam morte commutasse: accedit illis inditiis quod colores efflorescunt, similes suis moribus, unde cum in pluribus similiter affectis oculi & maxillæ rubeant, lingua sæpius fit biliosa, ex quibus patet certam fuisse materiæ demonstrationem.

## *De formæ investigatione.*

Ex materiei sensibilibus signis formas tum rei proximas, tum remotiores ordine exploramus, ipsarum tamen omnium circumscriptio per motionis speciem, circa materiam omnis est aperienda, & in consultationibus medicis, efficientes causas, ut quæque remotæ aut proximæ sunt, primum describere solemus, hinc & materiam utramque, ut locum affectum primario per consensum, item humorem, tum qui influit, tum qui minitatur, adveniens procul: quibus sic ordine constitutis morbi totius formam, una Periphrasi recte constringimus, quæ motionis quandam effigiem, efficientis causæ circa materiam, utriusque generis referat, proximarum agitationum

circa

circa materiam proximam, remotiorem circa remotam magis atque extrinsecam.

## *Exemplum pro exercitatione practica in uteri suffocatione.*

IN uteri suffocatione & recursu ad latus alterutrum, vel recta sursum, symptoma esse difficultatem spiritus, ex Diaphragmatis convulsione, & palpitationem cordis, præcordiorum distensionem, & id genus alia, morbum constituam, uteri obstructionem, cujus locus, affectus uterus, materies, sanguis crassior ad obstructionem habilis, eo per venas atque arterias confluens: causæ præcedentes sint affectus proximarum partium, ut quarum refrigeratione sanguis ab utero versus præcordia moveatur, eadem oriatur ab aliis extrinsecis causis, ut lotione frigida sub tempus mensium, perturbatione animi, victu crassiore: concludam & morbi universalem formam seu rationem unicam, ex antedictis omnibus, quam tamen oporteat distincta Periphrasi explicare, ut sit affectio istiusmodi uteri contumax oppilatio cum ligamentorum & tendinum membraneorum convulsione valida, venis scilicet arteriisque conterminis, ex plenitudine in se contractis, distentisque in latitudinem solam, à crassiore sanguine per refrigerium pedum ac brachiorum altius contendente, & à cibis crassioribus genito, unde mox intercedente, præsertim lienis inflatione valida, dum crassum sanguinem instar spongiæ, ex mezenterij venis majoribus haurit, quarum oscula hemorrhoides appellata, cum venis in cervicem uteri excurrentibus mutuam synastomosym veteribus, atque ipsi Vesalio & Neotericis occultam, hactenus faciunt, præcordiorum quoque contractio fiat, & per consequens cordis palpitatio, difficultas spiritus, dolor lumborum vehemens & maxillarum varius color. His ita inventis demum & constitutis, & victus ratione pro morbi ipsius natura atque ægroti pro symptomatum atque causarum necessitate, mox & medicamenta & medicandi modum executio, quæ quidem consultationis forma aptissima est, popularis maxime, à viris doctissimis hactenus approbata.

## *Exemplum in Cephalea.*

CUm igitur Cephaleam tibi curandam proposueris, velut finem ultimum hunc tibi in conservationem & expugnationem deinceps resolvas, licet,

quandoquidem humani Capitis integritas labefactata, sub diversa formarum imagine ingerit sese intellectui nostro, etenim primum, ut sani quiddam residuum obtinet, deinde ut affectum alterum præter naturam. Caput igitur, ut sanum est, servare per similia decet, ut ægrotum curari per morbo contraria: jam quia & conservatio & profligatio sunt actionum diversæ species, utrobique necesse est spectes motionum terminos duos, & inter utrumque Analogiam mediam: imprimis igitur pro conservatione, subjectum possibile, vel terminus ad quem, est capitis portio adhuc integra, cui quærendum est subjectum agens simile, per causarum Analogiam: quare subjectum passibile in suas causas est resolvendum, ut similitudinis ratio in extremis per Analogiam indicem ex naturæ penetralibus hauriatur: similiter pro morbi ablatione, caput rursus loco subjecti passibilis in considerationem cadit, jam non ut sanum, sed sub ægritudinis notione: quærendum est igitur genus affectuum præter naturam per causas priucipiaque prima & elemēta, quibus coaptandæ sunt per Analogiam mediam causæ conrratiæ in subjecto altero, cui totius actionis præfectura sit tribuenda. Quod si quis ulterius procedit ad divisoriam Methodum, quasi per Parascheven ad sequentē titulum, qui partim Periscopticus debet esse, proponetur fœlicitas Medici, quasi finis ultimus, ad dividendum fœlicitatem animi, corporis & fortunæ, fœlicitatem animorum dividendam relinquamus Theologis in suas causas proximas, ut virtutes, & illas denuo in Cœlestes, Civiles & Terrestres: corporis vero ut habeat partes à nativitate benè compositas, deinde ut humores habeat ad corporis istam compagem conservandam aptos, deinde ut spiritus habeat istos humores in symmetrìa mutua conspirantes: spiritus autem egent, ut partim è Cœlo, partim à Diæta quo homo utitur, nutriantur. Diæta ista consistit in recto usu rerum naturalium, quorum pars vel à parentum nostrorum providentia suppeditatur, vel nostra industria acquiritur, sed ista omnia nisi sciatur decorus usus, & recta rerum naturalium administratio, quæ à virtute utentium consistit, inutilia erunt: ut entium vero virtus à ratione exoritur, ratio exercitatione convalescit, exercitationem veritas perficit, veritas nos ad verum, hoc est causam, deducit, docetque verum non in sensibilibus istis, aut transeuntibus, quæ hostilis injuria, vel ætas, vel elementorum inclementia absumere potest, sed in permanentibus, quæ radicem in Campo veritatis habent, seu spatio infinito, ramos vero, frondes & folia in mundo corporeo profert, quibus perennitatem loci unde radix oritur demonstrat, quibus tandem perculsa mens veternosæ moli

repudium mittet, unde licet mortalis homo ex ipso descensu atque terenni corporis indumento licet æger, squalidus, & sensus, insensibiliumque spectrorum gurgite penè demersus, per ascensum tamen denuo caput attollet, & in clarissimam ætheris lucem migrabit, & tandem Cœli fornicem penetrans, ab ærumnis atque cupiditatibus liber, immortalitatem ipsam ceu postliminio recipiet, ibique cum Diis & Deorum filiis pernoctando veritatis veræ Ideam vivam assiduè contemplabitur.

## *Syntheticæ, Analyticæ & Paragogicæ Methodi in prægressis dispersæ, & nunc in usum consolationum collectæ reductio.*

QUæstiones omnes Practicæ Medicinæ partes triplices habent, patientem, agentem, atque utriusque proportionem: sit humanum corpus pars passibilis, sit res adhibenda pro ejus cura agens, sit illud quod sub indicationis classe delitescit proportio, ita pro cognitione humani corporis prius sit corpus patiens: primo quærere debemus, quid sit corpus, quam quid humanum corpus, quam quatenus morbis aut sanitati obnoxium sui curationem per rem activam postulet, & in hoc casu omnis scientiæ & cognitionis principium à sensu primum ascendendo per Analysin Physicam, descendendo vero per Metaphysicam Synthesin, conclusio erit per rationem mediam inferenda; & ubi sensus satis testantur, mentis negotium est supervacaneum: si de rebus insensibilibus quæstio fiat, statim per prius, vel posterius conclusio erit inferenda: ita Deum ex affectibus, ex patris hypothesi filium cognoscimus, ita quum hominem esse, & hominis corpus sensus ostendunt, & quidnam sit corpus, simpliciter inquiritur per suas causas, verum si corporis species, ut morbo ac sanitate affectum ibi & antedictorum Analysis prærequiritur, deinde & sanitatis & morbi, etsi proprius negotium aggredi velimus in medicina, mox terminorum & medii indaganda natura erit: primo igitur vocum, quam rerum doctrina capessitur: mox prius an sit, quam hoc, vel illud tantum, vel tale: sic si quis velit veram aliquam scientiam discere, oportet ut prius simplices terminos, ut subjectum & prædicatum, & ipsius medii, per quæ ista duo extrema connectantur, priusquam, an sint vera, aut falsa, sciat: terminorum vero & medii similiter cognitio existit per causas proximas, rationis ratio: tandem per causas ulteriores continuandum in illis. Ita in arte Nautica discenda est primo loci natura, & qua vela dare consti-

constituas, discendum anni tempus, syderum præsens constitutio, hæc à parte passibilis rei, cui oportet, ut respondeat, & Navis materia & forma, ejusdemque universa, ipsiusque gubernatoris industria & fortitudo, qui scilicet ventis nec premat adversis nimium laxetque secundis: itaque à terminorum, à definitionum, divisionum, & axiomatum cognitione, quasi primorum elementorum & progymnasmatum institutione quadam confusanea, & dispersa transeundum erit ad usum practicum, ut videamus in Medicina, quidnam est illa partitione prius, quæ sanitatem humani corporis in formam atque materiam secat, utramque insimilarium & instrumentariarium partium symmetriam, & hujus gratia paulatim majora instrumenta in minora, donec ad minima per anatomen devenitur: similares quoque continentes in contenta divendit, & impetum facientia, & hæc postremo in elementa prima à quibus regressus per synthesim fiat, si artis faciunda sit constitutio. Eodem modo sanitati contrarios morbos inquirit, primum à symptomatibus ad morbos ipsos naturæ pugnantes, ab his postremo ad morborum causas, causarumque principia, quæ benè tot numero patent, quot sunt naturarum, quæ foveant atque conservent affectionum genera, cuncta cum vestigaris, ad ea procedi volunt quæ vice agentis aut instrumenti ac commodi loco, vel sanitatem similem servent, vel morbum morbique effectus, & causas ejusdem sibi contrarias eradicent. Jam utriusque proportione deprehensa, ad ipsam ultimo curationis conservationisque Methodum pervenitur inventionis via per Analysim cœpta, traditionis per synthesin absoluta: Methodus est autem recta causarum & effectuum ordinatio, ejus initium est morbi cognitio, finis invenire remedia apta, experientia & ratio, duo sunt ejus instrumenta, per quæ ut Duces Artem Medicam exercemus, ut in febre, una causam, alia curam aperit, una circa universalia & synthesin, alia circa Analysin versatur, Ducis autem Methodi sunt indicationes: est autem indicatio, comprehensio juvantis, ex natura rei, juvamen postulantis: indicationes sumuntur ab effectu contra naturam, & est triplex, morbus, causa morbi, symptoma: symptoma causam, morbum & partem affectam indicat: ejus tria sunt genera, & est primum quadrimembrum, quæ omnia ab ægro partim discuntur, partim à sensibus comprehenduntur: primum versatur circa qualitates, quas Galenus primas, & quas Author noster rerollaceas vocat. Secundum circa secundas. Tertium ex proprietate doloris & situ. Quartum ex visu, an sit hepaticus, spleneticus, ictericus, hydropicus: Secundum genus, an excrementa sunt suppressa vel fluida: Tertium

tium eſt de actione læſa, an animalis, vitalis, aut naturalis, parte affecta deprehenſa, videndum an per Idiopathiam, aut per conſenſum per Idiopathiam, aut per propathiam, aut per σευπερθείαν, per conſenſum duplici modo eſt, vel per Sympathiam, vel Diadoſin, hoc eſt per communicationem materiæ morbificæ & morbi, & tunc fit per tranſlationem materiæ morbificæ à parte nobili ad ignobilem, à ſuperiori ad inferiorem.

His peractis examinandum an morbus ſit curabilis, inquirendum à viribus ægri, ab excrementis, à parte affecta, à facultatibus.

Peractis generalibus pro indicatione neceſſariis, ad particularia deſcendendum, ad particulares nempe indicationes, quæ ab Hippocrate 16 ſunt numero. Prima nempè ab effectu morbi, nempè cauſa & ſymptomata. Secunda à temperie ægri. Tertia à parte oppreſſa. Quarta à viribus. Quinta ab aere. Sexta ab ætate. Septima à conſuetudine. Octava à conſuetis. Nona à ſexu. Decima ab exercitio. Undecima à longitudine, tum brevitate morbi. Duodecima à temporibus morbi, ſi in principio, medio aut fine. Decimatertia à particularibus paroxiſmis morborum. Decimaquarta ab ordinatis naturæ functionibus. Decimaquinta à medicamentorum viribus. Decimaſexta in fluxu ſyderum, & in his coindicationes & contra indicantes ſunt perpendendæ.

## *In Indicatione prima, quomodo affectus præter naturam ſit pellendus.*

IGitur quidquid præter naturam eſt, ſui ablationem indicat, & ſunt tot remedia quot morborum Ideæ, ut in partibus ſimilaribus affectis qualitas temperiei eſt reſpicienda, imprimis ſimilarum qualitatibus, deinde plethora, cui opponitur inanitio, in organicis vero indecora formatio, cui decens opponitur obſtructis recluſio, lævibus præter naturam exaſperatio.

In magnitudine, numero, ſitu, ſoluto, continuo, contrariis remediis, contrarii affectus ſunt curandi.

## *De affectuum ſimplicium, tum implicitorum curatione.*

VT diſtinctè curemus implicitos affectus, Ordo, tempus & quantitas remedii eſt obſervanda, Ordo ut ſciamus quid prius aggrediendum, & habet regulas ſeptem.

Prima,

Prima, prius causa removenda, sive fuerit extrema antecedens, aut continens. Primo tollitur externa. Secundo antecedens. Tertio continens, postremo morbus contrariis curatur, ut qui victitant ex acribus cibis, nisi caverint chylum acrem, & deinde similem sanguinem semper facient, undè putrescit sanguis, unde febris.

Tertia, in morbis disjunctis, ut morbus capitis & pedum, & si de dissimili sunt, & nihil inter se consentiant, parum refert à quo incipiendum.

Quarta, si consentiant, & unicus curatio alteri non noceat, aut conducat, simul curari possunt.

Quinta, si unius curatio alteri incommodet, tunc nec prorsus huic, nec illi, sed utrique mediocritati erit succurrendum.

Sexta, si partim consentiant, partim non, ab eo incipiendum, cujus curatio alteri non afficit, ut in nebula conjuncta, opthalmia curanda prius, ne ab acribus, quæ nebulam curant, lædatur opthalmia.

Septima, ab urgentiori inchoandum.

## *De causa morbi in genere.*

HIppocrates ait tria corpus humanum constituere, continentia, ut partes, contenta, ut succos, & impetum facientia, ut spiritus: in partibus morbus, in contentis morbi causa existit, in impetum facientibus symptomata, contentorum constitutio penes tria existit, circa permanentia in sua sede, circa qualitatem, & circa copiam, inde tria erunt vitiorum genera, vel quoties loci, qualitatis, vel quantitatis modum excesserunt, unde tria remediorum summa genera, revulsio, alteratio, aversio.

Tribus modis fluit humor, orgasmo, doloris vi, aut quod pars continens exonerat se in continentem.

## *De antecedente causa.*

COntentorum, hoc est succorum vitia, ut prima aut secunda qualitate, in motu, qualitate activa, & quantitate consistere, in quantitate discedunt, vel prima, & est non activa, sed demonstrativa, ut vult Author noster, in quo à Galeno recedit, & ista qualitas prima præcipua & activa, est dunamica, quæ magnas facit mutationes, & est Mineralista à vitriolo, sale,

ſale, alumine, nitro, ſulphure, & horum actiones comites habent iſtas primas Galeni qualitates, quas & producunt quaſi umbras corporum, & continentur ſub generalibus quatuor humorum deſignationibus, in quibus innumeræ facultates vigent, nempe amarum, acerbum, acidum, acre & omnigenum, & quando ab Idioſyncraſia recedunt, calorem, frigus, ſiccitatem, humiditatem inducunt, ut cauſa; itaque qui tantum in contrariis iſtis qualitatibus abigendis operam dant, idem præſtare, ac qui umbram Solis atque corporis intercedentis ablatione aufferre videntur, proinde qui ſpiritus vitriolatos, ſalſos, nitroſos, ſulphureos, quaſi corpora inter Idioſyncraſiam & diſcraſiam intercedentia auferre poteſt, is qualitates eodem momento auferret: addiſcant igitur qui aliter ſentiunt, chemiam, & veritati, & edicto magni Dictatoris conſentient.

## *De cauſa antecedente quomodo purganda.*

MOrbificæ cauſæ, in contentis locum habent, proinde niſi victus ratione, nec medicamentis alterantibus delere poſſit, ad purgationem veniendum, & hoc fit tum utili purgatione, ut in Phlebotomia, vel inutili tantum, ut in Pharmaco.

Primo & in purgatione inquirendum num corpora ad purgationem ſint parata, & tria ad legitimam purgationem ſunt requiſita, meatuum libertas, materiæ præparatio, & naturæ vis, nam hæc corpora facit εὔροα.

Secundo, ut ſint cocta.

Tertio, ut humorum ſit quies.

Quarto, num ſunt pauci aut copioſi humores morbifici, ſi magni, morbum adferunt, ſi pauci & crudi, relinquendum erit opus naturæ, & validis remediis non erit agendum.

Quinto, num æger febricitet, & ſi ſit lenta, purgatio admitti poteſt, ſi magna, abſtinendum.

## *De antecedente cauſa quando peccat copia.*

TUnc tundenda vena, & perficitur ob duas rationes, propter morbi magnitudinem, & vehementiam ſymptomatum, quæ ſunt duæ ſectionis venæ indicationes, & erunt notanda, quis, quantum, & quando, & eſt primarium remedium pletoræ, quæ eſt duplex ad vaſa, & tenſio percipitur, & ad vires quando opprimuntur.

De

## *De causa morbifica continente fluxa.*

DIffert antecedens causa à continente, nam illa, ut parens hanc fovet, & hæc est antecedentis causæ propago, & proximè assidet morbo, & hujus continentis causa est fluxa, aut liquida, ut migrare loco posſit, vel parti impacta, ut fluere nequeat, si fluat, vel est mediæ naturæ: si sit fluida, ad ejus evacuationem, derivatione & repulsione utimur, si impacta, ad emollitionem natura tendere debet, & pepasmus topicis remediis.

## *Cautio.*

SI vehemens dolor aderit, Anodyna discussoriis addenda.

Secunda. Si quid viscerum infirmis est, veretur ne ad id Symptomatica Metastasis, aut prava epigenesis fiat.

Tertia. Critici & Venenati abscessus, non sunt repellendi.

Quarta. Quum omne nimium naturæ sit inimicum, videndum ne quid nimis frigidum naturæ bellum inducat, ne poris occlusis humor restagnet, undè fieri possit dolor, influxio, incendium, aut schirrus.

## *De causa morbifica, continente non meabili.*

SI repulsione, derivatione, & evacuatione fieri nequit, id fiet quod induruit, & à triplici de causa fit, siccitate, plenitudine & congelatione, si siccitate, curatur emollitione, si plenitudine, ut in phlegmone, fotu ex decocto florum meliloti, mille perforati & malvarum, si congelatione, mollescit à calido & sicco moderato.

## *De Curatione Morborum.*

CAusis amotis, si morbus perseverer, curandus veniet qui habitaculum habet in partibus, aut continentibus, in succis ut contentis; nisi loci ubi diversæ facultates vegetabilium, mineralium & animalium latent, & non sunt: partes autem corporis duplici sensu à nobis continentur, vel ut simplices & similares, vel ut organici, hoc est certis Mechanicis Officiis dicatæ, similiarium recta constitutio, & concinna moderatio potestatum & humorum

morum, ex mineralibus & vegetabilibus ortorum, & ista moderatio, ut cum Authore Nostro loquar, consistit in justa dunamicarum virtutum, in partibus similaribus dispensatione, hoc est, ne acre, amarum, salsum, vitriolatum, sulphureum, mucilaginosum, tartareum, insipidum, dulce, exaltatione superet, aut iniqua separatione litem inducant: sed si dixeris istam moderationem fieri debere ex qualitatum concinno moderamine, hæres in Analysi, & contra Authoritatem Hippocratis, qui disertè asserit, non esse calidum, humidum, frigidum, aut siccum, quod facit magnas mutationes, sed amarum, insulsum, omnigenum, nec bilem, pituitam, sanguinem & atram bilem esse, quatenus sunt quatuor qualitatibus prædictis considerabiles, nam sic accidentia essent activa, ex se ipsis absque aliqua virtute subjecti agentia, quod est absurdissimum in ipsa Paripathetica Philosophia, & à communi sensu alienum. Disce ergo, ingenue Lector, si hucusque neglexeris, Chemicam Vegetabilium, Animalium & Mineralium Analysin, ut scias non tam qui sint illi loci, qui dunamicas istas virtutes continent, quam quid in bile & tribus aliis penuaribus contineatur: bilis enim est inane verbum, nihil explicans, organicarum vero integritas est recta formatio, & propterea dico, erunt morborum capita, organicus vel similaris, & hæc duo veleum crassiam, vel instrumenti rationem labefactant: sed hæc duo capita quum conjuncta sint, solet ex his duobus aliud genus morbi, nempè solutio continui, utrisque partibus communi, oriri, & ex his tribus quartum genus quod compositum dicitur: hinc quatuor remediorum genera nascuntur, alteratio, apertio & unio, & quod vim habet; hæc cuncta simul debellanda, sed perpetuo præ oculis habeas, quibus remediis alterandæ partis cura habeatur, sive in substantia, tempore, habitu, sensu, officio, structura, societate & situ quid autem sit: apertio, & unio, satis ex se constat.

## De *Symptomatum Curatione*.

AFfectuum omnium præter naturam curatio, à prima curativa indicatione proficiscitur: Prima autem indicatio sumitur ab effectu contra naturam, & hi affectus triplices sunt, causa morbi, morbus, symptoma, huic autem, ut symptomati nulla debetur curatio, quia sequitur morbum, ut umbra corpus, aufer morbum, & symptoma sequetur: sed quia nonnunquam tanta vi premunt symptomata, ut nec locus, nec tempus, ad causæ morbificæ, aut morbi amotionem detur, sicut fit in colicis biliosis, aut dissen-

ſentericis affectibus, ubi dolor premit, qui ſecum vigilias & inediam rapit, ideo ſymptomati occurrendum illico abſque hæſitatione aut timore panico, ne tenearis pro Empyrico, tutius eſt enim Empyrico more curare, quam Methodo occidere: proinde accurre, non ad variorum præſidiorum farraginem, quorum præparationes multum temporis requirunt, antequam Pharmacopæus acquiſiverit, aut famulus benè diſtinxerit, miſcuerit, aut ſuo ordine coxerit: interea moritur æger, quia tuis captionibus & remediis, non ex tua experientia ſemel natis, ſed ex librorum inutili ſpeculatione ſemper naſcẽndis fiſus es, tunc credis te artem præſtitiſſe, dum receptas duas, Theriaca Andromachi ampliores, apud Pharmacopæum, pro teſte capacitatis tuæ produxeris, ſed falleris: natura enim & ſenſus communis te invitat, ut habeas in ſimili caſu remedium in pera, quod in prima inſpectione exhibere debes, ut requiem & nutrimentum ægro tuo deficiente concedere poſſis, quouſque ad cauſæ extinctionem juxta regulas præcedentes accedere poſſis: ſed tale ſit tuum remedium quod non ſolum ſymptoma reſpiciat, ſed ut eadem ratione cauſæ etiam mederi poſſit, & tale debet eſſe Anodynum ex laudano opiato, quod non tantum labores acutos, ſed & tumultuantes in corpore humores aſſopire, aut palliare, ſed ſedare & extinguere, & litem componere valeat, quouſque tibi licuerit per alia adminicula, cauſæ morbificæ, juxta artis regulas obviam ire: & hæc ſunt, quæ pro ſymptomate auferendo proponere volui.

## *De ſecunda indicatione à temperie corporis.*

HÆc indicatio dictat ſui conſervationem, quemadmodum prima ſui deletionem: hoc autem fiet ſciendo, quantum à ſua intemperie deſciverat, & tunc remediis temperamento ſuo congruis obviabitur.

## *De tertia indicatione à loco affecto.*

LOcus qui affligitur, diſcernitur in partem morbificis cauſis oppreſſam: huic varia debentur remedia, ex ejus figura, temperie, uſu, ſenſu, & connectione, de quibus praxis conſulenda eſt:

## *De quarta indicatione à Viribus.*

VIres ſuum focum habent in ſpiritibus, carnoſo, humidoque genere, & in partibus ſolidis, quare vires ſemper indicant ſui tutelam, & conſiſtunt in

intemperie, quæ si sit bona, custodienda, si frangatur aut exhauriatur, ad legitimam temperiem reducatur.

## *De quinta indicatione ab aere.*

AEr qui nos amplectitur, cujus velimus, nolimus, præsenti vi cogamur uti: habet autem ambiens aer, modò rationem præsidij sanitatis, modò causæ morbificæ, aeris autem moderatio varia est, & ex varietate regionis, anni, temporis, soli, & cœli, constitutione deducitur.

## *De sexta indicatione ab ætate.*

AEtas intemperiei amissæ revocatione, & succorum exclusione suum interponit judicium, proinde Hippocrates Aphorismate 16. lib. primo dicit Diætam humidam febricitantibus esse utilem, quare indicatione ab ætate ducta, hoc oraculum protulit, quia febris fit ab intemperie sicca, & pueros ut plurimum vexat, & quoscunque temperamento calido præditos, proinde humido victu, temperamento isti opponebat.

## *De septima indicatione à consuetudine.*

COnsuetudo non est temere mutanda, gaudet enim consuetis natura, & ratio est, quia & quod coquit æquè alteratur, ac & quod coquitur, nam familiaritate substantiæ, & consuetæ qualitatis natura fovetur.

## *De octava indicatione ab Idiosyncrasia, hoc est naturæ proprietate.*

CUique temperamento inest sua proprietas, cum qua concordia est, & si secus, discordia: ita in hominibus ab hoc temperamento aliquid abditum est, quod nullis sensibus nullisque modis compertum latet, quæ difficultas Galenum fatigans hanc vocem illi expressit, si ego internoscere possem cujusque Idiosyncrasiam, me talem, quam Æsculapium aut Apollinem fuisse putarem.

De

## *De indicatione nona à sexu.*

COgitandum num vir sit an mulier, cui medicina adferenda est, longè enim virilibus frigidiores, & molliores sunt, proinde nec tam gravibus præsidiis tentandæ.

## *De decima indicatione à vitæ instituto.*

PRo vitæ munere alterationis & vacuationis modus erit instituendus: quare coci furnarij destillatores, chemistæ, cum in calidos morbos abripiuntur, minus frigidis egent, quam piscatores, qui in otio & umbra degunt: largè vacuandi, qui exercitiis exhauriuntur.

## *De undecima indicatione à longitudine morbi.*

BRevitas & longitudo morbi indicant remedia præscribenda: etenim ubi est morbus acutus, & in quo symptomatum vehementiâ, natura opprimitur, tenuis victus erit præscribendus: quod si morbus non ita peracutus, ita in victu procedendum, quantum à peracuto declinatur.

## *De duodecima indicatione à quatuor morbi generalis temporibus.*

IN principiis & augmentis morborum aliquando liberalius indulgendum Dietæ, ne ægri vires ante vigorem concidant: declinante vero morbo, lentè reficiendi, ne subito ex insolenti, subitaque repletione è medio tollantur.

## *De decima tertia indicatione à particularibus Paroxismis.*

PAroxismus nil aliud est quam deterius molestissimum morbificæ periodi tempus: in eo magnis remediis fatigari corpus non debet, sed quò natura & morbifica materia viam affectant, eò remedia inclinare debent, ut si vomendi desiderio capiantur, vomere possint, desinente paroxismo sudent, aut mingant, in paroxismo à cibo abstineant.

## *De decima quarta indicatione ab ordinariis naturæ functionibus.*

CUm ita à natura comparatum ſit, ut homines diu vigilent & noctu ſomnum ineant, æquum eſt, ut qui benè valent, in iſta regula obſervanda, multum ſtudeant, ſed ſi internarum partium inflammatio adfuerit, tunc interdiu dormire & noctu vigilare præſtat.

## *De decima quinta indicatione à remedio.*

VT nullus morbus omnibus idem ſit, nec ullum remediis genus quod eandem vim in omnes exercet, etenim aliquid plerumque hæret remedio, quod indicatio aliqua nullo modo admittit, ut cum vel occulta aut manifeſta vi refragatur remedium. Cantharidis alioquin, niſi occulta potentia noxam veſicæ inferrent, inter diuretica remedia vix foret ullum præſtantius.

## *De decima ſexta indicatione ab influxu ſyderum.*

DE hac Indicatione non erit inhærendum, quia pauci ſunt medici qui peritiam artis Aſtronomicæ callent, & illis regulas præſcribere, eſt laterem lavare: qui autem in ſcientia Aſtronomica peritiores ſunt, Galenum conſulant è lib. 3. Decretoriorum: Hippocratem etiam in morbis Epidemicis de aere, locis, & aquis, conſulant.

## *Brevis Praxeos ratio & finis.*

PRimo Diætam naturæ convenientem inſtituant, alvum vel clyſmo, vel lenientibus remediis alluant, ſanguinem mittent miti Pharmaco, ut apozemate materiæ morbificæ copiam accidant, contumaciorem materiam parant, & coquant, ut miteſcat ad excluſionem: tunc purgent, tunc revellant, mictoria & ſudorifica præſcribant, frixiones, cucurbituales, tunc derivant ad vicina, tunc foveant partem, vel rubedine, vel continui reſolutione, per cauteria ſynapiſmos, & veſicatoria inducant., tunc reliquias morbi exhauriant, & robur inferant parti afflictæ, denique lætiore victu vires recreant: & quamvis hæc dictamina, rationi & experientiæ conſentanea, in uſu hominum invaluerint, tamen ita irre-

irrepit in mentes superstitiosorum aliquot hominum stupida quædam protervitas, ut genibus usque plicatis etiam contra veritatem obluctentur in præsidiis internis adhibendis contra plicam, quam credunt talem esse affectum, qui ab omni remedio interno irritetur: ejus præcipua sunt symptomata, cruciatus perpetuus intestinorum, & tales quales spuriam colicam biliosam con comittantur, per quam ut plurimum in lecto supini volutantes, & capillitia ita contra pulvinaria confricantes, ut fulloniam exercere artem videantur, sacrumque hoc opus, in tanta veneratione habent, ut si deplicare aut deplicata pectine discernere studuerit aliquis, sed multo magis si abscindere, tunc ab isto momento nihil minus erit ipsi expectandum, quam ut sævissima quæque symptomata ex oculis & præcipuè a toto membranoso genere patiatur: Quid enim ab homine gerente in vertice pondus septem vel octo librarum crinium fullatorum expectare possit? quam perpetuus gravissimorum syntomatum concursus, in aliis regionibus pectine devolvuntur, crines versus occiput singulis matutinis horis, ut pori & suturæ fuliginosos vapores transpirent, & quando longioribus criminibus oneratur caput, suadentur à Medicis, ut tonsione caput exonerent; plicosæ vero secus faciunt, capillitiorum enim vel plicæ scissionem prohibent, ut transpiratio auferatur; proinde quid mirum si de cæcitate & convulsionibus conquerantur, sed quod magis est dolendum, ut cum Medici quærulos istos plicosos contra irritum, & detrimentosum medicamentorum purgantium, ut credunt, usum exclamantes audiant, sequelas tum aliis, tum ipsis præjudiciosas & damnosas, quamvis imaginarias, solis præoccupatis mentibus adhærentes inferunt: ut ita medici etiam in consensum trahantur, & tanto minus est, ut labem istam deformem, superstitiosam, sordidam & solis mendicantibus ob segnem immunditiem, ipsis familiarem, & commodam (sed sanitati membrorum reipublicæ benèmerentium contrariam) è mentibus simplicium & credulorum quorundam auferre velint, sed potius augent, dum ipsi credant, sed quo fundamento, nisi ex fabulis & alienis relationibus, tam sæpe recoctis istam superstitionem sustineant, hucusque latuit: proindè inter ipsos nullum reperi, qui animum meum veritatis avidum adhuc rationabili aliquo argumento satiare potuerat: fateor quidem plicosos omni catartico, quamvis validissimo non minus ac colicæ biliosæ, resistere, immo & concedam plicã esse in causa, sed nihil hoc illorum hypothesi favebit, plica enim cum obstruat & occludat omnes poros capitis, dum fuliginosa & prava vaporum series, à capite transpirans prohibeatur, unde non solum omnes pori, sed quod magis est suturæ capitis, quæ homini omnia suffragia præstare

debent pro præcavendis periculosissimis totius corporis affectibus ( & præsertim in membranosis partibus, ut sunt Perioranium à meningibus immediatè originem trahens) ut potè apoplexiæ, Epilepsiæ, Maniæ, Cæcitati, Surditati cum Catharrosis omnibus insultibus inutiles redduntur, & dum inebrientur à prava ἀναθομιάσει meninges cerebri, omnes partes corporis membranosas in consensum ducunt, inde colicarum, biliosarum, spuriarum querelæ perennes, & Catharticorum sine effectu sperato exhibitorum inanes successus & crutiatus; unde colica plicam, & plica colicam adfert, non absimilis ænigmati, *Mater me genuit, eadem mox genitur à me*, sed quod Medicos meticulosos reddit, est, quia si quis abscisionem alicui persuaderet, tanta est ignava credulitas, ut medicum de omni casu superveniente, post decem annos ita reos judicent, ut si toto isto tempore crumenam amitterint, abscissioni plicæ imponant, & Medicum pro sponsore accusent, sed Medici artem non eventum præstare teneatur, proindè quum plica ipsam cæcitatem inducat, per crebras opthalmias, quis abscissioni istos casus jure attribuere debet? contrariorum enim contrariæ sunt indicationes, & si certa mors subvenerit plicæ abscissæ, an ne Medico hoc imputari debet, qui naturam à debito suo persolvendo distractam, in rectum ordinem diduxerat? Pater meus postquam in lectum deductus, mortuus est, ergo non debeo ire cubitum: mala consequentia. Non possum cogitando de istis inneptiis, me à risu retinere, & præcipuè quando sub larva plicæ multi sint, qui luem veneream inveteratam latitare velint, quum tamen in ipsis exostoses, dolores nocturni, & symptomata luis Venereæ ita manifesta sint, atque est sol lucens in meridie: sed hæc parergos dico, qui velit plura de plica intelligere, legat commentaria in textum de transplantatione morborum. Interea non dubito viros doctos cordatos, Philosophos & Medicos, similes nugas (ut debilis ingenii infælicia pignora) tandem mulieribus superstitiosis relicturos, neque passuros ut exploratrix ratio, more brutorum animalium, ab imaginatione Phantasiæ, & sensibus obruatur, qui dum crassiori minerva de rebus judicium faciunt, in tam vesanos fœdissimosque errores minus cautos injiciunt, ut quæ ipsi naturæ concessa non sint, sibi ut fingant concedi liberum putent, neque patietur vir doctus, cui sensuum errores patefiunt, ita decipi, ut primo intuitu istis erroribus consentiat, nisi prius exploratrix ratio, insanos hujusmodi impetus objurgando, ac increpando acriter obtundat: interea dum multos non ex ultima plebe natos, hisce ludicris indulgentes conspicio, non possum, quin inclitæ huic natione adgemam; quæ non ab ingenii defectu (cum ingeniosissimi sint) aberrent, sed à nimia credulitate,

quæ

quæ bonos viros potius quam pravos captivare solet, & ista credulitas à defectu eruditorum hominum contingit, & iste defectus eruditorum à defectu bonorum legum exoritur, quia viros eruditos ab ineruditis distinguere nescitur, dum hos arcere, illos fovere debent: sunt ut verè fatear in Polonia Medici eruditissimi, sed pauci, quia nobiles magis ad bellum inclinant, & hoc exercitium parentes ab onere liberorum in primo ætatis flore exonerat, est enim inter ipsos numerosa fortium hominum multitudo, commeatuum inexhausta copia, equestrium, pedestriumque militum innumerabili multitudine clarescunt, ubique belli gerendi promptitudine, viribus, fortitudine, tum audacia etiam splendent: in hoc solo deficiunt, quia, ut hactenus dictum est, à nimia credulitate, quæ ex bona quam prava potius indole incrementum accipit, ab inimicis sæpius decipi se patiantur: infima autem sors sumptibus egent, quibus liberorum studia promovere apud exteras nationes eo usque non possunt, ut exercitia studiorum, quæ longa sunt, ad eum terminum perfectionis necessarium pervenire non possint quo medicam artem cum decoro & honore exercere queant, proinde plebs præsenti inhians lucro, Mechanicæ medicinæ, utpote Chyrurgicæ aut Pharmaceutices parti, liberos suos applicant, & ita postquam in isto exercitio consenuerint, & videant doctores medicinæ palmam ipsis eripere, viginti quinque taleros ex lucro officinæ, in pera ponunt, & aliquid pro itinere seorsim reservant, & Pataviam se se conferunt, ut literas doctoratus solvant, redeunt domum, & Pharmaciam & Chyrurgiam sub Clypeo literarum exercent, & in Medicinam hac ratione dum impunè irruunt, fæda blanditiarum & assentationum illuvie nobilissimam medicinam profanant, & ludibrio, tum vilipendio simul artem ( alias ab Imperatoribus & Regibus excultam ) tum artificem exponunt, difficiles morbos ad plicam quasi ad transcendentia remittunt, quia nesciunt quid facere debeant, & tanta mala labes non aliundè quam à defectu capacium medicorum provenit, & inde deficiunt, quia leges non habent, qui ipsos regere, & peritos ab imperitis distinguere possint: & leges non habent, quia alia seriora negotia habent, quam ut in Medicos animadvertant, quos tamen multi æstimant, & summis honoribus afficiunt, præcipuè quando illorum opera egent; hocque commune habent cum omnibus aliis nationibus, si autem non indiguerint, parum pro futuro prospiciunt, præcipuè si ex ejus arte præstantissima quæque posse præstari non credant: miror tamen quod tam pauci inter ipsos inveniantur Medici, iisque non nisi in Principalibus Civitatibus, & illi ut plurimum

rimum ſunt civitates Burgravij, aut alioqui mercemonia tractant, aut officinas Pharmacopeas apud ſe tenent, quæ ſunt ab arte medica prorſus aliena, & majeſtate medica prorſus indigna, & tamen nulla eſt natio, quæ ditiora honoraria, aut æſtimationis ſpecimina ampliora medicis elargitur, quam Polona; præſertim ſi cum plurimarum aliarum nationum deſpectu, tum turpi & præjudicioſa avaritia comparentur, inter quos tales, vilem aliquam artem profiteri honoratius eſſet, quam triobulari mercede artem nobiliſſimam contemptui & deſpectui exponere: in quo caſu utrorumque ſortem admiror, & primo medicorum, qui tam infimo animo ſunt præditi, quo velint in tali ingrata & incauta regione pedem figere: præſtaret gratis inter pauperes medicinam exercere, quam in æquali honorarij ſorte, inter magnates vileſcere: nec minus miror etiam tales, qui de ſua ſanitate, quando benè valent, tam parum ſunt anxij, quam ut vitam illorum dum ægrotant in manus hominis imperiti, aut ita deſpecti committere patiantur, & qui ſervilis alicujus conditionem apud ipſos quando benè valent, induere velle non erubeſcant: tales debet Medicus, ſenſu aliquo honoris tactus, tempore ægritudinis, aut deſerere, aut glandibus alere, quouſque reſipiſcant & meliores diſcant mores: honor enim, gratia & civilitas cum decoro exhibita, acumen & induſtriam medici ſuſcitat, & pluſquam mille munera aut honoraria ad ægri curam obligant; nec eſt prudentis deſpicere medicum, eſt enim Dei miniſter, quem dimittere prohibetur æger, quouſque ſanitatem recuperaverit, multo aliter enim de medico ac de artifice eligendo cenſendum eſſet, artifex enim ſi erraverit, totius error non niſi in perditione ſubjecti conſiſtit, quod reſtaurari poſſit novi ſubjecti recuperatione: medici vero error, quia eſt irreparabilis, ob defectum novi ſubjecti, idcirco directè vitæ inſidiatur. Proinde miror quod plures Medici ex alienis regionibus in Poloniam ſe transferre non curent, certè ſplendidiora munera, ampliorem gratiam, & æſtimationem illinc quam in aliquo loco, ubi unquam medicinam exercuerim, ſortirentur, qui ſi tales eſſent, quales ægrorum honoraria mererentur, labem iſtam informem & ſuperſtitioſam, & ſanitati membrorum Reipublicæ benè merentium contrariam à mentibus ægrorum excuterent, demonſtrando, plicam non eſſe morbum, ſed adſcititium morbo, à perpetua fullatione capillitiorum contra pulvinaria ortam, undè dum minima pars capillitiorum fullatur abſtinendo à pectinatione quaſi à peſte, reliqua in conſenſum ducuntur, & ſi ita relinquerentur apud alias regiones capillitia inexplicata, proculdubio eadem plica illis remaneret atque Polonis, & tam ſæva ſympto-

ſymptomata omnibus partibus membranoſis ſuccederent, nam quum omnes partes membranoſæ compatiantur ſibi invicem, & quum Meningum officium ſit fuliginoſos tales cerebri humores per ſuturas & poros pericranij deponere, quid mirum quum illud minus impediatur interveniente ſpurcitie craſſa capillitiorum fullatorum, ſuturas occludentium, ſi cerebrum Epilepſia, oculi perpetuis opthalmiis & cæcitate, ſtomachus crebris vomitibus, inteſtina perpetuis torſionibus, perioſtia perpetuis doloribus afficiantur, & quod turpe eſt volunt medici ad illorum exemplar, gentis maxima pars, ſolos plicoſos ab omni artis Medicæ auxilio excludere, irritantur inquiunt plicoſi affectus à medicamentorum purgantium uſu, & quid mirum? purgantia non agunt immediatè niſi ſuper ſtomachum, & membranoſas partes, quæ in conſenſum ducuntur, hebetat enim meninges, & per conſequens reliquæ etiam partes iis conſentientes: itaque operæ prætium mihi erit, ſi inclytam iſtam gentem (quorum mores, temperamenta & ingenium per octo annorum converſationem didici) à turpi iſta ſuperſtitione liberare poſſim, etenim tam illis utile quam mihi glorioſum utiquè contingeret.

Hæc ſcribebam vigeſimo quinto die menſis Julij Anno 1659. in aula ſplendidiſſima Illuſtriſſimi & Inclitiſſimi Principis Georgij Lubomierski Generalis Exercitus Regni, tum Magni Mareſchalli, Principis Conſilij, ſimul & operum dexteritate præſtantiſſimi, cujus divina prudentia in rebus Politicis, exquiſitiſſimæque Praxeos, ſimul altiſſimæque Theoriæ individua ſingamia; aliarum multarum virtutum Heroicarum nomen obſcurant, quas omnes ſatius eſt, ex vivis illorum monumentis, quam tenui mea oratione laudari, præcipuè virtutes iſtas eximias, quæ ab avis & Atavis quaſi jure quodam hæreditario diffuſæ, jam in omnem familiam promanarunt.

## *Æquivocationum ſynonimorumque denodationes.*

DE vocabulis hic pauca ſubjungere ſtatui, ne inpoſterum illorum acceptio inuſitata ſempèr obſtrepat. Sequitur Author noſter Paracelſum, placuit ergo ipſius vocabulorum figmenta non abjicere, vocabula valent ſicut nummi, in iis ergo ſimus faciles, modo in re conveniamus, neque tamen tam obſcura ſunt quæ ex Anatomiæ, & tincturæ acceptione Authori noſtro uſitata fluunt cap 2. ſcribit in radicali humiditate totius ſeminis Anatomia & poteſtas viget, id eſt natura, & vis, cap.4. multa in mundana Anatomia dubia, & incomprehenſa, id eſt multa in rerum natura obſcura, cap.12. quæ ſa-

nitatis Anatomiam gerere videntur, id eſt ſanitatis ſpeciem habere videntur, interdum pro rei ἀναλύσει & reſolutione, hanc vocem uſurpat, interdum pro rei loco, ſemen ad teſtium Anatomiam, id eſt ad teſtes confluere. Sic vocabulo tincturæ, pro rei proprietate à quavis agendi fluit, ſeu pro ipſa poteſtate agendi utitur, nam quando cap. 9. dicit, Alimenta validis tincturis eſſe imbuta, idem eſt ut ipſe explicat, ac validis facultatibus prædita. Relollaceum vero Paracelſo eſt inefficax, impotens, ſterile. Iliadus, idem ac abyſſus, Orcus Hippocratis, Nox Orphei, interprete noſtro Authore. Archæi vocabulum ſignificat ſpiritum naturalem facultatis naturalis miniſtrum.

Aſtra ſumuntur aliquando pro ſtellis firmamenti, & earum confæderationibus, cum Spiritibus Morbificis, ſed ille ſenſus per actiones ſatis eſt ab Authore perſpicuus, aliàs ſumitur pro virtute, & potentia rei, ſive à natura, ſive à præparatione acquiſita, ut ſulphuris aſtrum, eſt ejus inflammatio, ſive accenſio quia vertitur in oleum.

Aſtrum ſalis eſt ejus in oleum per diliquium abſque aquæ additione reſolutio, à qua majores vires induit: Mercurij aſtrum eſt ejus ſublimatio.

Dividiuntur aſtra ab hoc Authore in aſtra ſuperioris & inferioris globi: globum ſuperiorem vocat cor, cerebrum, pulmones, inferioris vero globi vocat hæpar, renes, lienem, ſtomachum, & ut plurimum hoc vocabulum aſtrum, eſt æquivocum Authori, ſeminariis rationibus, interno Soli, Mumiæ, balſamo, Mannæ, vitali principio, arcano elixerio, materiæ perlatæ Chriſtallinæ, quintæ eſſentiæ, ſpiritui, totæ ſubſtantiæ, proprietati occultæ: ſæpius ſumitur pro ſpiritibus, in quibus dicit eſſe Mœchanicas ſcientias, hoc eſt facultatum humani corporis artificioſas, & edoctas actiones, in quibus ſcientiis, eſt illa ſalis, Sulphuris & Mercurij: ita ait morbos implantari in mumias, hoc eſt in ſpiritus, quos Author vocat aſtra, & fieri morbos tales dicit ex vaporoſis tincturjs alimentorum, in quibus morborum & impuritatum ſcientiæ & prædeſtinationes latent. Quid ſit tinctura, patet ex operationibus Chemicis, quæ digeſtionum tempore fermentantur. Quid ſit fermentatio, patet etiam ex Analyſi Chemica, qui non hæc intelligit per exercitium Chemicum, ne credat ſe poſſe ſcire lectione Authorum: ſed ut aliqua per conſueta detur cognitio, morbum aut humores fermentari tempore digeſtionis ſignificat, morbum pervenire ad orgaſmum, in cujus adventu reſolutione vaporum & ſpirituum, ſeu aſtrorum, paroxiſmos & ſymptomata omnia parere: itaque ait Author remediorum actiones ex ſpiritibus vitalibuſque ſpirituum tincturis, non ex corporibus, & multo minus ex mortuis

mortuis qualitatibus quatuor primarum qualitatum provenire. Spiritus enim sunt, qui vomitiones, alvi excretiones, urinas, sudores, insensibiles transpirationes, qui menstrua accersunt, purificant, sanguinem & vitalia elementa clarificant, consolidant, somnum, fluxiones sistunt, dolores demulcent, morborum diversoria solicitant: in summa quæcunque ad curationem requiruntur, à proprietatibus fiunt: & dicit tales spiritus esse astralia vel invisibilia corpora, accensa, resoluta, sublimata, vel in actum reducta, proprietatibus trium principiorum insignita, quibus causæ actionum adscribuntur, & spirituum horum discrimina talia sunt, pro ut plura vel pauciora cum corporibus conjugia habeant, alij puri, alij permixti corporibus, aut vicini alij salium proprietatibus, alij Sulphurum, alij Mercurialium: actiones & impressiones imitantur, corporei in partibus imprimunt vicinis, & saporum ac salium crassorum proprietatibus agunt: alij in ventriculo & intestinis, impuritates sulphureas crassas vomitioni, vel alvi excretioni destinatas, resolvunt; qui vero crassiorum corporum commercio utuntur, imitantur tincturas lucis, subtilissimorum saporum & colorum impressiones, & qualitates horum spirituum ait esse substantificas, Dumanicas, & Chetioneas, vocabulo Paracelsico sparsim in toto libro, pro qualitatibus istis specificis accepto, & sunt qualitates ante corpora, ut sunt essentiales, quia essentiam rei cum corporibus ligant, & qualitates, quos Galenus vocat primas, frigiditatem, humiditatem, siccitatem, caliditatem, quasi primos fructus corporum ligant, & quia media sunt inter incorpora, sive essentialia & corpora, & quæ sunt essentialibus quasi accidentia, illa quæ propius ad essentiam accedunt, dicuntur incorporea corpora, quæ autem propius ad corpora accedunt, dicuntur corpora incorporea, cætera patent ex textu.

Archæus est occulta naturæ virtus, sive supremus naturæ medicus, & natura generica, quæ omnibus inferioribus membris suum Archæum peculiarem occultè distribuit. Ares est naturæ dispensator occultus, in Sal, Sulphur, & Mercurium, qui singulis rebus formam specificam dat: ubi notandum, Ares, Archeum & Iliastrum esse tria vocabula Paracelsica ad usum scholarum vulgarium applicata, & distincta, sed de Iliastro fusius suo loco dicetur. Ares specificam unicuique formam dat.

Anatomiæ vox non solum pro cadaverum recta dissectione, nec pro heterogeneitate corporeorum & corporum per Chemiam explicatione, sed sæpius sumitur pro scientia primarum & radicalium qualitatum, corporea & corpora regentium.

Anatomiæ vocabulo etiam sæpius utitur Author noster in hoc opere, & dicit vitalem Anatomiam multis pluribus instrumentis egere quam cadaverosam, ex inde colligitur instrumenta ista esse multas formarum species, vasorum, aquarum gradiatarum, salium, aquarum gradibus, ignium, Sulphurum, Mercuriorum, seu spirituum: ita quando dicit Author Anatomiam hepatis, Anatomiam sanguinis, Melissæ, Mandragoræ, vitrioli, ferri, auri, non per hepatis Anatomiam intelligit illam factam ex Parenthimate, seu compagibus venarum, sed ejus temperiem, non oscitanter sola speculatione acquisitam, sed separatione facta, vel adminiculo ignis per destillationem, ut innotescat quibus principiis constet, quæ prævaleant in eo elementa, an ignis, qui dignoscitur ex copia salis & terræ, quibus vestitur, an aer, qui dignoscitur ex copia Sulphuris & aquæ vestientibus, nam & copia aut inopia Elementorum istorum concretorum cognoscuntur ex quibus elementis seminariis supereminent, & ex illis, ex quibus elementis radicalibus, & de his omnibus facilè judicare potes, unde actio proximè proveniat, & quid faciat hepar ad sanguificationis actionem: omnis enim actio à viribus, & vires ab essentia rei: simili modo in sanguine indicatur, nam per sanguinis distillationem, extrahimus aquam, viribus aquæ Regiæ prædictam, & proinde vitriolatas, aluminosas, & satis Amoniaci vires habentem, quod etiam probatur ex urina destillata, quæ solem dissolvere potest, modo debita arte graduetur. Sic de Melissa judicatur, & de ejus temperamento, destilletur enim juxta artem in vase bene clauso, & observabis pro lib. una aut tribus Melissæ in maturitate collectæ, quantum aquæ, quantum Spirituum seu Mercurij, quantum Sulphuris seu Olei, quantum salis & terræ, quantum deinde etiam in maturitate sua ex Plantagine, & in pari quantitate atque Melissæ, & ex his simul collectis reperies, quibus graduum differentiis, sive in calido, frigido, salsedine, sulphureitate, terrestreitate, aquositate, igneitate, aereitate, primo herba inter partes suas emineat, deinde collatæ invicem, quæ corporeitate una ab alia differat, nempè si supereemineat Sal aut Sulphur, dices calidam, si aqua frigidam, si terra siccam: deinde examinare, quantum inter se varient, aut superentur, una ab alia, nam si hæc fuerint, & in Sulphure, & in Sale, tunc quantum exsuperatur Plantaginis Sulphur, & Salia Sulphure, & Sale Melissæ, tantum jure debet determinari, tantum differre gradu caloris, Melissam à Plantagine: quod si vero discrimen utriusque erit in Sulphure, hoc est Melissam habere plus Sulphuris quam Plantaginem, hæc autem plus Salis quam Melissa, proinde judicatur calidum fixum

in

in Plantagine, superare calidum volatile in Melissa, & utramque habere inter se talem proportionem, tam inter se in sicco humido, frigido, quam cum aliis speciebus simili trutina examinatis; & qui ita in omnibus speciebus velit anatomisare, habebit veros gradus qualitatum essentialium, qui plus valebunt quam illæ accidentales, quæ solum judicantur, aut suspicantur, vel à sapore, vel à calore & odore, quæ sunt signa non demonstrantia, & proinde inutilia & suspicantia, ut illi qui ex primis coloribus cuique rei prætium constituunt, & in hac Anatomia deficit prorsus secta rationalis, & quamvis fatear hanc Analysim, nullum adhuc fecisse progressum, præstat tamen semel sapere quam nunquam, & ex duabus millibus plantarum, ex quarum numero quingentæ forsan non sunt adhuc in usum redactæ, ex quibus si unusquisque privatus Medicus, antequam ad ulteriorem fuerat vocatus praxim, voluerit in otio examinare decem solum plantas, quinquaginta juniores medici spatio unius anni opus hoc tam necessarium absolverent, & sectam rationalem ab errore isto turpi graduationis plantarum absolveret, qui risum alioqui elementariis movere potest: unus enim Author de eadem planta dicit calidam in primo gradu, alter in tertio, alter frigidam in primo gradu, cui in hoc fidere debet miser studiosus? certè nulli nisi perfecto istarum plantarum Anatomico, qui rectè vitalis Anatomicus nominari debet: deinde examinentur sales cujus sint materiæ, an sint vitriolati, aluminosi, nitrosi, & sic veram habebis & vitalem animalium & vegetabilium Anatomiam: hæc est vera Anatomia, hanc exercere artem, non est Medicinam Empyricam exercere, sed rationalem, sed si qua sit Empyrica, est illa quæ ex primis coloribus judicat de prætio mercium: talis est tota ars Botanica, in qua tanta est Synonimarum vocum inter Authores diversitas, major adhuc in distinctione graduum caloris, & frigiditatis, ut si quis velit serio rem ipsam intueri, pudebit & pœnitebit rationalem medicum, in talibus nugis maximam ætatis partem contrivisse, in qua pro certitudine nil habebit, præterquam vanas cogitationes diversorum Authorum, de lana caprina contendentium, & summorum authoritatum lites irreconciliabiles: & si hæc sit secta rationalis, profecto illa est, quæ cum ratione insanire videtur: operæ prætium igitur me facturum crederem in hoc negotio, si aliquos inducerem, ut vacuas horas quas insumunt in legendis inutilibus authoribus, ut est scribere magna volumina de sæculo, quando, & ubi natus Mercurius Trismegistus, & an Paracelsus excreverit artes Magicas, aut si fuerat Empyricus, nec ne, si fuerat homo frugi, nec ne, quid hæc ad medicinam? sumenda

ſunt, omnia utilia ex operibus iſtis, quæ ſub ejus nomine exponuntur, & relinquamus inepta, quamvis ut ingenuè dicam, dubito an unquam Paracelſus cogitaverit ſcripta aliqua edere. Nam video ex iſtis quæ malè ſcripſerat, ſe nunquam habuiſſe ingenium ad ſcribenda talia: quæ ſuperant multum ingenium fatui: ſcripta illa abſque dubio fuerant Doctiſſimorum hominum volumina varia (multa eſt enim pagina, quæ non diſtinguitur & ſtylo & doctrina) quorum authores, crabrones eo tempore quo ſola Galenica Secta vigebat, in ſe irritare nolebant, proinde tacitè, & poſt ejus mortem volumina è Germanica lingua in Latinam à Cauſidico quodam traducta fuerunt, & ſub ejus nomine edita: nec mirum ſi quam plures videntur abhorrere à promulgandis novis opinionibus, quamvis receptis propter gravium authorum cenſuras, aliquando ſatis injuſtas, qui non niſi cute tenus de rebus judicant, in ſimili genere. Legi alias cenſuram Joſephi Scaligeri, nempè annotationes, quæ ſupra ſphæram Manilii editæ fuerunt, ille enim Manilium puerititer de Sphæra verſificantem inducit, cum ipſe tamen Archicriticus turpiter lapſus erat in judicio verſuum ſequentium Manilii.

*Quatuor in partes cum corniger exerit oras*
*Illo quiſquis erit terris oriente creatus*
*Rector erit puppis.*

Hoc eſt qui naſcitur habens Canopum (qui eſt ſtella conſtellationis navis, primæ magnitudinis, in fine Cancri ſita, & eſt quartum ſignum ab Ariete) is erit Nauclerus: dicit enim Author rectiſſimè oriri Arietē cum quatuor partibus Zodiaci ſibi conterminalibus, hoc eſt Arieti ſuccedere tria ſigna quæ cum Ariete quatuor conficiunt, nempè Taurum, Gemini & Cancrum, in quo quarto ſigno collocatur conſtellatio puppis, in cujus prora eſt ſtella primæ magnitudinis, quæ dicitur Canopus: miror talem hominē, cujus magnæ doctrinæ opinionem qui velit reſcindere, eſſet ſtramineis telis Phalangem doctiſſimorum hominum, & omnes Criticos invadere, & tamen ille impunè in elegantiſſimum Poetam & Aſtronomum peritiſſimum graſſatus, in hæc verba, *monſtrum Aſtrologiæ, Canopum oriri in quarto gradu Arietis: ſcutica is erat à diſcipulis ſuis excipiendus.* Miror Scaligerum tantum invehiſſe in ſuum errorem, non percipiendo, partes alias eſſe ſigni, alias eſſe Zodiaci, nullus Elementarius dubitat Manilium intellexiſſe quartam partem Zodiaci, & rectè, nam Canopus eſt in fine Cancri. Simili ratione contigit multis in arte Medica famatis, critico more cum petulantia

lantia magna contra Medicos doctiſſimos inſurgere, & in empyrico ordine collocare, quia ex Anatomia mixti, ſalem, ſulphur & Mercurium deprehendebant, de quibus libros in lucem edere non verebantur, multis argumentis in modo & figura fabricatis, ſalem ſtatuendo illum cum quo carnes bubulas aut haleces condire ſolent homines. Sulphur vero cum quo pulvis Pyrius conficitur. Mercurius cum quo fumigiæ pro luce venerea infectis præſcribebantur, ſed jam unusquiſque fatebitur experientiam veritatem in propatulo protrudiſſe, & rationem perfeciſſe, ut nunc jure meritò dicet unuſquiſque, ſectam rationalem per additionem reſolutionum chemicarum, perfectum & conſumatum tenere gradum, & tales artifices in ſummo honore haberi.

## De Aſcendente.

SParſim etiam utitur author, quãdo de generatione vegetabilium, animalium & mineralium tractat, præcipuè vero quando de ſemine morborum loquitur, hoc vocabulo *Aſcendente*, quod quidem verbum, quamvis non videatur eſſe alicujus ponderis, magni tamen eſt momenti, habita ratione indicationum curativarum: vocabulum enim Aſcendens, aliter hic ſumitur quam apud Aſtrologos: ſumitur enim apud illos generaliter pro omni puncto cœli aſcendente ſuper horirontem, quacunque hora aut momento, ſive initiis morborum, ſive nativitatum, ſive electionum, & ita diciter vulgo apud Aſtrologos Planetam aliquem, vel ſtellam fixam eſſe in aſcendente, quod etiam dicitur Horoſcopus illius rei, ſuper quam punctus ille cœli aſcendebat. Apud Authorem autem noſtrum ſæpius reperitur, quando de mineralibus ait, ita ut quando de inferioribus metallis, quando ad gradum digniorem evehi conſpiciuntur, dicit talia metalla habuiſſe ſemina concomitata fortibus aſcendentibus: cum autem de morbis loquitur, & præcipuè de morbis qui gravibus ſymptomatibus concomitantur, dicit morbos iſtos futuros breves, longos, vel lethales, ſi ſemina illorum habuerint aut non habuerint gravia aſcendentia. Per gravia aſcendentia intelligit exaltationes humorum, ſummitates, poteſtates, validas vires, ubi explicat, quo pacto humores morbos generant, non quia calida & ſicca eſt bilis: propterea Hypocrati morborum genitrix cenſetur, ſed quia δυναμεις in ſe continet, quæ ὅταν μετεωρα ἢ ἄπεπλα ϗ ἄκρυλα, id eſt *quando exaltata fuerint incocta, & ab aliis ſeparata, ſummas vires ac extremas poteſtates, calamitoſa ſymptomatum pernicie oſtendunt* & calores & ſimiles qualitates poſt ſe generant: itaque dicit hominem non laborare, quia humores iſti ſunt calidi aut ſicci,

ſicci, frigidi, aut humidi. qui ſunt ſigna concomitantia ad cognitionem cauſæ, non autem ſunt cauſa ipſa, quæ ut plurimum ſolet eſſe talis quæ conſtat ex impuritatibus colicis, febrium acutarum, qualesſunt tincturæ ſalium acerbæ, pontagioſæ, amaræ, ſalſæ, acres vel acetoſæ, tartareæ vel vitriolatæ, nitroſæ, aluminoſæ, aronicæ, urticoſæ, perſicarioſæ, quarum prædeſtinationes ad ulcerationes non feſtinant; ſed effervеſcentias & crebros tumultus, vigilias, exacerbationes podagricas, cauſare ſolent (itaque non erit culpandus author quod invehat contra illos qui quatuor humores, tum quatuor primas qualitatas, cauſas omnium morborum conſtituant, etenim quatuor humores ſunt niſi involucra, ſub quibus infinitæ aliæ qualitates, quæ non ex librorum lectione, ſed ex Analyſi chemica addiſcuntur: non eſt igitur quod objiciant Authori noſtro, quod figurativis locutionibus obſcuritatem inducat, quum metonomicè ipſi contentum pro continente, quaſi ex titulo ſacci de contenta lite judicent, & inde tantam cladem in Medicina inducant) & tandem etiam in ulcera finiri ſolent. Præcipuè poſt longam circulationem vel peregrinorum ſpirituum admiſtionem, ita videmus in febre ephemera, aut in eadem protracta, ex labiis, vel ex naribus poſt ſanguinis effervеſcentiam, expelli materiam efferveſcentiæ ſanguinis, per eruptionem puſtularum aliquot, quæ parvi ſunt momenti habita turbulenta iſtius efferveſcentiæ ratione: ita in igne ſacro, & ſimilibus affectibus accidere videmus: aſcendentia igitur talia intelligit, qualia ſunt hactenus dicta, quæ in corpore locum tenent fermenti, & niſi corrigantur per venæ Sectionem, aut per Diætam, totam maſſam corporis magnam, ratione molis illius fermenti parvi agentis miſerè gravibus & fortibus ſymptomatibus moleſtantis: ergo aſcendentia ſunt exaltationes humorum, per quas forſan in tota medicina non invenietur via aptior ad enucleandas tacitas morborum cauſas: gravia & fortia ergo aſcendentia ſunt exaltationes humorum in corpore latentes, ſed præcipuè febrium malignarum, peſtis & ſimilium, imo & omnes morbi Epidemici habent talia gravia aſcendentia, quæ aeri impertiuntur, & ab aptioribus ad accipienda hauriuntur, & in actum producuntur: tales peſtes & peſtilentes febres, graſſari inceperunt in Polonia & Magno Ducatui Lithuaniæ anno 1658. circa initium Auguſti, & perſeverarunt uſque ad Menſem Januarij, imo non deſinebant ægri calidiſſimis iſtis affectibus, & impuris febribus affici, ipſo frigore exiſtente menſis Decembris & Januarij. Ita certum eſt tales morbos habere affinitatem magnam cum aſcendentibus ſtellarum aliquot fixarum, aut planetarum, quæ totam ſeriem anni invertunt. Authumnum pro vere, æſtatem pro hyeme, & vernum tempus pro

Au-

Autumno nobis exhibent, imo & si quis solers Medicus velit penitius inspicere, inveniet multa præsagia istorum morborum prægressa, & quod maximè est observandum, in perversione tempestatum anni, rosæ hôc anno autumni tempore flores induerant, secunda vice sicut verno ipso tempore arbores fructiferæ, veluti pomus & pyrus floruerunt, & fructus ligatos habuerunt. Itaque credo me jam huic vocabulo ascendenti satis fecisse.

Per astralem potentiam non astrorum firmamenti Macrocosmici, sed Spiritales Microcosmici potentias intelligit, sive animalium, sive naturalium, sive vitalium, & dicit prædestinatione unica fructuum profusione exhauriri, non posse istam potentiam, sed recidivas exspectare, hoc est ab effectu in Diatesi fieri affectum in habitu.

Abyssus & thesaurus idem sunt, hoc est indesinens influentia causarum in effectus suos.

Habere astra potentibus tincturis prædita, hoc est Spiritus dunamicis facultatibus præditos.

Analysis, Anatomia, & separatio idem sunt.

Abyssus pro infinitio spatio sæpè sumitur; tum etiam pro successione temporum continua, in donorum causa latentium.

Balsamus est salis interioris liquor: est internus & externus: internus est salis interioris liquor incorporeus, corpus suum naturale à corruptione præservans: externus Terebentina est vim ignis non passa.

Elementum, in & ex quibus generantur omnia: sed notandum, quo quid in occulta natura simplicius, eo generalius, & tanto specialius, tanto materialius exemplum: quanto magis ab essentia individuorum species removentur, tanto proximius accedit materia eorum ad elementa simplicia, in manifesta natura: è contra, in qua species ad individua magis inclinare censentur, eo degenerationes & magis à suo toto recedunt.

Elixir dicitur propter virtutes suas, quia Elixir est medicamentum universale, quod omnes peculiares morbos una exhibitione curare potest aut debet.

Sic spiritus hic, divinæ & infinitæ potentiæ vis, quamdiu est in homine, regit omnes alios in homine subordinatos spiritus, ut œconomiam mixti in syncrasia foveat.

Elementa humanæ Anatomiæ habere, hoc est omnes corporis partes quot in humana natura insunt, possidere, exemplaribus, hoc est elementorum radicalium rationibus conformes.

Elementa, matrices & loci, ut plurimum, pro uno accipiuntur, & dicit ista elementa quippè radicalia, seminibus & spiritibus principiorum alimenta subministrare.

Ilech vel Iliadus est conjunctio super-cœlestis astri, nempe firmamenti, cum astris rerum inferiorum, sed ut plurimum per conjunctionem istam: non sumit astri nomen, pro astro vel firmamento majoris mundi, sed de conjunctione spirituum superioris globi in parvo mundo, hoc est partium, ut cerebrum, cor, pulmones (quæ sunt supra Diaphragma) astris inferiorum partium, hoc est hepati, lieni, stomacho, renibus, vesicæ. Illiaster est occulta naturæ vis, vel est prima omnium materia constans ex Mercurio, sale & sulphure.

Mumia est synonimus semini, Balsamo, astro, nam sicut Aromata multa cum quibus Africani solebant à putredine conservare mortua corpora, sic spiritus vitales animalium producunt, & conservant corpora ad vitam destinata à putredine. *Mechanici Spiritus*, sunt Spiritus Universales Mundi, & dicuntur Mechanici, quia operibus documenta ponunt divinæ scientiæ, qualis fuit ille spiritus qui datus fuerat Bezelielo in structura tabernaculi, & talis spiritus, qualis fuit datus seminibus omnium rerum, at mandata faciunt juxta ea quæ in prima creatione imposita fuerunt, & spiritus hic universalis mundi, vocatur infinita potentia; quæ diversos ordines sortitur, sicut sunt ordines septem entium radicalium, & talia entia subordinata, distinguunt vera entia ab imaginibus entium, & hic spiritus est vera forma substantialis, & in hoc spiritu vivimus, & ab hoc spiritu reguntur omnes alii inferiores spiritus, sive sint veræ substantiæ, sive umbratiles. Manna Synonimum est Balsamo, Astro, nam sicut Manna fuerat Cibus Divinus missus è Cœlo, ut homines inde refecti divinitus viverent, sic manna quam hic intelligit Author, est nutrimentum corporũ, nempè Divina ista forma substantialis, quæ singulis substantiis præest & se stans est. Melissa est herba cardiacis affectibus multum apta: sic quando vocat Author vocabulo hoc synonimo Mumiæ, & balsamo, intelligit effectum quẽ cordi & vitalibus partibus imprimit forma ista substantialis, & crebris hisce Synonimis utitur, ut revocet juvenes Studiosos Medicinæ ab erroribus primarum qualitatũ. Dicit enim in multis locis sufficere vocabula, ad tam divitem naturæ expressionem, quam ipse Aristoteles secundo de Generatione specificis verbis illustrat, & sicut invenitur in multis locis hujus Operis.

Materia

Materia perlata dicitur, quia ſicut perlæ fiunt ex puriſſimo rore Cœleſti per ſpiritus Cœleſtes, Conchiliis Margaritiferis infuſæ, & ſignificant materiam quandam prætioſiſſimam: ſic forma iſta ſubſtantiali, aut infinita potentia, nil eſt in mundo excellentius.

Materia Cryſtallina dicitur, propter materiæ puritatem lucis infinitæ æmulam, quæ in omnibus gemmis & prætioſis lapidibus coruſcat.

Minera & locus matrixque idem ſunt, dicitque morbos hæreditarios fieri ex ſeminibus, habere radices, ſcientiam & anatomiam in officina naturæ, hoc eſt in toto habitu corporis.

Nomina dicit debere à radicum, hoc eſt cauſarum proprietatibus deſumi, non res à nominibus.

Prævaricatio quando dicit in agro, vel anatomia ventriculi aliquid eſſe, tum ventriculum & locum pro eodem ſumit.

Prædeſtinatio eſt naturæ intentio.

Qualitates Galenicas in ſpiritualibus corporibus prædeſtinationum terminos accepiſſe, dicunturque eſſe ſymptomata & fructus ſeminum, tranſplantationem cauſantium: refert Cap. 13. elementa, Matrices Mineras, eſſe loca rerum non otioſa: nam vitam & nutrimentum exhibent ſuis locatis, id eſt ſeminibus.

Separatio, Analyſis, Anatomia, idem ſunt.

Sanitatis Anatomiæ ſunt partes omnes quæ concurrunt ad corporum Symmetriam.

Semina à ſanguine tanquam ab elemento ſeparata & reſoluta in aliorum elementorum Anatomiis fætus abſolvunt, & ſunt duplices, vel coagulati, vel reſoluti: in coagulatorum numero ſunt Apoſthemata, in reſolutorum, febres.

Corpora dicit non generari ex corporibus, ſed ex ſpiritibus, & ſpiritus illi in ſanguine, cerebro, corde, liene, pulmonibus, ut in peregrinis Anatomiis, hoc eſt locis fructus deponunt.

Per tincturam impuritatum intelligit ſpiritales vires poteſtatum.

Tranſplantatio eſt Symptoma generationis & actionum naturalium.

In explicatione naturalium facultatum arguit Galenicos, quod ſemina, ſpiritus Mechanicos, & proprietates ſalis, ſulphuris, & Mercurii negligunt.

Dicit esse astra & semina cœlestia, aerea, aquea, terrena, ad quæ descendere oportet, ad seminum proprietates, & spirituum Mechanicas Lithurgias.

*Dum finem huic Prodromo imponerem in Palatio Serenissimi Principis, Principis BOGUSLAI de RADZEVILLE, quod Regiomonti est, pro cujus sanitate restituendâ à Serenissimâ Sacrâ Regiâ Majestate missus tunc morabar, exinde non potui, quin sæpius jucundæ Civilitatis atque Colloquii memoriam in animo refricare, dum affectui ipsius restituendi causa ipse semper meis Consiliis ita adstiterat, ut nesciam an ipsius magis industria ac rationatione plusquam Philosophica, an mea particulatim Arte Medica, vel Methodo adjutus fuerim: est enim in illo non solum hystoriarum, linguarumque Politicæ summa cognitio, sed & scientiæ naturalis, ut ex ipsius conversatione & sermonibus coram præter omnem expectationem deprehendi: unde mirabar in tantis rerum publicarum negotiis, in tanta rerum fœlicitate & affluentia, locum virtuti simul & cogitationibus Philosophicis & Politicis permanere potuisse: proinde non potuit sanè non facere jucunda illorum recordatio alium in me effectum, quam ut pro ornamento hujus Operis Coronidem summo viro, velut gemmis, aut stellis fulgentioribus insignirem.*

FINIS.